DUQUESNE UNIVERSITY LIBRARY

HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE, CONN.

241
B

VII - B - 5

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Lyrasis Members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/examenconfessari02aemi

EXAMEN

CONFESSARII ET PAROCHI

SEU

COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS ET PASTORALIS

AUCTORE

AEMILIO BERARDI

CANONICO PRAEP. PRO-VICARIO GENERALI

ET PROFESSORE THEOLOGIAE MORALIS ET PASTORALIS

IN SEMINARIO FAVENTINO

VOL. II.

HOLY GHOST FATHERS

SCHOLASTICATE

FERNDALE, CONN.

FAVENTIAE

EX TIPOGRAPHIA NOVELLI

ANNO MDCCCXCV.

ROMAE — TYP. DE PROPAGANDA FIDE.

NEW YORK — BRNZIGER BROS. P. O. BOX 2677.

Cum permissu auctoritatis ecclesiasticae.

BX1759
B44x
vol 2

Iura quae a lege sunt Auctor sibi vindicat.

EPISTOLA LEONIS PAPAE XIII

AD AUCTOREM

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Aeque libentes abs te accepimus et plenam obsequii epistolam et pietatis munus de fructibus ingenii doctrinaeque tuae. Sacris in disciplinis, in ea praecipue quae est de moribus rite conformandis, iamdiu te praeclareque versari, exploratius pridem cognovimus; scilicet quum vir egregius, antea collega tuus, nunc Vadensium episcopus, coram de magisterio tuo scriptisque editis intulit Nobis commendationem. Haec ipsa vero scripta non latet Nos quanti habita sint apud intelligentes existimatores publicaeque opinionis interpretes. Eo fit ut maiore Nos voluntate gratiam tibi laudemque de munere exhibito significemus, atque alacritati tuae non tam admovere incitamenta quam uberiores fructus exoptare ducamus,

MAY 1 0 1981

Sic igitur perge de studiis optimis deque Ecclesiae alumnis bene utiliterque mereri: nihil profecto neque sanctius praestiteris, neque Nobis feceris gratius. Quae ut eveniant vota, tibi caelestis sapientiae praesidia et bona cetera, Apostolica benedictione, ex animo invocamus.

Datum Romae apud S. Petrum die X ianuarii anno MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

Foris

—

Dilecto filio

Aemilio Berardi Canonico

Faventiam.

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Quum iam volumine praecedenti egerim de lege in se, nunc de illa quatenus est in conscientia hominis et transgressionibus subiicitur, scilicet de conscientia et de peccatis, agendum esset. Quia tamen hi tractatus accuratam actuum humanorum cognitionem praeexigunt, ideo de actibus humanis prius agendum est.

Agam itaque 1. de actibus humanis in se spectatis; 2. de actuum humanorum moralitate (seu relatione cum lege) pariter in se considerata. Dixi *in se considerata;* de illa enim considerata in conscientia subiecti, in tractatu de conscientia postea agendum erit.

Acturus autem de actibus humanis in se spectatis, exponam prius actus humani definitionem; dein agam de voluntario eiusque distinctionibus; et denique de iis quae voluntario opponuntur verba faciam. Sit itaque

ARTICULUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS IN SE SPECTATIS.

PUNCTUM I.

De actus humani definitione.

2065. *Quid est actus humanus?* Sensu scholarum actus humanus est *actus voluntarius*. Nomine autem voluntarii heic intelligitur actus liber. (Cf. *Ballerini Op. theol. I.* 5). Actus humanus potest esse *internus* et *externus*, *elicitus* et *imperatus*. Sed haec melius declarabuntur infra (*n.* 2070).

2066. *Quid itaque de actibus qui ab homine quidem fiant, sed non voluntarie aut non libere?* Hi *actus hominis*, sed non actus humani (in sensu scholarum) dici poterunt; idque verum est non solum si de actibus qui brutis quoque communes sunt (prout essent, v. g., videre, audire, iter facere, imaginari, reminisci etc.) agatur, sed etiam si de actibus, qui hominis proprii sunt (prout essent, v. g., intelligere, ratiocinari, loqui, ridere, etc.), ageretur. Si itaque homo distractus, et

voluntate non imperante, cogitet, ratiocinetur etc.; aut si absque advertentia et veluti ex instinctu ad actum *primo-primum* (ut aiunt) procedat; aut si infans, vel demens, vel dormiens, vel ebrius etc. aliquid faciat; in his casibus actus quidem hominis sed non humani, deficiente voluntate libera, intervenirent. Idem dic si voluntas quidem ageret, sed non libere, ut in desiderio felicitatis (quae necessario appetitur) contingeret.

PUNCTUM II.

De voluntario eiusque distinctionibus et de involuntario.

2067. *Quid exigitur ut actus sit voluntarius (et liber)?* Exigitur ut, praevia cognitione intellectuali, voluntas libere ad electionem procedat seu se resolvat.

Actus itaque voluntarius distinguitur ab instinctivo, qui dicitur etiam *spontaneus* et procedit a sola cognitione sensibili (ut in brutis), non vero a cognitione intellectuali, quae iudicat de aptitudine medii ad finem, ratiocinando sic vel sic fieri posse ut talis vel talis finis obtineatur, quod solius agentis rationalis proprium est. *S. Th.* (1. 2. *VI.* II).

2068. *Adestne differentia inter actum voluntatis, actum voluntarium et effectum voluntarium?* Affirmative. Exemplo rem declaro. Titius occidit Caium. Ille imprimis ad hoc delictum perpetrandum se resolvit. En actus voluntatis, qui in sola eiusdem voluntate residet. Postea arma capit, Caium inquirit, et ictum laethalem ei infligit. En actus voluntarii, qui non a voluntate sola, sed etiam ab aliis potentiis (voluntate ipsa imperante) eliciuntur. Denique sequitur mors Caii. En effectus voluntarius, qui (uti patet) extra agentis personam (quamvis ex influxu illius voluntatis) contingit, et forte etiam post longum tempus accidere potest.

2069. Notandum 1° quod actus et effectus voluntarii, qua parte extra agentis voluntatem resident, denominative dumtaxat et effective, non vero intrinsece, voluntarii sunt; in aliis enim potentiis, atque a fortiori in effectu extra agentis personam secuto, voluntas non adest. Notandum 2° quod actus voluntarii, si externi sint, *actiones* dicuntur. Notandum 3° quod in praesenti Puncto, non solum de actibus, sed etiam de effectibus voluntariis, et sic de voluntario in tota sua extensione considerato, sermo habetur.

2070. *Quid de differentia inter actum elicitum et imperatum?*

Auctores communius solent appellare *elicitos* actus voluntatis qui (ut dixi) in sola voluntate resident, cuiusmodi sunt velle, intendere, eligere, consentire, desiderare, gaudere, amare, sperare, odio habere etc. Solent autem appellare *imperatos* actus voluntarios, qui (ut dixi), imperante voluntate, ab aliis potentiis eliciuntur; cuiusmodi esse possunt, v. g., cogitare, imaginari, loqui, deambulare etc.

Ita (inquam) rem hanc intelligunt Auctores communius (unde dictio *technica*, utique servanda, efformata est); sed in rigore (prout alii observant) actus dici deberet (et reapse subinde dicitur) *elicitus* in quantum a sua propria potentia immediate producitur; et *imperatus* in quantum a voluntate imperatus fuerit. Sic, v. g., actus fidei elicitur ab intellectu et imperatur a voluntate. Imaginationes eliciuntur a phantasia et pariter imperari possunt a voluntate. Unde patet quod unus idemque actus (rigorose loquendo) elicitus simul et imperatus esse potest. Imo omnes actus imperati (a voluntate) sunt etiam eliciti (a potentia propria). Non tamen e contra. Sunt enim actus eliciti qui non sunt imperati. Huiusmodi sunt 1° omnes actus involuntarii; 2° plurimi actus voluntatis, qui reapse ordinarie sunt solum eliciti. Dixi *ordinarie;* videtur enim quod voluntas uno actu alium actum (v. g., actum spei, amoris etc.) sibi ipsi imperare possit. *Cf. Ballerini* (*Op. theol. I.* 8. 9), *Lehmkuhl* (*II.* 2), *Ferretti* (*Inst. I.* II. I. 41).

2071. *Quid de differentia inter voluntatem conditionatam et absolutam?*

Voluntas *conditionata* contingit quando quis aliquid vult sub tali vel tali conditione. Ad hanc reducitur vel assimilatur *velleitas,* quae tunc maxime locum habere solet, quando quis de effectu desperat; prout in infirmo, qui de recuperanda sanitate desperans, illam vellet si possibilis esset.

Voluntas autem *absoluta* contingit, quando quis, nulla adiecta conditione, aliquid vult.

2072. *Quid de differentia inter voluntatem efficacem et inefficacem?*

Voluntas dicitur *efficax* quando quis id quod vult, vere et hic et nunc obtinere satagit (veniendo ad actum, adhibendo media etc).

Dicitur e contra *inefficax* quando quis, etsi aliquo modo rem aliquam velit, tamen nullatenus ad actum devenire intendit (prout contingit in meris velleitatibus, et in desideriis de rebus

quae a nobis perfici nequeunt, v. g., desiderando pluviam). Quodam sensu voluntas dici potest inefficax etiam quando intendit quidem devenire ad actum sed solum in posterum; donec enim manus operi non apponatur, voluntas adhuc inefficax remanet. Tunc autem quidquid sequatur, homini voluntarium minime dicitur, etsi volitum esse possit, ut statim explico.

2073. *Quid de differentia inter voluntarium et volitum?*

Volitum est *obiectum* voluntatis; voluntarium autem est voluntatis *obiectum simul et effectus*. Hinc volitum latius extenditur quam voluntarium. Voluntarium enim ad effectus voluntatis efficacis restringitur (ut modo dicebam); volitum autem non solum ad eosdem effectus sed etiam ad alia voluntatis obiecta extenditur. Sic pluvia desiderata erit quidem volita, sed non voluntaria; et idem dic de multis quae desiderio, approbatione, complacentia etc. voluntas amplectitur, quin illa causaverit; illa quippe omnia volita quidem sed non voluntaria erunt. Approbas, v. g., actionem alterius; illa erit a te volita. Ipsemet illam ponis; erit tibi voluntaria.

2074. *Quid de distinctione inter voluntarium perfectum et imperfectum?*

Voluntarium *perfectum* contingit quando plena cognitio et plenus consensus intervenit. Si autem cognitio non plena aut consensus non plenus interveniat; tunc voluntarium *imperfectum* locum habet.

2075. Sed quandonam aderit plena cognitio et plenus consensus? Plena cognitio et plenus consensus considerari potest a parte actus et a parte obiecti.

2076. A parte actus cognitio erit plena si sit clara (non vero obscura et confusa). Item consensus erit plenus si fuerit non iam inclinatio dumtaxat vel lucta quaedam vel resistentia languida et debilis vel adhaesio instinctiva, sed vera deliberatio quae modo humano locum habuerit. Casus autem cognitionis non plenae et consensus non pleni praesertim in repentinis eventis (v. g., aggressionis, incendii etc.) quae vehementissimos animi motus statim suscitent; aut in statu pueritiae, vel semidementiae, vel semivigiliae, vel semiebrietatis; aut occasione vehementissimae passionis (v. g., irae) subito accensae, practice contingere solent. Sed de re ista in tractatu de peccatis sermo redibit.

2077. A parte autem obiecti cognitio erit plena vel non plena (et idem dic de consensu), secundum quod obiectum ex toto cum suis circumstantiis omnibus; aut solum ex parte co-

gnoscatur vel advertatur; ut puta, si quis occidat Petrum cognoscendo esse hominem, sed non cognoscendo esse clericum.

2078. *Quid de voluntario simpliciter et de voluntario secundum quid?*

Sensu scholarum casus iste contingit quando voluntarium est id quod fit, simulque voluntas fertur in oppositum quod non fit, sed fieri vellet. Exemplum habes in proiiciente suas merces in mare, ut in naufragio navem exoneret et vitam salvet. Ille quippe verissime vult proiicere merces, simulque vellet eas conservare; unde proiectio *simpliciter* (scilicet efficaciter et stricto sensu), conservatio autem *secundum quid* (scilicet inefficaciter, lato sensu, atque ad modum velleitatis) voluntaria est. *Cf. Ferretti* (*l. c.* 40. *div.* 5).

2079. *Quid de voluntario propter aliud et de voluntario propter se?* Voluntarium *propter aliud* est quod quaeritur tamquam medium ad aliud assequendum. Quod autem non tamquam medium quaeritur, voluntarium *propter se* appellatur. Exemplum. Titius sumit medicinam amaram ad recuperandam sanitatem. Recuperatio sanitatis propter se, medicinae vero sumptio propter aliud voluntaria est. *Ferretti* (*l. c. div.* 6).

2080. *Quid de voluntario in se et de voluntario in alio, seu in causa? Et quid de simpliciter permisso?*

Voluntarium in se est id quod a voluntate explicite appetitur et quaeritur. Titius, v. g., vindictae animo ignem domui Caii applicat, ut illius divitias ibi maxime coadunatas incendat, et sic nedum Caium ipsum sed etiam illius filios in extremam miseriam coniiciat. Utique haec omnia (scilicet domus destructio, amissio divitiarum, paupertas Caii et miseria filiorum) sunt Titio voluntaria in se. Interim observa 1. quod voluntaria in se ea quoque possunt esse quae non propter se sed propter aliud (tamquam media ad finem) voluntaria sunt; 2. quod etiam effectus illi qui ex actione remote sequuntur, si explicite intendantur ab illo qui eandem actionem ponit, sunt eidem voluntaria in se.

2081. *Voluntarium in alio seu in causa* contingit quando quis talem vel talem effectum minime intendit; illum tamen certe vel facile secuturum esse praevidet (sive distincte sive in confuso) ex actione (vel omissione) sua; neque ab illa abstinet, dum, nulla sufficienti causa excusatus, abstinere posset atque (intuitu eiusdem mali effectus) deberet. Exemplum habes in eo qui ebrietati indulget probe sciens se in ebrietate constitutum persaepe rixari, quamvis eius voluntas ipsas in se rixas mini-

me intendat. Etsi autem peccatum exterius compleatur solum quando sequitur effectus, a quo denominari solet; tamen reatus et culpa tunc tantummodo accidit quando interius voluntarie ponitur causa. Gradus autem huius culpae non semper aequivalet malitiae effectus secuturi; et bene contingere potest quod effectus sit malum gravissimum, et reatus in causa non adeo gravis vel etiam levis fuerit.

2082. Denique *simpliciter permissum* non dicitur voluntarium. Contingit quando quis praevidet quidem effectum, sed illum impedire non tenetur atque adeo non impedit. Exemplum habes in duce exercitus, qui in bello iusto ad expugnandam urbem tormenta in eum locum, in quo plures sunt innocentes, dirigere necesse habeat; istorum enim innocentium mors ne in causa quidem dici poterit duci voluntaria, sed simpliciter permissa dici debebit. *Ferretti* (*l. c. div.* 4). *

* Quum doctrina de voluntario *in causa* maximi momenti sit in praxi, sequentes explicationes hic superaddo. Imprimis bene distinguendum est, voluntarium *in se* a voluntario *in causa*. Quando aliquis effectus est intentus seu quaesitus, tunc est voluntarius in se; si vero esset praevisus sed non intentus, tunc voluntarius tantummodo in causa esse potest. Exempla. Turpia legis ad finem excitandi motus carnales; hi motus erunt voluntarii in se. Turpia legis ex curiositate praevidendo motus carnales esse subsecuturos, sed illos non intendendo; hi motus erunt voluntarii in causa. Sed non semper ac malus effectus sequitur ex causa (quae modo *actio* modo *omissio* esse potest), non semper (inquam) effectus ipse voluntarius in causa (scilicet imputabilis) est. Medicus, v. g., patitur motus carnales quia foeminis medetur, aut quia more religiosorum se non flagellat, non ieiunat etc. Nunquid hi motus, propter actiones vel omissiones huiusmodi erunt ei voluntarii in causa? Nequaquam; sed erunt solum *permissi*, ut dixi. Quid ergo exigitur ut aliquis malus effectus in causa voluntarius et imputabilis sit? Theologi multa enumerant: quae tamen ad duo reducuntur; oportet scilicet *1. ut ponere talem vel talem causam aut occasionem vere prohibitum sit, intuitu mali effectus; 2. ut subiectus, praevidendo effectum ipsum et mala fide procedendo, causam ipsam apposuerit.* Haec duo sunt explicanda.

Quoad primum: ad iudicandum quando intuitu mali effectus prohibitum sit, necne, ponere causam vel occasionem, perpendendae sunt circumstantiae, et fere solum in casibus particularibus decisio clara et accurata dari valet. Hic tamen generaliter observari potest quod regula suprema sumitur a recto ordine, qui interdum exigit ut, ratione mali effectus, modo sub gravi modo sub levi vetetur ne causa apponatur; interdum e contra exigit ut causa licite apponi possit, aut quod ratione praedicti effectus nullam specialem malitiam induat; interdum denique exigit ut, non obstante malo effectu, causa apponi nedum possit sed debeat. Incipiendo ab hoc ultimo casu, exemplis rem declaro:

Dux exercitus debet capere urbes, quamvis exinde innocentes quoque casu occidantur. — Parochus debet audire confessiones, quamvis exinde motibus carnalibus forte subiiciatur. — Peccatori occulto publice petenti Sacramenta ministrari debent, quamvis sacrilegium subsequatur. — Princeps (ubi ad maiora

2083. *Quid de voluntario positive et de voluntario negative?* Positive aliquid erit voluntarium quando ex actione; negative vero quando ex omissione culpabili sequatur. Inducit quis alium ad malum, instigando, impellendo etc. Hoc malum erit indu-

mala praecavenda id exigatur) meretrices et cultus falsos tolerare debet. — En itaque casus, in quibus, non obstantibus malis effectibus, rectus ordo postulat ut causae vel occasiones apponi nedum possint sed debeant.

Non obstante praevisione pollutionis (saltem secluso periculo consensus) licet quasdam confricationes facere ad sedandum molestum pruritum ex sanguinis acrimonia provenientem, aut equitare, aut colloquium honestum et utile habere cum persona diversi sexus, aut more solito aliquantulum vini sumere in coena, aut commodo situ decumbere in lecto etc. — Facile licitum est uxori petere debitum a marito, quamvis ille onanistice processurus sit. — Idem dic de petitione mutui ab usurario. — Idem dic de muliere ad Ecclesiam vel deambulationem se conferente, etsi, occasione ista, peccata alicuius praevideat etc. — En itaque casus, in quibus, rectus ordo postulat ut, non obstante malo effectu, causa apponi non equidem debeat sed possit.

Titius suam corporalem salutem temere gravibus periculis exponit, et morbum diuturnum contrahit; unde fit ut neque diebus festis Missam audire, neque in vigiliis ieiunare valeat etc. — Caius occidit inimicum suum, et ex hac morte sequitur quod dives aliquis creditor occisi insolutus remaneat. — Sempronius, si in coena tantillum carnis manducet, pollutioni nocturnae (utique ei non imputabili) subiicitur; sed die quoque veneris et sabbati in coena carnem manducat, unde etiam iis noctibus pollutionem patitur. — Nunquid Titio omissiones Missae et ieiunii; nunquid Caio damnum dicti creditoris; nunquid Sempronio pollutiones praedictis noctibus secutae, imputari debebunt? Minime. En itaque casus, in quibus rectus ordo postulat ut causis illicitis nulla, ex malo effectu superveniente, specialis malitia superaddatur; unde causae ipsae sunt quidem illicitae propter se, sed non propter effectus; qui in causa imputabiles minime evadunt.

Veniamus nunc ad exempla, in quibus subsistit reatus in causa, et mali effectus imputabiles sunt. Sclopetum explodis ad occidendum leporem, vel deiicis maceriem e tecto in viam sine consuetis cautelis, ita ut in utroque casu homines occidere possis. — Volenti hic et nunc alium occidere arma tradis. — Pharmacopola venena vel pharmaca abortiva vendit. — Munera proprii status, v. g., parochi, confessarii, medici, iudicis, tutoris etc. non addiscuntur vel negligenter adimplentur, unde malae vel pessimae consequentiae suboriturae erunt. — Superiores non corrigunt, non provident etc. dum corrigere et providere deberent etc. — Parentes, qui ad filios alendos sanitate indigent, negligunt curam propriae salutis et morbos contrahunt, unde non amplius filiis providere poterunt. — Malum perpetratur coram aliis, qui exinde scandalum patiuntur. — Vides aliquem in periculo vitae inscienter versari, et tu facile posses illum admonere ut sibi caveat, idque non facis etc. — In his et similibus casibus utique rectus ordo postulat, ut causae huiusmodi apponi nequeant, et quod effectus, qui exinde subsequerentur, vere imputabiles in causa sint; quatenus scilicet, illam apponendo, contra iustitiam, vel charitatem vel aliam virtutem peccatum interveniat.

Reatus autem in causa interdum levis esse potest, quamvis effectus sit graviter malus. Exemplum habes in muliere, quae viro suo blasphemandi aliquam occasionem levem (etsi culpabilem) praebeat. Idem dic si quis, sive

centi voluntarium positive. Pater non corrigit filium, qui proinde ad malum declinat. Hoc malum erit patri voluntarium negative.

2084. *Quid de voluntario directo et indirecto?* Voluntarium

propter lectionem aut confabulationem leviter peccaminosam, sive propter aliquam intemperantiam in cibo vel potu, pollutionem nocturnam praevideret.

Ad distinguendum autem casum a casu, an scilicet reatus in causa sit gravis vel levis, aut adsit vel non adsit, regula tuta habebitur a sensu communi. Deservire etiam possunt quaedam regulae seu reflexiones quae ab Auctoribus indicantur; nempe

1. Consideretur effectus, quantum scilicet sit malus, et an sit certus vel incertus. Sic aliud est si aliquis motus carnalis, aliud si pollutio, aliud si consensus, aliud si insuper magnum scandalum, aliud si homicidium etc. praevideatur.

2. Consideretur an commodum et facile, an vero incommodum et difficile sit a causa apponenda abstinere. Regulariter quo peior et certior est malus effectus, eo gravius debet esse incommodum, ut excuset. Ad aestimandum tamen incommodi gradum, respici debent circumstantiae, inter quas consideranda venit etiam frequentia casus. Sic foemina, quae animadvertit suum egressum e domo fore alicui occasionem peccandi, teneri quidem poterit ad non exeundum una vel altera vice, non vero tempore diuturno. Non tamen exacta est regula ut, ad causam mali effectus licite apponendam, oporteat ut bonum malum compenset. Titius, v. g., praevidet quod, petendo decem francos a Caio suo debitore, ille iracundia accendetur et blasphemabit. Nunquid debebit abstinere a crediti sui petitione, quia bonum obtinendi decem francos malum blasphemiarum non compensat? Imo regula considerandi an facile sit a causa apponenda abstinere, interdum nullatenus locum habet; dantur enim casus in quibus homo a causa ipsa abstinere posset facile, imo (sub alio respectu) deberet; et nihilominus malus effectus ei non imputatur. Nunquid enim praedictae blasphemiae imputabiles essent Titio, eo quod ipse ditissimus foret illisque decem francis non indigeret; imo ad pravum luxuriandi finem illos peteret? Hinc, praeter considerationem effectus et motivum ponendi causam, alia etiam sunt consideranda; scilicet

3. Consideretur an et quanta sit connexio inter causam et effectum; aliud enim est si causa sit suapte natura connexa cum illo effectu, et quasi ex se (uti aiunt) ordinata ad hoc; an vero sit indifferens ad alia multa, aut solum per accidens talem effectum habere possit, aut remote vel remotissime ad illum se habent. Praevides, v. g., pollutionem quia turpia vivide imaginaris. En connexio magna suapte natura, et en proinde gravis reatus in causa. Praevides e contra pollutionem ex esu carnis vel piscis, aut ex rasura barbae etc. En connexio accidentalis et remotissima, quae facile pro nihilo haberi poterit.

4. Plurimum interest etiam, an antecedenter ad pravum effectum, ius habueris ponendi causam; an vero e contra speciali tenereris obligarione cavendi ne effectus ipse subsequeretur. Sic uxor ius habet petendi debitum, simulque speciali tenetur obligatione ne virum suum offendat etc. Hinc facile poterit debitum petere, etsi viri onanismum praevideat; sed si virum offenderet et sic ille animo ab nxore sua alienatus ad alias mulieres diverteret, de adulteriis istis uxor innocens minime esset. Sic etiam genitores, tutores, medici, iudices etc., si propter negligentiam in munere proprio adimplendo, malos effectus provocarent, utique de iisdem (ut supra dicebam) rei in causa forent.

directum et indirectum alii cum voluntario in se et voluntario in causa; alii vero cum positive et negative voluntario confundunt. Ego dicerem distinguendum esse inter voluntarium perfecte directum, et partim directum partim indirectum. Voluntarium scilicet tum in se tum positive, est perfecte directum (Gubernator navis, v. g., illam in syrtes coniicit ut naufragium faciat). Voluntarium in causa dumtaxat simulque negative dumtaxat, est perfecte indirectum (Gubernator navis, v. g., desistit a gubernando ut iocis indulgeat, non vero ut naufragium accidat, quod tamen sequitur). Voluntarium denique

5. Notant denique Theologi posse quidem permitti mala ut eveniant bona, sed non posse fieri mala ut eveniant bona. Cavendum itaque ne effectus malus sit reapse malum non permissum tantummodo, sed vere factum, etsi cum intentione boni effectus ex ipso subsecuturi. Ut malum sit permissum tantummodo, oportet ut id quod fit sit bonum, et bonum immediate producat, etsi simul aeque immediate producat etiam malum quod non intenditur. Si autem id quod fit esset malum nullo pacto faciendum, ex eoque bonum intentum sic mediate subsequeretur; tunc malum non iam permissum sed factum esset, quod utique (ut patet ex terminis ipsis) nunquam licitum esse potest. Exempla. Puella gravida infamiam declinare intendens, procurat abortum. Mulier, stomachi vel uteri morbo laborans, ad leniendum morbnm ipsum, pollutionem tamquam medium adhibet. (*Vide Praxis Vol. I. ed. II. n. 906*).

Sic explicatum est quandonam ponere causam vel occasionem prohibitum sit intuitu mali effectus; quod est primum requisitum, ut reatus in causa subsistat. Restat ut aliquid dicatur de secundo. Itaque

Quoad secundum. Oportet (ut dixi) quod malus effectus praevideatur et mala fides, dum causa ponitur, subsistat; si enim quis malum effectum non praeviderit, vel utcumque bona fide processerit, quomodo reus in causa esse poterit? Peccatum esset quidem materiale, sed non formale et imputabile.

An autem malus effectus praevisus fuerit revera, est quaestio facti, et standum conscientiae subiecti. Si tamen ille ex antiquitate casus non recordaretur an effectum praeviderit; standum esset praesumptioni. Effectus praesumitur praevisus in duobus casibus; 1. si natura sua vel communiter sequi soleat (Ancilla, v. g., puerum biennem sibi commissum reliquit lungo tempore inter pericula ignis, aquae, animalium, praecipitiorum etc.; unde puer in aliquo ex his periculis periit); 2. si quis iam sciebat ex propria experientia talem effectum sibi contingere solere, v. g., se in ebrietate blasphemare, turpiter loqui, rixari etc.

Innui tamen sufficere si malus effectus vel eiusdem periculum praevideatur *in confuso*. Casus esset si malum praevisum fuisset in genere atque indeterminatim, prout si pater praevideret ex negligentia sua circa educationem filios peccata (quin sciat qualia) esse commissuros.

Denique est bene notandum quod reatus in causa apud Deum et in conscientia contrahitur dum ponitur causa, non vero dum sequitur effectus. Reatus itaque subsistere potest quamvis effectus casu aliquo non subsequeretur, aut quamvis (dum effectus sequitur) homo poenitentiam egisset et in gratia Dei esset. Hoc tamen non impedit quominus peccatum ab effectu denominetur, et effectus ipse vere voluntarius (voluntate illa antecedenti) dici debeat.

in se quidem sed negative, erit partim directum et partim indirectum (Gubernator navis, v. g, non proiiciendo illam in syrtes sed desistendo a gubernando, naufragium intendit).

2085. *Quid de voluntario actuali, virtuali, habituali et interpretativo?*

Voluntarium *actuale* est quod procedit a voluntatis actu, qui hic et nunc in se existit et comitatur actionem. Exemplum habes in Sacerdote, qui, dum consecrat vel absolvit, non est distractus; sed eo ipso momento consecrandi vel absolvendi intentionem habet.

2086. Voluntarium *virtuale* est quod procedit a voluntatis actu non hic et nunc (propter distractionem) in se existente, sed elicito in principio actionis, atque adeo in actione ipsa (quae tota volita fuit) virtualiter continuato. Exemplum habes in Sacerdote qui consecraret vel absolveret distractus, et tunc ad consecrationem vel absolutionem ipsam minime attenderet.

2087. Voluntarium *habituale* est quod dependet a voluntatis actu neque hic et nunc in se existente, neque continuato virtualiter in aliqua actione ab eodem actu imperata; sed simpliciter antea emisso et non retractato. Exemplum habes in Sacerdote qui statuerit v. g. toto mense celebrare Missas iuxta talem vel talem intentionem; Missas autem celebraverit quin de eadem intentione amplius cogitaverit.

2088. Voluntarium *interpretativum* contingit quando quis ita est animo dispositus ut talem vel talem rem vellet si de illa cogitaret. Exemplum habes in Christifideli moribundo sensibus destituto, qui recipiendi Extremam Unctionem voluntatem interpretativam habet; item in patre qui si sciret filium male agere contentus non esset; item in amico qui si rogaretur de tali vel tali re commodanda consentiret etc. Voluntarium istud ad implicitum (de quo infra) reduci docet Lehmkuhl (*I.* 6); quatenus iam aliquando concepta fuit voluntas generalis, v. g., satisfaciendi obligationibus omnibus boni christiani; vel arcendi mala omnia a propriis filiis; vel benefaciendi amicis etc. At vero voluntarium interpretativum subsisteret quamvis de facto hae verisimiles intentiones generales nunquam efformatae fuissent.

2099. *Quid de voluntate expressa et praesumpta?* Haec distinctio non respicit voluntatem in se, bene vero illius manifestationem; et locum habet praecipue quando quis ex aliena voluntate (expressa vel praesumpta) aliquid agit. Voluntas dicitur *expressa* quando verbis aut nutibus expressa fuerit. (Exemplum habes in iubente, consulente etc.). *Praesumpta*

autem potest esse duobus modis, scilicet quando vel tacita vel interpretativa sit. *Tacita* dicitur quando non ex verbis, sed, vel ex silentio vel ex aliquo facto, realis et actualis consensus praesumatur (Exemplum habes si quis iam a longo tempore vidente et non contradicente Episcopo confessiones audiret). *Interpretativa* autem dicitur quando de consensu non reali et actuali, sed solum futuro et hypothetico (quatenus scilicet obtineretur si peteretur) ex indiciis sufficientibus praesumi debeat. Huiusmodi consensus interpretativus in quibusdam casibus quidem sufficere potest, sed non in omnibus ; unde absolutio, quae daretur a simplici Sacerdote qui praesumeret Episcopum esse consensurum si rogaretur, invalida esset.

2090. *Quid de aphorismo: « Qui tacet consentire videtur » ?*

Haec est regula iuris in sexto N. 43 ; ita tamen ut adsit quoque alia regula N. 44, quae dicit : « Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur ». Has duas regulas non esse contradictorias, sed secundam de casu interrogationis directae ad habendam confessionem vel negationem facti alicuius; et primam de aliis casibus loqui dicunt Canonistae; qui exceptionibus quoque easdem subiici asserunt. Quid igitur concludendum ?

I. Imprimis oportet ut qui tacet audierit interrogationem, vel sciverit agi negotium de quo est quaestio an consentiat vel non consentiat.

II. Qui non respondet interrogationi privatae et directae ad habendam ab eo confessionem vel negationem facti alicuius (ut puta, si interrogaretur an commiserit tale delictum, an fecerit talem contractum, an sciat talem vel talem rem alium fecisse vel dixisse) ; qui, inquam, ad huiusmodi interrogationes privatas tacet, pro confesso (saltem ita ut confessio probationem iudicialem constituat) minime habetur. Aliud esset si in iudicio ipso interrogatio legitime facta fuisset. *Cf. Reiffenstuel* (*Reg. iur. XLIV*).

III. Interrogatus de consensu, an scilicet de tali vel tali re exequenda contentus sit, si taceat, regulariter (id enim non semper verum est) non iam se consentire, sed se esse perplexum indicaret.

IV. Interrogatus tamen de duobus, si non taceret omnino, sed de uno negaret vel se excusaret, et de altero sileret, hoc alterum fateri vel de eo consentire censeretur. *Ballerini* (*Op. theol. I.* I. 35).

V. Praescindendo a casu interrogationis, et loquendo de casibus in quibus homo videt aliquid (quod sibi interest) ab aliis

fieri, et tacet, utique silentium istud facile pro consensu haberi debebit; sed non semper. Enimvero

VI. Silentium pro consensu non habetur si iura consensum expressum exigant. Casum habes in contractibus, et speciatim in sponsalibus et matrimonio. Excipe tamen nisi pro filia praesenti et non contradicenti pater (non vero tutor, vel frater etc.) sponsalium, vel etiam matrimonii, consensum praestarent. *Cf. Reiff.* (*l. c. XLIII.* 14) et *Sanchez* (*II.* xxxi. 5).

VII. Silentium pro consensu non habetur, si ex specialibus indiciis appareat consensum non subsistere vel praesumi non posse. *Reiff.* (*l. c.* 18).

VIII. Si autem nec iura exigant consensum expressum, nec specialia indicia in contrarium adsint, silentium habetur pro consensu imprimis in favorabilibus; nemo enim adeo stolidus censeri debet ut commoda, grata, amica, utilia etc. respuat, si offerantur, donentur, legantur etc.; dicente quodam Poeta: *Quis nisi mentis inops oblatum respuat aurum?*

IX. Etiam in praeiudicialibus silentium habetur pro consensu, dummodo qui tacet faciliter contradicere atque efficaciter damnum impedire potuisset. Exempla. Uxor ante oculos mariti minime contradicentis de eiusdem bonis dat eleemosynas (forte etiam statui non proportionatas), aut tales vel tales alias dispositiones facit. Pater constituit certam dotem (etsi forte minus competentem) filiae praesenti et non contradicenti. *Cf. Reiff.* (*l. c.* 5-9).

A fortiori autem in rebus indifferentibus silentium pro consensu haberi poterit.

X. Si quis ex officio deberet se opponere vel corrigere (dum prudenter atque utiliter ita se gerere posset); idque non faceret sed taceret, tale silentium cuiusdam consensus in damna subsecutura speciem haberet. Casus esset 1° in iis qui in Collegio communi tacent, dum a Collegio ipso aliquid iniuste aut praeiudiciose fieri vult; 2° in Superioribus qui graves subditorum defectus sciunt et non corrigunt, non puniunt etc. *Reiff.* (*l. c.* 10. 11).

2091. *Theologi faciunt etiam distinctionem inter voluntarium voluntate propria, et voluntarium voluntate aliena. Quid de distinctione ista?* Utique est consideranda; et voluntarium voluntate aliena contingit quando deficit quidem voluntarium personale; sed perinde est ac si adesset, quia voluntas aliena supplet. Exemplum habes nedum in peccato originali, sed etiam in voluntate tutoris (pro pupillo), et praecipue in lege sive

civili sive naturali, quae non raro (pro bono publico) supplet partiales defectus consensus speciatim in contractibus, qui subinde valent quamvis errores intercesserint etc., prout infra (*n.* 2106) melius explicabitur.

2092. *Quid de voluntario explicito et implicito?* Explicitum contingit quando voluntas vult aliquid *distincte cognitum* et *in se;* implicitum vero quando voluntas vult aliquid sive in causa (iuxta dicta *n.* 2081), sive cognitum solum in confuso, prout contingeret in acceptante officium, qui in officii ipsius obligationes omnes (etsi illas distincte in mente non habeat) consentit. Si autem aliquid ne in confuso quidem cognitum fuerit (ut puta, si quis occideret clericum credendo occidere laicum); aut (supposita cognitione) non iam fuerit volitum, sed solum permissum (iuxta dicta *n.* 2082), tunc voluntarium implicitum minime aderit. Interdum tamen adesse posset voluntarium voluntate legis, ut puta, si quis duceret in uxorem foeminam ignobilem et pauperem credendo illam nobilem et divitem esse.

2093. *Quid de involuntario?* Circa involuntarium notari debet quod tale esse potest duplici modo; scilicet contrarie, et negative. Involuntarium *contrarie* contingit quando voluntas est contraria, illudque subsequitur tristitia, ut puta, si quis occidat amicum credendo occidere inimicum. Si autem voluntas, etsi non adesset, tamen contraria non foret; tunc involuntarium *negative* contingeret; ut puta, si quis, credendo occidere canem, leporem occideret; aut, errando in via, latrones effugeret, aut, tales vel tales numeros per errorem publicae sortitioni exponendo, victoriam assequeretur etc.

PUNCTUM III.

De iis quae voluntario et libero opponuntur.

2094. *Quaenam voluntario et libero opponuntur?* 1. Ignorantia; 2. concupiscentia; 3. habitus; 4. coactio, et speciatim vis et metus. Ita Theologi, sed, meo sensu, addendus est etiam status in quo persona plus vel minus usu rationis ex aliis causis impediatur.

§ I.

De ignorantia.

2095. *Quo sensu hic accipitur ignorantia?* Lato sensu; nomine enim ignorantiae hic comprehenditur etiam nescientia, oblivio, inadvertentia; et quidem quatenus ista sive cum dubio sive cum errore aut firma persuasione coniungantur.

Stricto sensu, haec omnia conveniunt quatenus defectum praesentis cognitionis seu scientiae includunt; sed differunt quia *ignorantia* supponit defectum scientiae quae nunquam acquisita fuerit sed haberi deberet (quatenus ignorantia ipsa peccatum formale aut materiale constituat); *nescientia* supponit defectum scientiae quam quis habere non tenetur (ut puta, si vir rudis difficiliora et minutiora, quae ad theologos spectant, nesciat); *oblivio* supponit habitualem aut saltem aliqualiter permanentem defectum scientiae quae olim habebatur; *inadvertentia* supponit scientiae, quae habitualiter habetur, defectum transitorium dum aliquid agitur (scit, v. g., quis mendacium esse illicitum, sed ad hoc non advertens mentitur).

2096. *Explica quomodo ignorantia (et idem dic de nescintia etc.) modo cum dubio et modo cum errore aut firma persuasione coniungi possit?*

Ignorantia esse potest 1. cum dubio, v. g., dum quis ignorat an aliquid sit licitum vel illicitum, nullumque (nisi strictae dubitationis) iudicium efformat; 2. cum errore, seu cum iudicio falso, v. g., dum quis ignorat aliquid esse illicitum, illudque licitum esse iudicat. Sic autem cum aliquo suspectu erroris (quia, v. g., rationes non sint evidentes, vel quia reflectet non satis rem considerasse, vel non satis se esse ad iudicandum competentem, vel temere processisse etc.); aut e contra sine ulla prorsus dubitationis et cum firma persuasione, iudicare potest, ut dixi.

2097. *Quaenam sunt praecipuae divisiones ignorantiae?* Ignorantia potest esse 1. *iuris*, aut *facti*, aut *poenae*; 2. *Invincibilis* et *vincibilis*; 3. *Antecedens, consequens* et *concomitans:* 4. *Habitualis* et *casualis*: 5. *Totalis* et *partialis* : 6. *Substantialis* et *accidentalis*. De his aliquid dictum fuit supra *n.* 1733 et 1738; sed hic sunt melius explicanda.

2098. *Quid est ignorantia iuris, facti, et poenae?*

Est *iuris* quando versatur circa ius, quando scilicet quis ignorat talem vel talem legem subsistere; vel legem quidem cognoscit, sed ignorat quemdam casum sub illa comprehendi, (credendo, v. g., licitum esse mentiri ad salvandum aliquem a morte).

Est *facti,* quando versatur circa factum, quando scilicet quis ex mero errore facti credit se non peccare contra legem quam cognoscit (ut puta, si manducaret carnes die Veneris credendo esse diem Iovis).

Est *poenae,* quando versatur circa poenam, quando scilicet quis ignorat talem vel talem poenam cuidam delicto infligi.

2099. *Quid est ignorantia vincibilis, et quomodo dividitur?*

I. Ad constituendam ignorantiam vincibilem, oportet semper ut in mentem venerit dubium et cogitatio de possibilitate inquisitionum, quae discretae esse debent. Dico *discretae*, scilicet rei gravitati proportionatae; aliud enim est si circa solam poenam (v. g. an adsit censura), et aliud si circa licitum vel illicitum ignorantia versetur; et quoad ipsum licitum magnae diversitates esse possunt; aliud enim esset v. g. si de periculo occidendi hominem, aliud vero si de periculo occidendi canem ageretur.

II. Si haec ignorantia cum dubio coniuncta versetur circa licitum vel illicitum, ut sit vincibilis, non sufficit ut de sola possibilitate inquisitionum, sed exigitur ut etiam de earundem obligatione, cogitatio in mentem venerit. Qui enim, suborto dubio et cognita etiam possibilitate inquisitionum, bona fide crederet dubium sperni posse, et se non teneri ad inquirendum (vel satis inquisivisse, etsi de facto non satis inquisivisset); tunc etiam ignorantia (propter huiusmodi persuasionem) vincibilis minime foret. Sic itaque, quando agitur de licito vel illicito, ut ignorantia dici possit vincibilis, culpa et mala fides semper exigitur.

III. Quando quis, cognita possibilitate vel obligatione inquisitiones faciendi, illas non facit, sic se gerere potest vel 1° ex negligentia et pigritia, vel 2° ex affectu ad ignorantiam ipsam, quatenus scilicet (v. g., ad censuram non detegendam vel ad prosequendum in eo quod facere vult, minoremque remorsum habendum) veritatem detegere non vult; et hac de causa consilium non petit, ab Ecclesia et concionibus fugit etc.

In hoc secundo casu ignorantia est directe et studiose quaesita, atque *affectata* (ut alibi dixi) appellatur (unde ignorantia affectata cum ignorantia simulata confundi non debet).

In primo casu autem ignorantia est indirecte volita, et duplicis generis esse potest. Si enim negligentia fuerit talis ac tanta atque adeo inexcusabilis, ut quis nullam vel fere nullam, ad veritatem detegendam, curam adhibuerit, dum facillime illam detegere potuisset et sic negligentissimus fuisset; tunc locum habet ignorantia illa, quae *crassa et supina* dici solet (Cf.

Sanchez De Matr. IX. xxxii. 33); si vero curam quidem adhibuisset, sed non sufficientem et quantam apponere debuisset; et sic communi modo negligens fuisset; aut si ab inquisitionibus faciendis prorsus quidem abstinuisset, sed quia istae difficiles aut paullo difficiliores evasurae fuissent; tunc ignorantia *simpliciter vincibilis* appellatur.

2100. *Quid est ignorantia invincibilis?* Tripliciter contingere potest. 1. Si nullum dubium subierit, vel si ita subierit ut obligatio abstinendi ab actu antequam tales vel tales inquisitiones praecesserint cognita non fuerit. 2. Si inquisitiones proportionatae praestitae fuerint, sed istae ad errorem inculpabilem firma persuasione duxerint (Casum habes in dubitante an res quam accipere vult sit sua, et inquisitionibus factis persuasus remanserit esse suam, dum revera aliena erat). 3. Si, non obstantibus inquisitionibus, dubium vinci nequeat. Hic tertius modus est valde diversus a duobus primis, et haec diversitas probe attendi debet propter consequentias, ut *n.* 2104 explicabitur.

2101. *Quid est ignorantia concomitans, antecedens* et *consequens?* Ignorantia aliquando est causa actus (qui, ignorantia seclusa, non poneretur), et aliquando non (quatenus, ignorantia quoque seclusa, actus eodem modo poneretur). Si non sit causa actus, tunc dicitur *concomitans.* Exemplum habes in occidente inimicum credendo occidere feram, dum, si inimicum esse cognovisset, illum pariter occisurus fuisset. Si autem sit causa actus, tunc duplici modo sic esse potest. Primus est si nullatenus voluntaria fuerit, et tunc dicitur *antecedens* (quia quemlibet voluntatis actum antecessit), atque cum ignorantia invincibili confunditur. Exemplum habes in eo qui, firmiter credendo occidere feram, occidisset hominem, quem, errore detecto, nunquam occisurus fuisset. Secundus est si aliquo modo voluntaria fuerit, et tunc dicitur *consequens* (quia voluntatis actum subsequitur), atque confunditur cum ignorantia vincibili. Exemplum habes in eo, qui volens occidere feram, dubitando de periculo errandi et occidendi hominem, atque adeo reflectendo ad obligationem inquisitiones casui proportionatas faciendi, illas non fecisset, hominemque revera occidisset: illum tamen non occisurus si veritatem cognovisset.

2102. *Quaenam est ignorantia habitualis, quaenam casualis, quaenam totalis, quaenam partialis, quaenam substantialis et quaenam accidentalis?*

Habitualis versatur circa ea, quae habitualiter et secundum

omne tempus sciri debent, cuiusmodi sunt mandata Dei et Ecclesiae necnon munera proprii status.

Casualis versatur circa casum particularem, ut puta, si quis hodie esse vigiliam ignoraret; vel dum tegulas e tecto in viam deiicit, hominem eo momento transire non reflecteret.

Totalis contingit quando actus malitia totaliter ignoratur, ut puta, si quis surriperet rem alienam credendo esse suam.

2103. *Partialis* e contra contingit quando actus malitia ex parte cognoscitur et ex parte ignoratur, ut puta, si quis surriperet rem sciendo esse alienam sed ignorando esse sacram.

Substantialis est si rei substantia ignoratur, ut puta, si quis emat vitrum pro gemma, vel ducat Caiam pro Sempronia, vel contra Titium explodat sclopetum credendo esse vacuum illumque occidat. *Accidentalis* est si circa qualitates vel circumstantias versetur, ut puta, si quis occideret hominem ignorando illum esse clericum, vel duceret Caiam ignorando illam esse improbam, pauperem, etc.

2104. *An ignorantia invincibilis tollat voluntarium, et excuset a culpa?*

Restringendo sermonem ad illud praecise ad quod ignorantia refertur (*n.* 2103), et supponendo quod ignorantia sit invincibilis sensu indicato in primis duobus casibus supra expressis (*n.* 2100), quod scilicet nullum dubium subierit vel inquisitiones ad errorem cum firma persuasione coniunctum duxerint; utique dicendum est quod ignorantia huiusmodi (sive sit iuris sive facti) tollit prorsus voluntarium. De hoc nemo dubitat. Quis enim dixerit, v. g., voluntariam esse occisionem hominis, dum quis credebat occidere feram, et quidem ita ut hominem occidendi periculum nullo modo perspexerit? Aut quis dixerit peccatum bona prorsus fide mentientis ad salvandum a morte innocentem esse voluntarium? Porro in primo casu occisio quidem, sed non occisio hominis; in secundo autem mendacium quidem, sed non peccatum, voluntati adscribi potest. Quod autem ea quae ex ignorantia invincibili accidunt culpam non involvant, manifestum est; deficiente enim voluntario tum in se tum in causa, quomodo culpa adesse posset? Et confirmatur ex damnatione sequentium propositionum: « Infidelitas pure « negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, pecca« tum est » (*Prop.* 68. *Baii*). « Tametsi detur ignorantia invin« cibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem « ex ipsa non excusat a peccato formali » (*Prop.* 2. *damn. ab Alex. VIII*). Hinc Augustinus (*De ver. Rel. XIV* 27) scripsit:

« Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo « sit peccatum (formale) si non sit voluntarium. Et hoc qui-« dem ita manifestum est, ut nulla huic Doctorum paucitas, « nulla indoctorum turba dissentiat ».

Quod vero haec doctrina restringi debeat ad praedictos duos casus, neque extendi debeat ad tertium, in quo inquisitiones dubium vincere nequeant; patet quia tunc ignorantia invincibilis stat simul cum cognitione periculi inordinationem committendi, et proinde efficere potest ut talis periculi aditio culpabilis sit. Dixi *efficere potest;* distinctiones enim tunc quoque necessariae sunt, ut infra melius declarabitur.

2105. *An ignorantia invincibilis tollat voluntarium etiam quando sit concomitans?* Affirmative; unde scripsit Suarez (*De vol. et lib. I.* IV. 4): « Si quis omnino ignorans casu occidisset « inimicum, ita tamen esset dispositus, quod si sciret esse « inimicum, facilius occideret, non propterea illa actio censetur « illi voluntaria ». Ratio est quia, quamvis ille antea concepisset voluntatem occidendi inimicum, talis voluntas non fuisset causa praesentis occisionis, dum volebat occidere feram. Idque verum esset quamvis actu ipso voluntatem occidendi alia vice inimicum renovasset. Cf. Ballerini (*Op. theol. I.* III. 83-87).

2106. *An ignorantia invincibilis tollat voluntarium etiam quando non circa rei substantiam, sed circa qualitates aut circumstantias accidentales versatur?* Quando agitur de licito vel illicito certe qui consentit in substantiam, non ideo consentit etiam in qualitates aut circumstantias accidentales quas ignorat; unde, v. g., qui percutit hominem ignorando illum esse suum consanguineum vel benefactorem, voluntarie quidem contra iustitiam, sed non contra pietatem vel gratitudinem peccat. Sed quid de aliis casibus, et speciatim si agatur de contractibus, ut puta, si quis emat equum tardum credendo esse velocem, vel ducat in uxorem mulierem infirmam credendo esse sanam? Recolendum quod datur voluntarium voluntate personali, et voluntarium voluntate aliena, quatenus scilicet voluntas aliqua (v. g. Dei aut Principis) efficiat ut tamquam plene voluntarium habeatur quod tale non est; ut supra *n.* 2091 dicebam. Hoc praesupposito, sic dicerem: In huiusmodi casibus bene contingere potest quod circa qualitates istas deficiat voluntarium personale (et quidem etiam interpretativum, ita ut quis cognita veritate nullo modo esset consensurus); tamen adsit voluntarium voluntate aliena, quatenus leges humanae, imo ordinarie ipsum ius naturae, efficiunt ut propter commune

bonum contractus valere debeant, et perinde sit ac si voluntarium personale nullo modo defuisset. Hinc scripsit S. Lig. (*III.* 715): « Iure naturali ad contractum validandum sufficit « animus voluntarius quoad substantiam, licet sit involuntarius « quoad accidentia ».

2107. *Sed quid de ignorantia vincibili? Estne ipsa quoque expers a culpa? Tollitne ipsa quoque voluntarium in suis effectibus?* Negative ad utrumque. Enimvero

I. Quod ipsa in se non sit expers a culpa, patet in terminis ab eiusdem definitione; contingit enim quando quis obligationem addiscendi vel inquirendi animadvertit, et nihilominus addiscere vel inquirere non vult. Notandum autem quod ratio huius culpae est periculum: unde culpa aderit sive mali effectus sequantur, sive non.

II. Quod autem huiusmodi mali effectus (si sequantur) voluntarii sint, patet quia in iisdem voluntarium in causa subsistit; homo enim illos (sive distincte sive in confuso) praevidebat, atque (ignorantiam depellendo vel inquisitiones faciendo) ab iisdem praecavere debebat. Hinc ipsae leges civiles delicta etiam quae in ebrietate, vel ex incautela, vel ex ignorantia sive legis, sive rerum proprii officii (v. g. pharmacopolae, architecti etc.), committuntur, puniunt.

2108. *Culpa et reatus acciditne quando quis advertit ignorantiam esse depellendam, eamque non depellit; an vero etiam quando sequitur effectus?* Accidit certe quando ignorantia non depellitur; an autem subsistat etiam quando sequitur effectus, distinguendum est. Interdum homo advertit ad obligationem ignorantiam depellendi eo ipso momento quo ad actum procedit, et tunc, inquisitiones non faciendo atque ad actum temere procedendo, utique culpam et reatum contrahit etiam dum sequitur effectus (qui in actu ipso consistit); ut puta, si quis conspiciendo periculum occidendi hominem pro fera, sclopetum explodat et reapse hominem occidat. Interdum e contra, dum homo procedit ad actum, bene se gerere (bona prorsus fide) existimat, etsi ex ignorantia (quae olim culpabilis fuit) reapse male faciat. Exemplum habes in medico, qui artem suam exercere coeperit probe sciens se in gravi ignorantia versari; sed nunc in tali vel tali casu particulari (sive quia ad suam ignorantiam non reflectat, sive quia pro illo modicam scientiam sufficere existimet, sive denique quia necessitas urgeat etc.) bona fide remedia applicet, quae salutaria esse credat, sed reapse noxia sint. Tunc profecto reatus et culpa, non quando sequitur effectus, inter-

veniret; bene vero quando prius in debita scientia comparanda negligenter processum fuit, locum habuisset. Hic tamen malus effectus, etsi hic et nunc a culpa immunis sit, imputabilis remanet, quatenus, etsi non sit voluntarius voluntate praesenti, tamen voluntate antecedenti, quae illius causam posuit, voluntarius est. Neque repugnat quod hoc sensu malus effectus imputari possit ei, qui, quando sequitur, nihil mali faciat; nonne enim homicidium imputaretur occisori, quamvis ille, dum mors sequitur, dormiret; imo et quamvis poenitentia ductus delictum suum flevisset atque a Deo veniam obtinuisset?

2109. *Quid de gradu diligentiae ad quam quis obligatur ad ignorantiam depellendam, ut haec vincibilis et culpabilis amplius dici nequeat?*

Evitanda est hoc in puncto rigidissima atque intolerabilis doctrina eorum, qui dicebant ignorantiam remanere semper vincibilem quando superest aliqua possibilitas (etsi solum remotissima) veritatem detegendi; et neminem scire posse ne forte propria indignitas, defectus orationis etc. divinae illuminationi obicem ponant; unde concludebant mensuram diligentiae practicae assignari non posse, hominemque semper formidare debere ne ex ignorantia vincibili procedat, Deoque rationem reddere debeat. Cf. Ballerini (*Op. theol. I.* III. 64).

Vera doctrina est sufficere diligentiam moralem, ea scilicet quae iudicio prudentum vel communi praxi sufficere censetur, ut (etsi forte erroris timor remanere possit) ad actum procedere liceat. Haec autem diligentia non unum gradum habet, sed modo maior exigitur, modo minor sufficit, iuxta diversam casuum gravitatem aliasque circumstantias. Sic v. g. ad non errandum maiorem circumspectionem habere debet iudex si agatur de sententia capitali, quam si de brevi carcere: item medicus si agatur de morbo gravi, quam si de levi adustione in digito. Generatim autem pericula remotissima sperni possunt; quis enim dixerit quod iter faciens in curru nocturno tempore teneatur mittere aliquem qui viam perlustret, ne forte ebrius in via ipsa iacens rotis conteratur?

2110. *An ignorantia vincibilis, quae (ut vidimus n. 2107) voluntarium non tollit, illud tamen minuat? Et proinde an peccans ex ignorantia vincibili, minus peccet quam si ex certa scientia peccaret?*

R. Per se loquendo et caeteris paribus, ignorantia vincibilis minuit voluntarium, atque efficit ut culpa sit minor; patet enim primo intuitu quod maior est perversitas illius qui iam

certus est se inordinationem committere, quam alterius qui de illa periculum tantummodo conspicit, et, veluti confidens illam non adesse, ita est animo comparatus ut, si inordinationem certe cognosceret, ab actu (vel omissione) abstineret. Et profecto in hoc secundo casu minus cognoscitur malum, minusque tenditur in malum, valdeque minus lex contemnitur. Aliqui dicunt doctrinam istam ad ignorantiam affectatam extendi non posse; sed hoc mihi clarum non est; eaedem enim rationes (etsi non totaliter) pro illa quoque vigent.

2111. Dixi *per se loquendo et caeteris paribus;* si nempe unicum peccatum ex ignorantia vincibili commissum cum unico et aequali peccato ex certa scientia perpetrato (quin aliae circumstantiae superaddantur) comparetur. Secus enim bene contingere potest quod malitia peccantis ex ignorantia vincibili (speciatim crassa et supina, maxime vero affectata) sit maior. Quid enim si ignorantia illa esset causa multorum malorum, ut in medico? Equidem tunc longe minus peccare posset alter, qui ex certa scientia peccatum aliquod aliis non damnosum committeret. Item reatus non minueretur si quis peccaret quidem cum ignorantia, sed non ex ignorantia, dum scilicet ita animo comparatus esset, ut peccatum etiam certe cognitum commissurus foret. Augeretur insuper reatus si quis inquirere negligeret quia legem et legislatorem positive contemneret et flocci faceret. Cf. Ballerini (*l. c.* 90. 93).

2112. *Quid exigitur ut reatus ignorantiae vincibilis et culpabilis sit gravis?* Praescindendo a conscientia erronea, duo exiguntur: scilicet

I. Ut studium vel circumspectio vere adhiberi debeat sub gravi; quid enim si inordinatio, de qua est periculum, levis momenti foret, ita ut, etsi certe cognosceretur, peccatum mortale minime constituere posset, ut puta, si quis nonnihil erraret in officio, eo quod inspicere Kalendarium eum pigeret? Oportet itaque ut de re gravis momenti agatur. Sic sub gravi tenetur unusquisque studium adhibere ut addiscat catechismum et ea quae pertinent ad munera proprii status, v. g., parochi, episcopi, confessarii, iudicis, medici, notarii etc.; ex ignorantia enim in rebus huiusmodi mala gravia, et subinde gravissima, subsecutura essent. Sub gravi pariter adhibenda esset circumspectio si hic et nunc alicuius gravis mali (v. g., inferendi grave scandalum vel temporale damnum proximo in vita vel honore vel bonis fortunae) periculum adesset. Sed ad gravem culpam constituendam non sufficit ut sub gravi studium vel circumspectio adhiberi debeat; bene vero oportet

II. Ut negligentia, attentis circumstantiis, tamquam gravis et sufficiens ad mortale iudicari debeat; etsi enim ageretur de rebus gravibus (quae sub gravi diligentiam exposcant) negligentia posset esse ita levis, ut (quamvis grave malum reapse sequeretur) ad gravem culpam minime sufficeret. Exemplum habes in levi negligentia in addiscendo catechismo etc., vel in levi defectu circumspectionis in curando infirmo, in causa examinanda ante sententiam etc. Cf. Ballerini (*l. c.* 94. 95).

2113. *Reatus itaque ignorantiae culpabilis debetne aestimari iuxta effectum secutum?* Negative; contingere enim potest quod nullus malus effectus acciderit, et nihilominus ignorantia graviter vel gravissime culpabilis fuerit; et e contra quod malum gravissimum secutum fuerit, et nihilominus ignorantia vel inconsideratio levis et venialis prorsus extiterit. Gradus itaque reatus non a gradu mali effectus, sed a gradu malitiae in negligentia vel incautela antecedenti aestimari debet. Ex hac autem doctrina sumenda est regula pro accusandis in confessione huiusmodi peccatis. Sic, v. g., medicus qui diceret: *culpâ meâ mortuus est homo,* sufficienter quidem se accusaret si solum defectum circumspectionis in illo casu particulari (non examinando naturam morbi etc.); non vero si etiam antecedentem ignorantiam culpabilem, quae multorum similium casuum poterat esse causa, adhuc accusare deberet.

2114. *Daturne ignorantia invincibilis circa praecepta iuris naturalis?* De hoc vide dicta (*n.* 1784).

2115. *Quid scire tenentur ii qui publica officia, v. g., parochi, confessarii, medici etc. exercent vel exercere volunt?* Regula est ut sciant de ordinariis prompte iudicare, et de extraordinariis saltem dubitare, ut occurrente casu studium speciale adhibeant vel consilium petant. Haec tamen melius declarabuntur ubi de officiis particularibus sermo habebitur.

§ II.

De concupiscentia.

2116. *Quid est concupiscentia?* Est *motus appetitus sensitivi,* qui tendit ad bonum sensibile (quod nempe cadit sub sensibus vel imaginatione) assequendum (cuiusmodi essent delectationes, divitiae, gloria etc.), et malum sensibile (v. g., dolorem, paupertatem, infamiam etc.) vitandum. Concupiscentia itaque non est motus rationis, bene vero passionis (scilicet appetitus

irrationalis, qui ut plurimum, et maxime si agatur de luxuria vel ira, cum alteratione corporis coniungitur). Huiusmodi tamen motus bonus vel malus esse potest, secundum quod praedictum bonum vel malum sensibile tamquam verum bonum aut verum malum a ratione quoque iudicandum vel non iudicandum sit. Exemplum habes in appetitu cibi, rei venereae, vindictae etc., qui bonus vel malus esse potest etc. Hinc concupiscentia non solum in rebus peccaminosis (quo casu *fomes peccati* dicitur), sed etiam in rebus licitis et virtuosis intervenire potest.

2117. *Quotuplex est concupiscentia?* Alia est *antecedens* et alia *consequens*. Dicitur antecedens quando est involuntaria; quod contingit 1° si absque ulla advertentia incoeperit et perduraverit; 2° si advertentia quidem adfuerit, sed voluntas in culpa non fuerit (esset autem in culpa sive consentiendo sive negligentiam adhibendo). E contra dicitur *consequens* quando est voluntaria; quod etiam duobus modis contingere potest. Primus est si post deliberationem vel consensum voluntatis, concupiscentia sponte sua et *naturaliter* excitetur vel adaugeatur. Secundus est si concupiscentia ipsa non sic naturaliter sed *studiose* excitata vel adaucta fuerit; si nempe voluntas id procuret, sive ut exinde maior delectatio capiatur, sive ut facilius, citius, melius etc. propositum ad effectum deducatur. Iuxta secundum modum concupiscentia est directe intenta; non item iuxta primum.

2118. *Quid de concupiscentia relate ad voluntarium et reatum?* Hoc in puncto aliud dici debet si concupiscentia sit antecedens, et aliud si sit consequens.

2119. *Quid itaque si concupiscentia sit antecedens?* Concupiscentia antecedens, si sit vehemens, voluntarium et reatum 1. minuit; 2. aliquando tollit; 3. ordinarie non tollit.

2120. *Quomodo probatur quod vehemens concupiscentia antecedens voluntarium et reatum minuat?*

Probatur 1. quia impedit considerationem; anima enim magnopere absorpta passione plus vel minus impedita remanet ne alias functiones, et proinde reflexionem et rationem, exerceat; unde dicere solemus quod passiones excoecant, lumen oculorum tollunt, velum rationi obducunt, atque efficiunt ut homo nesciat quid faciat. Insuper voluntas tunc versatur in conspectu difficultatis maioris, quam proinde difficilius superare poterit. Denique passiones ea organa corporis, quae ad intelligentiae et liberi arbitrii exercitium deserviunt, plus vel minus turbant

atque ad proprium officium minus apta reddunt; unde hominem quasi ad statum ebrietatis aut semidementiae reducere possunt *.

Probatur 2. Ex legibus civilibus quae mitiores poenas applicare solent quando delictum in magno passionis aestu commissum fuerit. Hinc homicidium commissum in rixa minus punitur quam praemeditatum. Idem dic de abortu et infanticidio perpetrato ad salvandum honorem; et si maritus uxorem et adulterum in flagranti repertos occidisset etc.

* S. Th. (*1. 2. q. 37. a. 1.*) scripsit: « Cum omnes potentiae animae in « una essentia animae radicentur, necesse est quod, quando una potentia in« tenditur in suo actu, altera in suo actu remittatur, vel etiam totaliter in suo « actu impediatur; tum quia omnis virtus dispersa fit minor, unde e contrario « quando intenditur circa unum, minus potest ad alia dispergi; tum quia in « operibus animae requiritur quaedam intensio, quae dum vehementer appli« catur ad unum, non potest alteri vehementer attendere. Et secundum hunc « modum per quamdam distractionem, quando motus appetitus sensitivi forti« ficatur secundum quamcumque passionem, necesse est quod remittatur vel « totaliter impediatur motus proprius appetitur rationalis, qui est voluntas ». In opere *De malo* (*q. 3. a. 11*) subiunxit: « Passio obnubilat et ligat iudi« cium rationis ».

Et (1. 2. q. 77. a. 2.) dixit: « Per quamdam immutationem corporalem, ex « qua ratio quodammodo ligatur, ne libere in actum exeat, sicut etiam somnus « vel ebrietas, quadam corporali immutatione facta, ligat (passio) usum ra« tionis. Et quod hoc contingat in passionibus, patet ex hoc quod aliquando, » cum passiones multum intenduntur, homo amittit totaliter usum rationis. « Multi enim, propter abundantiam amoris et irae, sunt in insaniam conversi ».

Hinc conclusit (*1. 2. q. 73. a. 6*): « Causae quae diminuunt iudicium ra« tionis,.... diminuunt peccatum, sicut diminuunt voluntarium ». Et (*1. 2. q. 6. a. 7. ad 3*) : « Si concupiscentia totaliter cognitionem auferret, sicut con« tingit in illis qui propter concupiscentiam fiunt amentes, sequeretur quod « concupiscentia voluntarium tolleret. Sed quandoque in his, quae propter « concupiscentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio ». Denique (1. 2. q. 77. a. 6): « Passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium ». Et *De malo* (q. 3. a. 11. ad 3): « Quanto passio fuerit fortior impellens ad pec« candum, tanto (peccatum) fit minus ».

Oportet tamen ut agatur de concupiscentia vere antecedenti, involuntaria et inculpabili; quod bene notavit ipse D. Th. (*1. 2. q. 77. a. 7*) inquiens: « Passio quandoque est tanta quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet « in his qui propter amorem vel iram insaniunt; et tunc, si talis passio a « principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia est volun« tarius in sua causa, sicut de ebrietate (*in qua ebrius blasphemet*) dictum « est. Si vero causa non fuerit voluntaria sed naturalis, puta, cum aliquis ex « aegritudine vel aliqua huiusmodi causa incidit in talem passionem, quae tota« liter aufert usum rationis, actus omnino redditur involuntarius, et per con« sequens totaliter a peccato excusatur. Quandoque vero passio non est tanta, « quod totaliter intercipiat usum rationis, et tunc ratio potest passionem exclu« dere divertendo ad aliquas cogitationes, vel impedire ne suum consequatur « effectum......; unde talis passio non totaliter excusat a peccato ».

2121. Equidem Rigoristae hanc doctrinam reiiciunt et dicunt quod concupiscentia (etiam antecedens), potius quam diminuat, auget voluntarium, quia tunc voluntatis obiectum vividius apprehenditur et ardentius appetitur. Sed argumentum istud illusorium est; semper enim verum est quod, sub influxu magnae passionis, rationis iudicium turbatur et liberum arbitrium magnam vim patitur, eiusque indifferentia tollitur; unde libertas valde minuitur. Non autem est ratio quae melius cognoscat, sed est sensus et imaginatio. Quod vero voluntas maiori propensione in obiectum feratur, provenit longe magis ab impulsu (quem subit a passione), quam ex vi et libertate propria. Unde concludendum quod maior illa apprehensio et propensio longe magis parti inferiori atque (ut ita dicam) brutali, quam parti superiori et rationali, seu rationi et voluntati (cuius ideo vis diminuitur) tribui debet.

2122. *Quomodo probatur quod concupiscentia antecedens voluntarium et reatum aliquando prorsus tollit?* Quod aliquando (etsi raro) casus huiusmodi contingere possit, probatur 1. quia dantur actus *primo-primi*, ita scilicet ut homo vehementissimo passionis aestu adeo subito accendatur, ut, antequam ratio deliberans occurrere et actum suspendere potuerit, solo instinctu (seu solis viribus quas cum brutis communes habemus) ductus, ad actum ipsum procedat. 2. Contingere potest etiam quod homo, quin antecedenter et in causa ullo modo reus extiterit, passione vehementi ita afficiatur, ut (quasi ebrius) sui compos esse desinat, atque ad statum dementiae plus vel minus duraturae transeat, et sic in eo statu delicta (utique sine reatu) iuxta passionem ipsam committat. Sic docet etiam D. Thomas (Cf. textus supra allatos in not.). 3. Contingere potest denique quod homo (etsi sui compos) cognoscat quidem id quod facit, sed ad actus malitiam non advertat, et sic tunc quoque reatum non contrahat; unde scripsit S. Lig. (*V.* 3): « Potest autem « intellectus rapi a delectabilitate obiecti oblati, ut nihil mali- « tiae moralis in illo advertat ». Haec bene notent Confessarii, ne aliquas miseras animas in desperationem coniiciant.

2123. *Quomodo probatur quod concupiscentia antecedens voluntarium et reatum ordinarie non tollit?*

Probatur 1. Quia ordinarie nec de actu primo-primo, nec de transitu ad statum dementiae agitur, nec demum sufficiens malitiae advertentia deficit; non obstante enim vehementi passionis aestu, remorsus delinquentem, et quidem quam maxime (speciatim si agatur de delictis quae magnam impressionem

faciunt et non sine aliqua temporis mora complentur) exagitare, et quasi clamore magno rationem (ut statim accurrat) advocare simulque voluntatem a consensu deterrere solet.

Probatur 2. Quia secus delicta fere omnia excusare et tamquam a quovis reatu immunia habere deberemus (et quidem tanto magis quanto enormiora); quod est contra sensum communem, et contra omnes leges, quae in magna passione circumstantiam quidem attenuantem (ut supra dicebam), sed non gravitatem reatus tollentem, semper recognoverunt; unde doctrina de vi irresistibili (in personis quae sui compotes sint) admitti non potest *.

2124 *Quid de concupiscentia consequente? Imminuitne ipsa quoque voluntarium et reatum?*

Praenotandum (cum Lehmlkuhl *l.* 21) quod concupiscentia consequens saepe est *non mere talis*, bene vero est continuatio concupiscentiae antecedentis; et, quamvis evaserit consequens et voluntaria, hoc accidit ex voluntate quae a vehementi concupiscentia praecedenti pressionem iam subiit, et proinde minus voluntaria est. Exemplum habes in eo qui magno irae et vindictae aestu commotus in tentationem venerit occidendi inimicum (*en concupiscentia antecedens*). Advertens autem obligationem sedandi hunc motum perversum et reiiciendi tentationem, voluntarie negligit id facere, vel etiam se determinat ad inimicum ipsum, data opportunitate, occidendum (*en actus voluntatis elicitus sub pressione concupiscentiae antecedentis*). Continuat deinde vel crescit ira et vindictae appetitus (*en concupiscentia consequens, sed non mere talis, et quae potius est continuatio concupiscentiae antecedentis*). Sub hoc respectu concupiscentia consequens est voluntaria quidem, sed diminute; unde parum differt ab antecedente, atque adeo in delicto, quod forte sequatur, voluntarium ac reatum imminuere pergit.

2125. Interdum e contra concupiscentia consequens est *mere talis;* idque contingit quando quis, nulla aut levi concupiscentia ductus, se determinat ad delictum committendum, et deinde,

* Hinc scripsit D. Th. (1. 2. q. 77. a. 8): « Hoc solummodo potest contingere quod inclinatio animae in aliquo quod contrariatur ultimo fini non sit « peccatum mortale, quia ratio deliberans non potest accurrere, quod contingit « in subitis motibus. Cum autem ex passione aliquis procedit ad actum peccati « vel ad consensum deliberatum, hoc non fit subito; unde ratio deliberans potest hic accurrere; potest enim excludere vel saltem impedire passionem; « unde, si non accurrat, est peccatum mortale; sicut videmus quod multa « homicidia et multa adulteria per passionem committuntur ».

concupiscentiâ sive naturaliter sive studiose subortâ vel auctâ, delictum consummat. In hoc casu concupiscentia voluntarium et reatum non imminuit; et hac de re bene scripsit Tongiorgi (*Eth. n.* 120): « Licet concupiscentia consequens ita deinde « effervescat, ut etiam rationis usum impediat, nihilominus de « voluntarii ratione nihil imminuit: imo quidquid ex eius in- « fluxu tunc fit, voluntarium in causa censendum est ». Si autem homo sui compos (prout ordinarie contingit) remaneret, tunc concupiscentia consequens posset esse occasio ut voluntas ad novos magisque iniquos actus procedat, atque hoc sensu efficere ut voluntarium et reatus adaugeatur. Utcumque autem, quanta in voluntate fuerit intensitas perversitatis, ipsa signum erit. Hinc D. Th. (1. 2. *q.* 77. *a. b*) scripsit: « Concupiscentia « consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel « potius est signum magnitudinis eius : in quantum scilicet « demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati ».

§ III.

De habitu.

2126. *Quid est habitus?* Agitur hic de pravo peccandi habitu, qui etiam mala consuetudo aut vitium appellari solet. Locum habet quando quis frequenter et faciliter idem peccatum committere solet. Tria itaque exiguntur : 1. ut agatur semper de peccato eiusdem speciei; 2. ut lapsus sint frequentes; 3. ut homo (propter specialem inclinationem et pronitatem ex primis peccatis repetitis inductam) facile et prompte delinquat; donec enim quis cadat quidem (etiam frequenter), sed solum post seriam resistentiam, fragilis quidem (et in via ad habitum contrahendum), sed non adhuc habituatus (in rigore) dici posset.

2127. *An habitus tollere possit voluntarium?* Affirmative. Ut tamen deficiat voluntarium, duo exiguntur; scilicet 1. ut quis, propter habitum contractum, materialiter tantum delinquat; 2. ut non sit reus in causa. Sed haec sunt explicanda.

2128. *Ut deficiat voluntarium, dixisti oportere imprimis ut quis propter habitum materialiter tantum delinquat. Sed potestne reapse id contingere in praxi?* Affirmative; et speciatim in blasphemiis, imprecationibus aliisque peccatis linguae. Multi ita sunt ad blasphemandum assueti, ut iam blasphemiae pro iis intercalare (quod saepissime sine actuali advertentia profertur)

evaserint. Enimvero in praxi poenitentes interrogati an blasphemaverint advertenter, ordinarie respondent negative, et solum postea animadvertisse, quando blasphemia iam dicta fuerat. Quidam, audiendo alium dicentem *per Deum*, illum corrigebat dicendo: *Noli blasphemare nomen sanctum Dei, per Deum!* Hoc admittunt etiam Theologi cum S. Thoma, qui (2. 2. *XIII.* II. *ad* 3) dicit: « Blasphemia potest absque deliberatione ex « subreptione procedere, quod potest contingere cum aliquis « subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, « quorum significationem non considerat ». Equidem id negat S. Lig. (*III.* 127, *et Prax. II.* 31); sed alio loco (*De Act. hum. n. XIV*) idipsum admittit. Cf. Ballerini (*Op. Theol. Tr. VI. Sect. II.* 27. *et Comp. II.* 300. *not. b*).

2129. *Ut deficiat voluntarium, dixisti non sufficere ut quis ex habitu peccet materialiter, sed exigi etiam ut non adsit reatus in causa. Quandonam verificabitur quod reatus iste non adsit?* In duobus casibus, scilicet 1. Quando neque in habitu efformando, neque in negligenda illius emendatione, quis adverterit saltem in confuso se evadere reum malarum consequentiasum habitus pravi, seu se peccare intuitu illarum; 2. Quando quis adverterit quidem antecedenter se ita peccare; sed nunc seria attentione serioque conatu procuret emendationem, et nihilominus aliquando materialiter peccet (v. g., inadvertenter blasphemet). Hoc secundum admittitur a S. Lig. (*De Act. hum. n. XIV*) dicente: « Excusatur a culpa (habituatus) si adhibitis « diligentiis inadvertenter blasphemat ». Quoad primum, posset quis existimare non esse possibile quod sive in efformando habitu, sive in negligenda emendatione, quis non adverterit ad consequentias et se reddere reum etiam peccatorum futurorum. At vero bene possibile est quod homo de hoc non cogitet, vel saltem gravem reatum in hoc non apprehendat. Homines apprehendunt quidem peccata quae committunt, sed (maxime si sint rudes) ad habitum, quem sic contrahunt etc., parum vel nihil reflectere videntur. De efformatione habitus rectissime scripsit Ballerini (*Op. th. l. c.* 25); « In praxi vix reperies homines « ad hoc advertere, praesertim si a pueris incoeperint; neque, « si advertant, habent propositum ita frequentandi actum, ut « consuetudo inducatur, sed sibi pollicentur alias se non esse « blasphematuros ». Et quoad reatum in negligenda emendatione subiunxit (*ibi n.* 28): « Difficile esse statuere quando gravis « sit culpa, quoad eos qui causam utique retractant, et cona- « tum aliquem adhibent, qui tamen non semper sit intensus ».

Confessarii enim huiusmodi poenitentibus indicare quidem solent remedia, sed non addunt illa esse adhibenda ex stricta obligatione et maxime sub gravi ; unde poenitentes de sola exhortatione ad modum consilii facillime agi existimant. Equidem obligationes istae graves, et subinde gravissimae, in libris rectissime indicantur ; sed reatus non in libris sed in hominum conscientia residet.

2130. *Supposito vero reatu in causa, et suppositis peccatis sine actuali advertentia postea subsecutis, eritne habituatus reus de illis solis et de illis omnibus ; ita ut in confessione debeat illa sola et illa omnia accusare?* Est reus iuxta apprehensionem, quam habuit dum causam posuit, et iuxta illam se accusare debet. Si apprehensio erat de peccatis multis, et postea revera fuerint pauca, non sufficit si de his paucis se accuset : si e contra apprehensio erat de paucis peccatis, sed revera fuerint multa (materialiter), ad haec multa accusanda non tenebitur. Ita sensit etiam Ballerini, qui (*l. c.* 25) rotunde scripsit : « Inutile est a poenitente perconctari numerum horum « peccatorum seu actuum materialium ». Secus enim pater, qui ex defectu educationis est reus in causa de peccatis filiorum, de omnibus et singulis eorum peccatis se accusare deberet ; et idem dic de scandalosis etc. ; quod equidem contra sensum communem est.

2131. *An, quoad peccata formalia, habitus minuat vel augeat voluntarium?* Distinguendum est inter habitum non voluntarium et voluntarium. Si peccata committantur ex habitu non voluntario, tunc habitus minuit voluntarium, quia homo sub vi habitus est minus liber, ut maxime patet in illo qui totis viribus ad habitum vincendum incumbit, et nihilominus (propter magnam difficultatem ex consuetudine inductam) misere cadit. Si autem habitus ipse sit voluntarius, tunc non censetur minuere voluntarium ; si quae enim tunc quoque sit libertatis imminutio, iam voluntaria est. Cf. Suarez (*De vol. III.* III. 16).

§ IV.

De coactione in genere.

2132. *Quid est coactio?* Coactio *proprie dicta* contingit quando in impossibilitatem (physicam aut moralem) aliter faciendi ab agente extrinseco redigitur aliquis prorsus invitus. Tria igitur ad veram coactionem constituendam exiguntur : 1.

quod proveniat ab extrinseco; 2. quod inducat impossibilitatem aliter faciendi; 3. quod subiectus (sui compos) sit prorsus animo invitus, atque etiam externe (prouti potest) resistat et se liberare nitatur.

2133. *Quotuplex est coactio?* Coactio potest esse 1. Proprie dicta et improprie dicta; 2. Physica et spiritualis; 3. Absoluta et non absoluta.

2134. *Proprie dicta* est si cum definitione supra exposita perfecte concordet.

2135. *Improprie dicta* est si de definitione eadem aliquid deficiat, et nihilominus coactionis nomen adhiberi soleat, ut, puta, 1. Si non proveniret ab extrinseco, sed quis (v. g. timens de seipso) semetipsum constringeret, vel (utcumque) in aliquam necessitatem se coniiceret; 2. Si quis non prorsus esset invitus, vel pro viribus reluctando se liberare posset idque non faceret (*S. Lig. V.* XVI), maxime vero si consentiret ut alter in impossibilitatem aliter faciendi illum redigeret.

2136. *Physica* (seu corporalis) est quae immediate corpus; *spiritualis* vero quae immediate animam afficit. Utraque potest esse absoluta, et non absoluta.

2137. *Absoluta* est si nullo modo; *non absoluta* si difficile vel difficillime evadi possit, unde impossibilitas moralis aliter faciendi constituatur vel immisceatur.

2138. Exempla. Constringitur quis catenis. En coactio physica absoluta. — Apprehenditur foemina a viro, sed ita ut cum periculo mortis vel infamiae ab eiusdem manibus se subducere posset. En coactio physica quidem, sed mixta cum morali et non absoluta. — Cogitur quis prorsus sive a Deo sive a Daemone ut aliquid intelligat vel imaginetur. En coactio spiritualis absoluta. — Cogitur quis minis, aut precibus importunis, aut blanditiis vehementissime hallicientibus et continuatis, ut se resolvat ad aliquid promittendum, agendum etc. En coactio spiritualis non absoluta; quae dicitur etiam *coactio mere moralis*.

2139. Coactio physica (sive absoluta sive non absoluta) dicitur *vis*. Coactio autem mere moralis, si a formidine mali proveniat, *metus* appellatur.

2140. *An nedum corpus sed etiam voluntas cogi possit?*

R. I° Quod voluntas cogi possit *moraliter* (magnae scilicet reluctandi difficultati illam subiiciendo) affirmandum est, ut patet ex deliberationibus sub influxu metus gravis vel gravissimi elicitis. Cf. Suarez (*De Grat. III.* VIII. 16-17).

IIe An autem cogi possit *absolute*, inter coactionem directam et indirectam sequenti modo distinguendum est.

2141. Voluntas *directe* cogi nequit absolute; homo scilicet, physicis cerebri alterationibus minime subiectus et facultate cognoscendi atque volendi humano modo pollens, actu quo cognoscit rem esse vetitam, ad illam volendam coactione absoluta seu vi irresistibili cogi non potest. Patet ex sequentibus rationibus. 1. Quod homo cogatur velle eodem praecise tempore quo non vult, est contradictio in terminis; vellet enim nolens, quod ne Deus quidem efficere potest. 2. Quod homo, qui rem malam prius nolebat aut negative se habebat, postea per vim irresistibilem illam velle cogatur, hoc etiam nec vi humana nec vi diabolica contingere potest. Patet ex iisdem rationibus quae supra adduxi de concupiscentia; patet scilicet imprimis ex sensu communi et ex remorsu conscientiae; non obstante enim quacumque diabolica tentatione violentissima, et non obstante quocumque terrore (etsi mors ipsa comminaretur) homo (donec, ut dixi, humano modo cognoscat rem esse vetitam) suae voluntatis dominus semper reputatur, et, si tentationi succumbat, aut terroribus cedat, semper vituperatur, poenis civilibus (si quae statutae sint) subiicitur, et conscientiae remorsu pulsatur. Patet insuper ex necessitate publici boni; semel enim admissa absentia reatus propter vim irresistibilem, iam fraenum conscientiae magna ex parte (et quidem ubi magis exigeretur) non amplius subsisteret, et sic inordinationibus infinitis, maioribusque delictis aditus liberissimus aperiretur.

2142. E contra voluntas (etiam absolute) interdum cogi potest *indirecte*, ut ad actum humano modo volendi devenire nequeat; subtrahendo scilicet ea, quae ad volendum vel ad humano modo volendum necessaria sunt.

Hoc obtineri potest tum in homine sanae mentis, tum efficiendo ut homo sui compos amplius non sit.

In homine sanae mentis subtrahi possunt necessaria ad volendum, si, impediendo sive visum sive auditum aut inducendo illum in errorem, efficiatur ut rem aliquam aut eiusdem malitiam cognoscere nequeat; unde iam absolute impossibile sit ut illam velit, aut eiusdem malitiae consentiat; nihil enim volitum quin praecognitum.

2143. Daemon autem speciatim efficere potest ut homo sive habitualiter sive per intervalla sui compos esse desinat; inducendo scilicet physicam cerebri alterationem, quae duplicem effectum habere potest.

Primus est ablatio luminis intellectus seu usus rationis, inducendo hallucinationes, obliviones, delirium etc. D. Th. (*De malo III.* III. *ad* 9) scripsit : « Daemones facere possunt ut « homines non discernant species a rebus, in quantum (Deo « permittente) perturbant interiores vires sensitivas, quibus « perturbatis, ligatur usus rationis, quae indiget praedictis vi- « ribus ad actum suum » *. Et S. Lig. (*Prax. n.* 111) cum Scaramelli dixit : « Si (persona a Daemone coacta ad malum) « dicat quod tunc mens ei adeo obfuscatur, ut nihil (de actus « malitia) cognoscat, neque experiatur conscientiae remorsum, « immunis a peccato censeri poterit ».

Secundus effectus est impeditio liberi arbitrii, etsi cognitio aliquo modo remaneat. Scaramelli (*Direct. mist V.* VII. 68) dicit posse Daemonem efficere « ut anima vel nequeat uti in- « tellectu, vel *eo utendo* nequeat libere operari » ; et adducit auctoritatem Santii dicentis (*1. Reg. XVIII*) : « Experientia « compertum est, idque a Daemoniacis saepe audivimus, inter- « dum eos a Daemonibus ita esse correptos, ut nihil norint aut « sentiant ; interdum *cum integris sensibus et rationis et men-* « *tis omnino compotes*, agitantur ita vehementer in rem ali- « quam indecoram et turpem, ut, quasi (essent) impotes sui, « ferantur ad ea, quae animo proponuntur, praecipites ».

2144. Dixi *etsi cognitio aliquo modo remaneat;* quod enim hi auctores docent stare posse defectum liberi arbitrii (et consequenter voluntatem necessario operantem) simul cum pleno usu rationis, id (inquam) mihi non placet. Bene vero admitterem defectum liberi arbitrii contingere posse quando intellectus quoque defectum patitur, etsi, ut dixi, cognitio aliquo modo (scilicet modo non humano aut valde corrupto) remaneat. Sicut enim in bestiis, ita etiam in homine sui non compote, cognitio aliqua esse potest. Imo in homine vestigia quaedam iudicii et ratiocinii esse valent, etsi rationis usu proprie non gaudeat. Exemplum habemus in pueris, et in mentecaptis, qui subinde iudicant et ratiocinantur, etsi in ratiocinando nec perdurent nec connectant, et saepe iudicia falsa exprimant.

Notandum autem quod homo in huiusmodi statu quoque (scilicet etiam quando non est sui compos), aliquam malitiae

* Et (*1. 2. LXXX.* III) dixit : « Diabolus propria virtute, nisi refraenetur « a Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, « qui de suo genere peccatum est...., quod patet ex hoc quod homo motivo « ad peccandum non resistit nisi per rationem, cuius usum totaliter (Diabolus) « impedire potest..., sicut in arreptitiis (scil. energumenis) patet ».

cognitionem habere posse videtur; unde quis somniare potest esse illicitum id quod reapse non licet; et mihi notum est quod quidam manifeste mentecaptus se in puteum coniicere volebat, et deprehensus atque increpatus a famulis respondit: Nunquid creditis me rem hanc facere velle, neque me timere peccatum et infernum? Sed, recedentibus famulis, in puteum se coniecit.

His praemissis circa coactionem in genere, nunc de metu et violentia, quae sunt principales coactionis species, in particulari agendum est.

§ V.

Agitur in particulari de metu.

2145. *Quid est metus?* Definiri solet: « Instantis vel futuri « periculi causâ mentis trepidatio ». Clarius definiri potest: Apprehensio periculi nos inclinans ad illud fugiendum. Distinguitur a vi, quia vis corpori infertur, metus voluntati incutitur.

2146. *Quaenam sunt principales metus distinctiones?* Metus potest esse 1. Gravis vel levis; 2. Ab intrinseco vel ab extrinseco; 3. Incussus ad hoc vel non incussus ad hoc; 4. Iustus vel iniustus. 5. Impellens vel concomitans. Aliae quoque adsunt distinctiones secundariae, ut statim videbimus.

2147. *Quandonam metus dicitur gravis vel levis?* Dicitur gravis vel levis secundum quod persona multum vel non multum timet. Quia autem haec differentia modo ex diverso gradu mali et periculi, modo ex diversa dispositione subiecti, accidere potest; ideo in primo casu metus dicitur gravis vel levis *absolute*, et in secundo gravis vel levis *relative*.

2148. *Quandonam ergo metus erit gravis absolute, vel levis absolute?* Erit gravis absolute quando persona multum timeat, simulque duo concurrant; scilicet 1. quod revera malum sit grave; 2. quod revera sit vel certum, vel timendum valde. E contra erit levis absolute si persona parum timeat, quia vel malum sit leve, vel parum sit timendum.

2149. *Quaenam sunt mala gravia, quae metui absolute gravi locum praebeant?* Sunt mors, naufragium, mutilatio, grave vulnus, morbus, gravia verbera, stuprum, carceratio, ablatio substantiarum (atque adeo incendium, et incursus in latrones), amissio haereditatis, amissio officii etc. Venit deinde infamia; sed haec solet esse gravis absolute solum quando factum propalandum revera subsistat et excusari nequeat (ut puta, si ageretur de puella bonae famae gravida, vel de administratore

infideli, vel de viro gravi mendaci etc.); non vero si ageretur de calumnia quae fidem non esset obtentura, vel cui de facili occurri posset. Idem dic si praedicta mala gravia non sibi sed filiis, genitoribus, vel uxori, vel fratribus impenderent.

2150. *Quid de metu reverentiali?* Consistit in timore habendi infensos genitores. vel maritum, vel dominos, aliosve superiores. Ad constituendum metum istum, non oportet ut ab iisdem timeatur in particulari hoc vel illud malum, v. g., exhaeredatio, expulsio, verbera etc.; sed sufficit timor habendi illos infensos (ut dixi); quod enim personae huiusmodi infensae sint, utique malum est. Metus reverentialis an sit gravis vel levis pendere solet a diuturnitate simul et gradu; si enim personae huiusmodi diu et graviter infensae futurae sint, quid quam maxime molestum et malum absolute grave censetur, saltem si cum iisdem in eadem domo et familia convivendum esset. Agitur enim de malo quod quovis momento renovatur, iugiterque vitam infelicissimam reddit, et pene cuicumque levamini et consolationi aditum praecludit; ira enim (quae internum dolorem lenit) vel effundi nequit (et fortasse nequidem concipi potest, agitur enim de personis quae amari debent), vel malum adauget. Aliunde ubinam consolatio, si illi, a quibus expectari posset, infensi sunt?

2151. *Explica enucleatius quando metus sit gravis non absolute sed solum relative.* Iam dixi esse talem quando malum vel non est grave, vel non facile eventurum erit, et nihilominus subiectus magnopere formidat. Hoc autem accidere potest ex errore, ex credulitate, vel ex indole formidolosa, imbecilli, et pusillanimi. Speciatim in mulieribus, pueris, et senibus, atque in illis qui timore panico facile laborant, casus iste verificatur.

2152. *Metus, qui dici solet cadens in virum constantem, confunditurne cum metu absolute gravi?* Negative. Excludit quidem metum gravem relative; sed cum metu absolute gravi praecise non identificatur; bene vero ad eiusdem subdistinctionem pertinet; metus enim absolute gravis interdum quidem cadit in virum constantem, sed interdum non. Metus dicitur cadere in virum constantem quando vir quoque constans (scilicet intrepidus et prudens) absque ulla nota ei cedere potest. Metus autem absolute gravis vel gravissimus interdum quidem talis est (et exemplum habemus in dante vel promittente aliquid latroni ad salvandam vitam); sed interdum talis non est, ut puta, si quis ad salvandam vitam peccato consentiret: nunquid enim vir constans peccato metu mortis consentire poterit?

Observari potest quod metui cedere 1. aliquando non licet vel non decet; 2. aliquando licet et decet; 3. aliquando oportet vel expedit. Homo autem in conspectu metus potest esse vel 1. *Pertinax*, seu temerarius, seu audax; 2. *Inconstans*, seu vilis, seu pusillanimis etc.; 3. *Constans*, scilicet intrepidus et prudens. Pertinax non cedit etiam quando cedere oportet vel expedit. Inconstans e contra cedit etiam quando cedere non licet vel non decet. Constans denique media via se habet, et cedit solum quando cedere vel oportet, vel licet et decet. Cf. Ballerini (*Op. theol. I.* VI. 124).

2153. *Quid de distinctione inter metum ab extrinseco, et ab intrinseco?*

Haec distinctio respicit causam metus. Si haec causa vere subsistat extra subiectum, tunc metus dicitur *ab extrinseco;* si vero, deficiente causa exteriori, quis metu corripiatur, tunc *ab intrinseco* appellatur; quod contingit 1. si metus in errore aut imaginatione mere fundetur; 2. si quis de morbo animi vel corporis proprii aut de sua morte naturali timeat. Interdum autem metus partim est ab extrinseco et partim ab intrinseco; si nempe causa quidem timendi extrinsece subsistat, sed gravitati timoris (quem quis sua imaginatione adaugeat) proportionata non sit.

2154. *Metus ab extrinseco subitne subdistinctionem?* Utique. Potest enim provenire vel a causa naturali et necessaria (v. g., incendii, naufragii, pestis, terraemotus, animalium etc.); vel a causa libera (scilicet ab homine).

2155. *Quid de distinctione inter metum incussum ad hoc et non incussum ad hoc?* Haec est subdistinctio metus provenientis ab homine. Dicitur *incussus ad hoc* quando est directus ad obtinendum id quod praestatur; dicitur autem *non incussus ad hoc* quando ad id quod praestatur non dirigebatur. Iuvenis, v. g., deprehenditur in flagranti cum puella a patre puellae ipsius, qui iuveni mortem minitatur; unde iuvenis promittit illam in uxorem ducere. Hanc promissionem facere posset quia pater ei comminaretur mortem nisi filiam duceret; vel solum ad placandum patrem qui de matrimonio nihil dixisset. In primo casu metus erit incussus ad hoc; in secundo non item.

2156. *Quid de distinctione inter metum iustum et iniustum?* Metus dicitur iustus vel iniustus a parte illum incutientis. Ut autem metus sit iniustus (in sensu iuris) non sufficit quod utcumque sit irrationabilis (silicet irrationabiliter incussus), sed exigitur ut sit contra strictam iustitiam. Patruus, v. g., com-

minatur privare haereditate sua nepotem, nisi ducat Titiam nepoti ipsi invisam. Metus erit irrationabilis sed non iniustus. Bene vero esset iniustus si verbera aut mortem ei comminaretur. Ad constituendum tamen metum iniustum sufficeret si talis esset solum quoad modum. Casus esset si iuveni a sponsalibus inique resilienti fratres puellae derelictae minitarentur mortem nisi illam duceret; etsi enim ad matrimonium istud iuste cogi posset, modus iste ab illis adhibitus semper iniustus esset.

2157. *Quid de distinctione inter metum impellentem et concomitantem?* Metus impellens est qui impellit ad actum (quo nomine intellige etiam omissionem actus), unde actus dicitur poni *ex metu*. Concomitans vero est qui non impellit ad actum sed solum comitatur actum, unde tunc actus dicitur poni *cum metu*. Exemplum. Cum metu naufragii quis se committit navigationi: naufragio autem imminente, proiicit merces in mare ad salvandam vitam. En itaque: metus naufragii, quoad navigationem ineundam et prosequendam, est solum concomitans; quoad vero proiectionem mercium in mare, est impellens. Heic autem de metu impellente tantummodo agitur.

2158. *Quinam sunt effectus metus relate ad voluntatem et relate ad leges?*

Relate ad voluntatem, metus voluntarium 1. ordinarie non tollit; 2. ordinarie minuit; 3. aliquando tollit, et aliquando non minuit.

Relate ad leges, metus aliquando 1. excusare potest a culpa; 2. excusare potest a poena; 3. aliquem actum reddere potest irritum aut rescindibilem. Haec sunt explicanda.

2159. *Quomodo metus potest aliquando tollere voluntarium?* Id contingere posset solum quando talis ac tantus esset, ut persona lumine rationis amisso non amplius cognosceret quid faceret, vel actu primo-primo instinctive aliquid faceret.

2160. *Cur metus ordinarie non tollit voluntarium?* Quia ordinarie nec de actu primo-primo agitur, nec lumen rationis amittitur; unde nec cognitio nec libera voluntas deest. Dixi *libera voluntas;* idque patet a sensu communi; qui enim delinquit, etsi metu mortis delinquat, vituperatur, et puniri solet.

2161. *Quomodo probatur quod metus ordinarie minuit voluntarium?*

Praemitto id esse verum de metu gravi; motiva levia enim non dicuntur minuere voluntarium; ut enim voluntas se determinet, aliquod motivum iam semper exigitur. Loquendo itaque de metu gravi, quod ordinarie minuat voluntarium, probatur

1. Quia homo sub influxu metus gravis est minus liber. Iam vidimus id contingere etiam in casu concupiscentiae vehementis; sed in casu metus adhuc magis verificatur; quandoquidem

2. Homo sub metu non procedit ex toto affectu, sed solet simul habere affectum ad oppositum et sic voluntas remanere solet veluti divisa. Exemplum habes in proiiciente merces in mare, vel in dante pecuniam latroni, vel in muliere quae gravi metu inducta peccato consentiat etc. Hinc quod fit ex metu, ordinarie fit aegre, fit cum tristitia, neque fieret si metus non adesset. *

3. Sensus communis habet (ut patet etiam ex legibus poenalibus) quod delicta commissa ex metu gravi, sunt commiseratione digna, minus punienda, facilius ignoscenda etc.; unde dici solet quod peccans ex metu est magis vilis quam improbus. Quis enim non videt magis reum esse tentatorem (et quidem minis adhibitis) quam tentatum; delinquentem sponte, quam delinquentem metu coactum; negantem fidem sponte, quam negantem atroci martyrio territum; inducentem mulierem ad abortum, quam miseram puellam aut viduam gravissimorum malorum metu abortum in se ipsa procurantem?

4. Iam dixi metum posse auferre totaliter usum rationis, et sic tollere voluntarium. Sed facilius dantur casus in quibus metus mentem obnubilat et iudicium turbat; et sic (hac etiam de causa) minuere potest voluntarium.

2162. *Cur dixisti quod metus aliquando non minuit voluntarium?* Id contingere potest revera in quibusdam casibus; scilicet 1. si esset levis aut levissimus; 2. si metus non esset causa unica deliberationis, sed simul cum illa adesset alia causa, quae (etiam per se solam) ad deliberationem eandem sufficeret. Exemplum habes in eo qui solitus esset se conferre quotannis in villam solatii causa; hoc anno autem etiam iussu medicorum (et sic metu morbi aut mortis) ad villam se conferret. Tunc enim metus, potius quam diminuere, augere videtur voluntarium. 3. Si metus esset quidem causa unica deliberationis, sed de re valde grata ageretur, et homo de eventu illo gauderet. Exemplum habes in discipulo, qui timore pluviae aut aquae viam inundantis non pergit ad scholam, et vacatio ei gratissima est.

* Dixi: *solet simul habere affectum ad oppositum* et non dixi semper id accidere; interdum enim metus talis est naturae ut de se exigat etiam praedicti affectus depositionem, ut patet ex attritione gehennae metu concepta; si enim homo affectum ad peccatum conservaret, gehennam iam non declinaret. Cf. Ballerini *(l. c. n. 132)*.

2163. *Estne aliquid explicandum circa alios effectus metus, quod scilicet possit excusare a culpa, vel excusare a poena, vel reddere actus irritos aut rescindibiles?* Excusare posset a culpa, si ageretur de lege quae cum gravi incommodo non obliget etc. Ordinarie excusat a poenis ecclesiasticis. Reddere potest irritos contractus, et speciatim matrimonium; adde, iure canonico, professionem religiosam, absolutionem a censuris, et donationem bonorum Ecclesiae; iure romano autem promissionem aut renuntiationem dotis, et tutelam metu extortam vel abdicatam. Sed de his agendum erit suis locis.

§ VI.

Agitur in particulari de vi seu violentia.

2164. *Quid est vis seu violentia?* Est coactio quae corpori immediate infertur.

2165. *Quotuplex potest esse violentia?* Iam dixi posse esse absolutam (scilicet physice et prorsus irresistibilem) et non absolutam. Nunc addo aliquas alias distinctiones.

Potest esse *pura* et *mixta*. Mixta contingit si vis cum metu immisceatur, ita ut qui vim patitur aliqua etiam faciat vel permittat non propter violentiam sed propter metum. Exemplum habes in muliere quae vi simul et minis ad actum peccati cogatur; contingere enim potest quod aliqua patiatur violenter, aliqua vero metu patiatur vel faciat.

Insuper potest esse *impeditiva actus* (ut puta, si quis violenter aliquem detineat ne fugiat aut resistentiam opponat), vel *coactiva ad actum* (ut puta, si quis manu mea violenter apprehensa ad aliquid mali faciendum utatur).

2166. *An violentia tollat voluntarium?* Affirmative; sed ordinarie oportet ut vim passus voluntate sua nihil, sive agendo sive permittendo, conferat. Si enim voluntas, sive ante factum sive in facto ipso, aliquid conferret, utique tunc voluntarium subsistere, et (non obstante violentia) homo in culpa esse posset. Sed haec sunt explicanda.

2167. *Quomodo potest intervenire culpa eo quod voluntas aliquid conferat ante factum?* Hoc accideret si quis reus esset in causa, si nempe eventum praevidisset, illumque evitare potuisset ac debuisset; quod speciatim in foeminis periculum istud praevidentibus facile contingere potest; unde sive ad fugiendum

omnino, sive ad cautelas adhibendas facile tenentur. Cf. *De Occasionariis* (*n.* 247. 139. *et* 5). Dixi *illumque evitare potuisset ac debuisset;* interdum enim, attenta levitate periculi, aut necessitate in illo manendi, posset quis (non obstante praevisione) reus in causa minime esse. Casus dari potest praecipue in miseris uxoribus violentae sodomiae a parte mariti expositis, aut in muliere quae propter necessitatem aliquam nocturno tempore extra domum non sine periculo se conferre cogatur etc.

2168. *Quomodo potest intervenire culpa in facto ipso, scilicet durante violentia?* Quatuor modis; nempe 1. propter actus externos a voluntate imperatos; 2. propter resistentiae omissionem; 3. propter consensum internum; 4. propter permissionem periculi consensus ipsius. Sed haec etiam sunt explicanda.

2169. *Quomodo interveniret culpa propter actus externos a voluntate imperatos?* Dantur casus in quibus vim passus facit actus voluntarios externe quoque, qui possunt esse vel intrinsece mali (ut puta, si mulier vi oppressa active partem suam veneream praestet), vel tales ut nec metu nec ulla alia causa legitima excusentur; et tunc manifestum est quod homo esset in culpa. Secus vero, si vim passus aliquid quidem activi poneret, sed ita ut excusationem legitimam haberet. Exemplum habes in milite propter bellum iniustum a castris transfugo, qui violenter ad castra ista redire cogeretur; ille siquidem, sive ex metu sive ex inutilitate reluctantiae, multa licite facere posset, etsi stricta vi ad ea non cogeretur.

2170. *Quomodo posset intervenire culpa propter resistentiae omissionem?* Ut vi detentus sit in culpa si resistentiam non opponat, oportet imprimis ut ipsa sit physice possibilis atque ad aliquid utilis; ad id enim, quod prorsus sive impossibile sive inutile sit, nemo teneri potest. Quamvis autem aliqua resistentia physice possibilis atque ad vincendam violentiam utilis esset, non semper ad illam adhibendam vim passus tenetur. Videndum an resistentia sit facilis, an vero difficilis. Ad resistentiam facilem certe datur obligatio; ad difficilem autem, aliquando datur et aliquando non; idque solum in casibus particularibus accurate determinari poterit. Sit tamen hic quoque exemplum. Agitur, v. g., de violentia facta ne quis ad Missam se conferat? Utique ille ad resistendum cum gravi incommodo non tenebitur. Bene vero ad id teneri posset mulier vi oppressa. Dixi *teneri posset;* non enim absolute ad quamcumque resistentiam, et non obstante quocumque incommodo, et in quocumque casu, teneretur. Ad illam resistentiam quae a natura

ipsa suggeritur (v. g., se agitando, brachiis, manibus et pedibus se defendendo etc.), mulieres certe obligantur et quidem non obstantibus minis de malis futuris etiam gravissimis, propter sequentes rationes. Prima est quia hoc est medium naturale, et quidem omnino efficax, si serio adhibeatur. Bene scripsit Lugo (*De Inst. X.* x. 199): « Rarissime contingit, virum « delectationem turpem ab invita omnino et reluctante (lu- « gente, clamante etc.) captare velle (vel posse) ». Secunda est quia reluctantia ista exigitur etiam ad praecavendum periculum consensus. Tertia est quia si propter minas de malis futuris mulieres non amplius resistere sed quietae remanere possent, tunc fornicationibus et adulteriis ianua latissima aperta esset. At vero, in ponenda huic mulieri obligatione resistendi, ulterius meo sensu non est progrediendum; non enim credo, v. g., quod mulier, si alia media non valerent, ad occidendum quoque aggressorem, vel ad exponendam se ipsam hic et nunc evidenti mortis periculo (se deiiciendo v. g. e fenestra) obliganda sit. Vide De Occasionariis (*n.* 248. *et seqq.*).

2171. *Quomodo posset intervenire culpa propter consensum internum?* Consensus internus (seu gaudium) culpam ordinarie inducit, ut per se patet. Dantur tamen casus in quibus aliquod gaudium sub aliquo respectu licite concipi posset; aliud enim est agere, et aliud pati; et multa sunt quae fieri nequeunt et nihilominus libenter pati possunt; ut patet exemplo Martyrum qui licitissime de tormentis illatis gaudebant, imo et antea illa ex toto corde desiderabant. Loquendo autem stricte de casu nostro, dari potest exemplum illius, qui debitor esset magnae summae erga quemdam, qui summâ ipsâ ad gravia mala perpetranda abusurus foret. Si huiusmodi debitor violenter cogeretur ad hanc summam minime solvendam, nonne de hoc eventu, sub respectu quod sic mala illa non amplius evenient, gaudere poterit? Videndum est itaque qua de re, cur, quomodo etc. gaudium habeatur. Caeterum ut plurimum, sive quia gaudium respiciat obiectum intrinsece malum, sive quia finis gaudii sit pravus etc.; de iniqua violentia eiusque effectu gaudere, ordinarie illicitum est, ut dixi. Exemplum habes in muliere, quae vi oppressa, gauderet. Subtiliter tamen notat Ballerini (*Op. theol. I.* v. 122) aliud esse de effectu simul et causa; aliud vero de solo effectu gaudere, quod ultimum verificaretur in eadem muliere quae delectationi consentiret sed oppressionem detestaretur; quo casu illa peccaret quidem, sed complex minime esset.

2172. *Quomodo posset intervenire culpa ex permissione periculi consensus?* Quando gaudium concipere non liceat, simulque adsit grave periculum illud concipiendi (quod in re venerea practice semper praesumitur), utique actus in contrarium mente (rem abominando, Deo se commendando etc.) et facile etiam corpore (etsi reluctantia corporalis ad impediendam oppressionem esset inutilis) emittendi (ut periculum imminuatur) obligatio aderit; et sic manifestum est quod ex hac parte etiam culpa intervenire potest.

APPENDIX

De violentiis quas Daemon hominibus inferre potest.

2173. *An Diabolus possit vim inferre corporibus?* Deo permittente, affirmative.

Patet 1. ex sacris scripturis. Legitur (*Matth. IX. 32*): « Obtulerunt « ei hominem mutum daemonium habentem; et eiecto daemonio locutus est « mutus ». Et (*l. c. XII. 22*): « Oblatus est ei daemonium habens caecus et « mutus, et curavit eum ita ut loqueretur et videret ». Et (*Marc. IX*): « Unus « de turba dixit: magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mu- « tum: qui, ubique eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet « dentibus, et arescit...., et frequenter eum in ignem et in aquas misit, ut eum « perderet. .. Iesus comminatus est spiritui immundo dicens illi: surde et mute « spiritus, ego praecipio tibi: Exi etc. ». Et (*Matth. IV, 5*): « Tunc assum- « psit eum (Iesum) diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pin- « naculum templi ».

Patet 2. ex Patribus et sacris Interpretibus. Chrysostomus (*in Matth. IX. 32*) scripsit: « Hinc videtur quod daemon fecerit eum mutum, impediendo u- « sum linguae ». Et Caietanus (*in Marc. IX*) subiunxit: « Hinc habes quod « daemon reddit quandoque hominem surdum et mutum; similisque est ratio « de aliis aegritudinibus.... Ad cumulum testimonii, quod spiritus sit efficiens « illum surdum et mutum, praecepto cogit illum ad exeundum; praecepta enim « intelligentibus diriguntur ».

Patet 3. ex institutione ordinis exorcistatus, et ex sensu Ecclesiae, quae maleficia, obsessiones et invasiones diabolicas contingere posse semper recognovit; unde exorcismos praescripsit, et in Rituali (*De exorciz. obsess.*) dicitur quod Daemon potest modo impedire actus (v. g., ne obsessus ad Sacram Eucharistiam accedat); modo corpus obsessi torquere, pungere, infirmitatibus subiicere; modo somnum in ipsum inducere; modo ad actus diversissimos (v. g., agendi supra vires, vel loquendi ignotis linguis, vel ridendi, iocandi, ineptias proferendi etc.) eum cogere.

Patet 4. ex Theologis, inter quos vide, v. g., S. Lig. (*Prax. n. 110*).

2174. *An Diabolus possit vim inferre etiam in rebus peccaminosis?* Affirmative pariter, permittente Deo. Patet 1. ex sacris litteris. In Evangelio Matth. (*VIII. 28*) legitur: « Occurrerunt ei duo habentes Daemonia.... saevi nimis, « ita ut nemo posset transire per viam illam ». Patet 2. ex Rituali, ubi dicitur quod obsessi a Daemone subinde iniuriam rebus sacris facere coguntur. Patet

3. ex Theologis, inter quos S. Lig. (*l. c. 111*) scripsit: « An possit Daemon, « permittente Deo, *absque hominis culpa* manus illius admovere ad se tactibus « polluendum? Affirmat Pater Gravina, et quidem probabiliter; si enim... Dae- « mon potest alicuius commovere linguam, ut *invitus* proferat obscoena verba, « aut blasphemias contra Deum, quidni manus ut turpia patrentur? »

2175. *An contingere possit, Deum permittere ut Daemon personis quoque piis in rebus peccaminosis violentiam inferat?* Affirmat Scaramelli, qui (*in vit. Ven. Mariae Crucifixae*) dicit: « Daemones impios affectus in ea « suscitabant, illiusque linguam ad maledicendum rebus sanctissimis velociter « movebant, atque interdum illius manibus utebantur, ut numismata et libros « sanctos in terram deiicerent ». Idem sensit S. Lig. (*l. c.*) Ex praxi autem satis manifeste patet quod in personis piis, et maxime in virginibus Deo devotis, violentiae huiusmodi accidunt; quamvis enim non facile poenitentium attestationibus in his rebus fides sit adhibenda; tamen dantur casus in quibus res narratae nec fictioni nec illusioni prudenter tribui possunt, et omnino credendae videntur. Finis autem Dei in rebus istis permittendis, iuxta Asceticos, est ut animae piae imprimis profundissime humilientur; deinde, viriliter resistendo, virtutem quam maxime exerceant; et sic specialissima merita sibi acquirant. Nil mirum autem quod Daemon, extraordinarie huiusmodi libertate habita, omnes nisus ad illas vincendas adhibeat; si enim illas suas reddere posset, heu quantum essent cibus eius electus!

2176. *An res eo usque procedere possint, ut Daemon concubitum habeat?* Affirmant Doctores communissime. S. Lig. (*l. c.*) scripsit: « Qui magis solent « Confessariorum mentem gravioribus difficultatibus implicare, sunt ii qui turpibus visionibus ac etiam tactibus vexantur a Daemone, qui non solum fo- « mitem sensualem excitat, sed aliquando etiam cum eis carnale commercium « sub forma viri aut mulieris habet, quapropter *succubus* vel *incubus* appel- « latur ». Et adducit verba S. Augustini dicentis: « Apparuisse hominibus « Angelos in talibus corporibus, ut non solum videri, verum etiam tangi pos- « sunt, verissima scriptura testatur, et multos (qnos vulgo incubos vocant) « improbos saepe extitisse mulieribus, et earum appetiisse ac peregisse con- « cubitum ». Et quidem, loquendo de personis adeo perditis ut in hunc finem Daemonem invocent, res est adeo certa, ut in pluribus Dioecesibos (sicut apud nos) concubitus cum Daemone inter casus reservatos recenseatur. Sed ex praxi patet (quantum tamen coniicere licet) quod etiam in quibusdam bonae conscientiae personis res ista contingere potest. Sic sentit quoque Scaramelli, qui (*Dirett. mist. n. 123*) dicit: « Concubitus Daemonis aliquando contingit « etiam personis piis, quae longe sunt a consensu, atque heroicos castimoniae « actus tunc exercent reluctando ».

2177. *An credi possit quod Deus etiam cum gravi vel gravissimo consensus periculo quoad personas bonae conscientiae res huiusmodi permissurus sit?* S. Lig. loquens in genere de animabus in materia luxuriae a Daemone infestatis, dicit (*l. c. 112*), illas « in magno periculo versari, si remedia « non adhibeant multum efficacia etc. ». Quidquid sit de sensu S. Ligorii, mihi placet quod dicit Scaramelli; haec scilicet permitti a Deo illis personis piis *quae longe sunt a consensu;* et tentationes vehementiores quidem esse posse quam patiatur humana fragilitas, sed gratiam divinam esse in promptu et vires adaugere (*n. 120*). Hoc etiam ex praxi confirmari videtur, magisque conforme est sententiae Apostoli (*I. Cor. X. 13*) dicentis: « Fidelis autem « Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum « tentatione proventum ut possitis sustinere ». Adde quod subinde Deus (non tam exercitium virtutis quam humiliationem intendens) ita Daemonem coercet

ut reddere debeat personam non sui compotem (iuxta dicta *n. 2143*) antequam res huiusmodi perpetret.

2178. *Quid praecipue cavendum in hac materia?* Cavendum praecipue ne incidatur in perniciosissimum Michaelis Molinos errorem, qui violentiam diabolicam recognoscebat ubi nullo modo recognosci potest; sic enim praetextu violentiae diabolicae peccata et delicta fere omnia (et maxime graviora) excusarentur. Enimvero oportet imprimis ut adsint signa specialia et manifesta diabolicae obsessionis; quod negabat Molinos; unde inter alias damnata fuit (ab Innoc. XI) sequens eiusdem propositio (*n. 41*): « Deus permittit et vult, « ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quod in a- « liquibus animabus perfectis, *etiam non arreptitiis* (scil. etiam non obsessis), « daemon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales commit- « tere faciat, etiam in vigilia, et sine mentis offuscatione, movendo physice « illarum manus et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur « quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia « in his non adest consensus ». Et subdebat: « Potest dari casus, quod huius- « modi violentiae ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum « personarum scilicet maris et foeminae, et ex parte utriusque sequatur actus »!

§ VII.

De statu, in quo persona, propter imperfectionem aut morbosam turbationem virium cerebralium, plus vel minus rationis usu impeditur.

2179. *Quibus in personis status huiusmodi contingere potest?* 1. In pueris; 2. in dormientibus, semidormientibus et somnambulis; 3. in fatuis et semifatuis: 4. in senibus imbecillibus; 5. in ebriis et semiebriis; 6. in iis qui extraordinario modo nervosis paroxismis, vel hysterismo, habitualiter subiiciuntur; 7. in iis qui casu aliquo, sive ex morbo cerebrum afficiente, sive ex passione vehementissima, sive ex opera diabolica, lumine rationis ad tempus destituuntur et delirant vel insaniunt (cf. quae cum D. Th. dixi supra n. 2122 et n. 2143).

2180. *Praescindendo a casibus in quibus persona iam certe et totaliter rationis usu destituitur (ut in infantibus, aut perfecte ebriis, perfecte amentibus, perfecte dormientibus etc.), quid de aliis casibus? quid scilicet de pueris qui aliquid distinguere incipiunt, vel de semidormientibus, semifatuis, senibus imbecillibus, etc.?* Huic quaesito vix potest adaequate responderi. Culpa certe mortalis difficile dabitur. Posset tamen contingere. S. Lig. (*VI.* 432) dicit absolvendum esse puerum vel semifatuum, qui accusavit mortale, *ne forte ille maneat in mortali*. Culpa venialis facilius admittitur; unde Scavini (*I.* 782) dicit quod delectatio, propter pollutionem in vigilia semiplena (*it. tra la veglia e il sonno*) contingentem, potest esse venialis.

2181. *Quid speciatim de hysterismo?* Quamvis huius morbi nomen proprie solis foeminis aptetur; tamen improprie de viris quoque subinde dicitur quod hysterismo subiiciuntur. Substantia huius morbi consistit in extraordinaria excitabilitate nervosa; unde quid minimum sufficit ut persona statim et praepotentissime ad excessus impellatur. Quae ab hystericis in tali statu perpetrantur eruntne eis imputanda ad culpam? Circa casum istum (qui etiam in personis piis, monialibus etc. satis practicus est, et Confessarios non parum in angustias coniicere solet) necessarium esset ut studia accurata fierent, et ego vellem potius alios audire, quam quidquam scribere. Dico tamen casus circumstantias esse perpendendas; et speciatim duo esse consideranda; scilicet 1° An persona fateatur se in tali statu conscientiae remorsum non experiri, aut adeo subito abripi ut ad malitiam reflectendi tempus non suppetat etc.; 2° An modus agendi sit adeo diversus ab ordinario, atque adeo abnormis et excessivus, ut iam dementiae signa manifesta adsint. In his casibus (nisi reatus sit in causa) pro absentia culpae (saltem mortalis) starem; sed (repeto) sententiam aliorum expecto.

§ VIII.

De idiotismo et speciatim de surdis-mutis.

2182. *Quid est idiotismus?* Est defectus instructionis, qui contingit speciatim in surdis-mutis a nativitate (methodice non instructis), maxime vero in surdis-mutis simul et coecis. Idiotismus causando ignorantiam, plus vel minus causat involuntarium, ut per se patet.

2183. *Surdi-muti non instructi suntne capaces reatus?* Non una est Doctorum sententia; et plures censent eos culpae formalis non esse capaces; quia Dei, et proinde offensae divinae, ideam habere nequeunt. Alii autem contrarium docent, sive quia aliquam Dei ideam habere valeant, sive quia bonum a malo (quod certissimum est) distinguunt; quod sufficit ut reatum contrahere et puniri possint; prout etiam legislatores civiles sentiunt. Ego quoque ita censeo. Cf. Praxis (*Ed. II. n.* 3069).

2184. *Quid de surdis-mutis simul et coecis?* De his crescit difficultas. Nihilominus distinctionem aliquam inter bonum et malum eos etiam facere non erit impossibile; et sic opinatur etiam S. Lig. (*VI.* 732); ubi dicit Extrema Unctione eos esse donandos.

ARTICULUS II.

DE ACTUUM HUMANORUM MORALITATE

Indicantur imprimis essentia, distinctiones et fontes moralitatis. Deinde statuentur principia seu axiomata principalia circa moralitatem.

PUNCTUM I.

De essentia, distinctionibus et fontibus moralitatis.

§ I.

De essentia et distinctionibus moralitatis.

2185. *Quid est moralitas?* Iuxta scholarum sensum (speciatim modernum) moralitas est relatio actus cum regulis morum. Actus enim considerari potest vel in solo esse physico (v. g., an sit internus aut externus, voluntarius aut involuntarius etc.); vel etiam in esse morali; an scilicet sit conformis regulis morum (quae a legibus et a conscientia suppeditantur), aut e contra sit ab iisdem difformis.

2186. *Quotupliciter potest actus se habere quoad relationem cum regulis morum?* Tripliciter; scilicet potest esse 1. bonus; 2. malus; 3. indifferens. Erit autem *bonus*, si sit laudabilis (prout sunt actus praecepti, v. g. audire Missam die festo; aut virtuosi, v. g., audire Missam die feriali); *malus*, si sit reprehensibilis (prout sunt actus prohibiti, v. g. omittere Missam die festo; aut defectuosi, v. g., aliqua vice omittere preces matutinas aut vespertinas); *indifferens*, si nec laudabilis nec reprehensibilis sit (v. g., manere domi aut exire foras, tenere barbam aut illam radere etc.).

2187. *Moralitas sumiturne praedicto sensu etiam in sermone vulgari?* Negative. Sermo vulgaris distinguit inter moralitatem et immoralitatem; et dicit actum (vel tenorem vitae) esse moralem aut immoralem, secundum quod bonus (vel indifferens), aut malus sit.

2188. *Quomodo distinguitur moralitas?* Moralitas alia est *formalis* (seu in individuo), quatenus actus uti positus ab homine sui compote atque scienter et libere agente, consideratur; alia vero est *materialis* (seu in se), quatenus actus iuxta solum suum esse materiale, et praescindendo a conscientia agen-

tis, consideratur. Hinc unus idemque actus potest esse bonus vel indifferens materialiter (v. g., comedere carnes die Iovis), et malus formaliter (v. g., comedere carnes die Iovis credendo esse diem Veneris). Item actus potest esse indifferens in se, et bonus vel malus in individuo etc.

§ II.

De fontibus moralitatis.

2189. *Hoc nomine quid intelligitur?* Intelliguntur ea diversa capita ex quibus (tamquam ex origine vel fonte) bonitas vel indifferentia vel malitia actuum profluit. Multa enumerantur; sed ad duo reduci possunt; scilicet 1. ad obiectum; 2. ad circumstantias, quarum praecipua est circumstantia finis. Titius, v. g., surripit rem alienam in loco sacro ad eam insumendam in vitiis. In hoc casu malitia actus 1. ex obiecto (surripiendo rem alienam); 2. ex fine (furtum ad pecuniam insumendam in vitiis committendo); 3. ex circumstantia loci sacri; et sic ex tribus fontibus, proflueret. Patet autem quod ex his fontibus actuum moralitas profluit, quia si obiectum sit bonum, si finis sit bonus, si circumstantiae sint bonae, actus erit bonus; e contra si obiectum sit malum etc.

2190. *Quid est obiectum?* Est res volita, non tamquam finis sed immediate; et considerata solum quoad substantiam, non vero quoad circumstantias accidentales. Paucis: Obiectum est substantia facti, praescindendo a fine.

2191. *Malitia obiecti quotuplex esse potest?* Imprimis potest esse *intrinseca* et *extrinseca.* Intrinseca a iure naturae (ut malitia homicidii, furti, mendacii etc.); extrinseca vero a iure positivo (ut malitia omissionis Missae, ieiunii etc.) provenit. Malitia autem intrinseca subdistinguitur; alia est enim *absoluta,* et alia *non absoluta.* Absoluta est quae ne a Deo quidem auferri potest (ut malitia blasphemiae, odii Dei etc.); non absoluta e contra est quae in quibusdam circumstantiis cessare potest. Vide dicta *n.* 1673. *II.*

2192. *Quid sunt circumstantiae?* Sunt ea quae non efformant obiecti seu rei aut actus substantiam, sed substantiae ipsi circumstant accidentaliter; ita ut factum etiam sine illa circumstantia subsistere possit. Sic, v. g., in homicidio substantia est occisio hominis iniusta; sed si occisus esset clericus, haec esset homicidii circumstantia.

2193. *Quaenam sunt circumstantiae principales?* Indicantur in notissimo versiculo: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

2194. *Quid est circumstantia* Quis? Est circumstantia personae agentis, an scilicet agens sit, v. g., clericus vel laicus, voto ligatus vel liber, coniugatus vel non coniugatus, privatus vel publicus etc.

2195. *Quid est circumstantia* Quid? Est circumstantia accidentalis obiecti. Obiectum sit, v. g., percussio hominis: circumstantiae erunt quod percussus sit laicus aut clericus, extraneus aut pater, vel avus etc.: item quod percussio fuerit gravis vel levis. Si obiectum esset furtum, circumstantia esset quod res ablata sit sacra, quod quantitas sit magna vel exigua etc.

Sub hac circumstantia veniunt etiam effectus accidentaliter secuti et imputabiles, v. g., scandalum.

2196. *Quid est circumstantia* Quibus auxiliis? Haec respicit media quibus agens accidentaliter usus fuit; ut puta, si quis per alium commiserit homicidium, vel ad superstitionem exequendam res sacras adhibuerit etc.

2197. *Quid est circumstantia* cur? Est finis operantis. Dixi *operantis*. Nam duplex distinguitur finis, *operis* et *operantis*. Finis operis (seu intrinsecus) est ille ad quem actio ex natura sua (atque adeo independenter a voluntate operantis) est ordinata (v. g. blasphemia ad inhonorandum Deum; eleemosyna ad sublevandos pauperes). At vero finis operis pertinet ad substantiam operis ipsius, et proinde non pertinet ad circumstantias accidentales, de quibus est hic sermo. Hinc circumstantia *cur*, de qua hic loquimur, est finis operantis (ut dixi), qui etiam finis extrinsecus appellatur. Finis huiusmodi definiri solet *id propter quod aliquid fit;* et proinde significat scopum quem operans suo arbitrio sibi praefigit. Finis operantis modo mere coincidit cum fine operis quia agens illum et non alium finem habeat (v. g., si quis cantoris officium exerceat in Ecclesia unice ad Dei gloriam); modo coincidit quidem cum fine eodem, sed ita ut agens alium quoque finem habeat (ut puta, si dictus cantor cantet quidem ad Dei gloriam, sed etiam ob stipendium); modo denique non coincidit cum fine operis, quatenus agens illum excludit vel negligit, et finem diversum habet (Exemplum esset in Iudaeo conficiente numismata sacra, in audiente Missam ex mera hypocrisi; in faciente eleemosynam unice ob vanam gloriam; in blasphemante unice ad effundendam iram vel ad terrefaciendum aliquem etc.).

2198. *Finis operantis quotuplex esse potest?*

1° *Ultimus absolute*, qui in felicitate perfecta consistit et ultra quem nullus alius esse potest.

2° *Ultimus in aliqua serie actionum.*

3° *Intermedius in aliqua serie actionum.* Sic in eo qui vult occidere inimicum, et in hunc finem procurat inducere alium ad illum occidendum, haec inductio finis intermedius, occisio autem inimici finis ultimus erit.

4° Agens in aliqua actione particulari potest sibi praefigere vel *finem unicum* (ut puta, celebrando Missam ex unico fine devotionis) vel *plures fines* (ut puta, celebrando Missam propter devotionem et etiam propter stipendium). Unicus autem esse potest positive et negative. Erit *unicus positive*, si alii fines positive excludantur (ut puta, si medicus protestetur se curare infirmum gratis); erit vero *unicus negative*, si alii fines actu nec intendantur nec excludantur; ut puta, si quis inserviat Ecclesiae ob lucrum, sed alios fines nobiliores mente nec includat nec excludat.

5° Inter plures fines unus potest esse *causa motiva* (ita scilicet ut, eo fine secluso, actio non fieret); et alius *causa impulsiva* (qua etiam seclusa, actio fieret, etsi forte minus libenter, minus prompte etc.). Romam, v. g., me confero ad expediendam litem, sed ad hoc iter me impellit etiam festum extraordinarium quod illuc celebratur; ita tamen ut solum propter hoc festum Romam non irem. En itaque: lis est causa motiva; festum vero solum impulsiva. Finis, qui sit causa motiva, *primarius;* qui vero sit causa impulsiva tantummodo, *secundarius* a Theologis appellatur; sed communi sensu, si plures essent causae motivae, quarum una potior foret, nihil vetaret quominus ipsae quoque fini primario et secundario locum darent.

6° Si causae motivae sint plures (v. g., duae), hoc duobus modis accidere potest. Primus est si singulae sufficiant ut homo se determinet; et tunc quaelibet dicitur causa *adaequata*, vel etiam *causa totalis totalitate causae.* Exemplum habes in medico qui ad aliam civitatem se conferret ad consultationem faciendam pro duobus infirmis, dum, si solum pro uno vocatus fuisset, eodem modo illuc se contulisset. Secundus est si una causa sine alia non sufficeret, attamen ambae simul iunctae ut homo se determinet sufficiant (ut puta, si praedictus medicus vadat pro duobus, dum pro uno iturus non esset; et tunc hae causae dicuntur quidem in se *partiales* et *inadaequatae*, sed, quum

propter ipsarum unionem, hominem eodem modo determinent eundemque effectum producant, totali atque adaequatae aequivalent, unde dicuntur *totales totalitate effectus*. In primo casu autem homo ex pluribus finibus adaequatis et totalibus; et in secundo ex pluribus finibus inadaequatis et partialibus (qui tamen tunc adaequatis et totalibus aequivalent) agere dicitur.

2199. *Estne aliquid notandum speciatim circa moralitatem quae profluit ex circumstantiis?* Affirmative, circumstantiae enim

I. Aliquando sunt *indifferentes*, unde in genere moris nihil influunt. Quid, v. g., interest an manu dextera an vero sinistra quis furatus fuerit? Et ablato, v. g., centum scutatorum valore, nihil considerari solet an in pecunia, an vero in aliis obiectis, valor iste consisterit.

II. Aliquando sunt *mutantes speciem* (melius dicerentur *addentes* speciem); efficiunt scilicet ut actio, retenta sua bonitate vel malitia, aliam insuper diversae speciei bonitatem vel malitiam acquirat. Titius, v. g., dat eleemosynam ut impediat peccata (tunc enim charitas spiritualis charitati corporali adiungitur); et Caius aufert rem alienam ut illam insumat in lupanaribus (tunc enim peccato contra iustitiam peccatum contra castitatem superadditur).

III. Aliquando sunt *aggravantes* vel *minuentes*, efficiunt scilicet ut malitia actionis crescat vel minuatur, quin speciei mutatio interveniat. Sic aliud est furari centum et aliud furari mille; aliud furari pauperi et aliud furari diviti etc. Quod autem dicitur de malitia, dici debet etiam de bonitate actionis, quam circumstantiae adaugere vel minuere possunt, crescente vel decrescente, v. g., diuturnitate, difficultate etc.

IV. Aliquando *impediunt malitiam actus* (v. g., omittis Missam, vel non satisfacis aliis praeceptis Ecclesiae, propter grave incommodum).

V. Aliquando *impediunt indifferentiam actus*, sive reddendo illum bonum (v. g., lucrum procuras ad faciendas eleemosynas); sive reddendo illum malum (v. g., confabularis in Ecclesia, aut occulte dispensatus comedis carnes die esuriali cum scandalo).

VI. Aliquando *impediunt bonitatem actus*, sive reddendo illum indifferentem (v. g., ingrederis Ecclesiam mere ad videndum apparatum, vel ad vocandum amicum), sive reddendo illum malum (v. g., contra obedientiam, vel contra munera tui status, immoraris in Ecclesia, oras, ieiunas etc.). Monet tamen D'Annibale (*I.* 146) quod opera bona propter circumstantias

non redduntur mala absolute, sed solum secundum quid. Sic Missa et Sacramenta etc. remanent bona ex opere operato, quamvis Sacerdos in mortali celebret vel ministret. Sic orationes, ieiunia etc. in exemplo adducto, evaderent mala solum quia sic inobedientia vel transgressio propriorum munerum interveniret, non vero quia sint orationes, ieiunia etc.; unde in confessione inobedientiam fuisse commissam vel munera propria non fuisse satisfacta etc. dicere sufficeret. Idem dic si quis in iudicio interrogatus responderet veritatem ex odio contra accusatum.

VII. Aliquando denique *actus bonitatem non impediunt, sed illum tantummodo aliqualiter vitiant*, quod speciatim accidit quando leves defectus in operibus immiscemus; vae enim si tunc operum ipsorum bonitas prorsus evanesceret! Tunc quippe in mundo vix quidquam boni esset. Exemplum habes si in oratione facienda tepor aliquis, vel si in facienda eleemosyna ostentatio levis, vel si inserviendo infirmis vel confessiones audiendo impatientia aut alius levis defectus interveniret.

Hinc cum mica salis accipiendum est effatum: *Bonum ex integra causa, malum autem ex particularibus defectibus;* interdum enim bonum remanet bonum quamvis non sit ex integro bonum, nec efficitur simpliciter malum ex quovis defectu. Cf. Ballerini (*Op. theol. I.* VIII. 161. 166).

2200. *Circa circumstantiam finis, praeter supra dicta, suntne aliqua alia specialiter notanda?* Affirmative, tum quando finis sit bonus, tum quando sit indifferens, tum quando sit malus.

2201. *Quid si finis sit bonus?*

I. Si finis sit bonus et obiectum sit malum, tunc bonitas finis (etsi sanctissimus esset) non tollit malitiam obiecti; unde effatum: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona* (Exemplum habes in committente furtum ad faciendam eleemosynam). Attamen 1° hoc intellige nisi finis causam legitime excusantem efformaret (v. g. non audis Missam ad assistendum patri infirmo); 2° finis bonus minuit malitiam obiecti mali (unde qui furatur ad faciendam eleemosynam minus peccat quam qui ex mera cupiditate furaretur; item minus peccat qui mentitur ad salvandum innocentem, quam qui mentitur ad se excusandum etc.). Ballerini (*Op. th. I.* 162).

II. Si finis sit bonus et obiectum sit indifferens, tunc unica (scilicet ex solo fine) aderit bonitas (v. g., confabularis ad solatium praebendum aegroto).

III. Si finis sit bonus et obiectum sit bonum, tunc duplex

adesse poterit bonitas, si nempe bonitas finis a bonitate operis sit specie diversa (v. g., das eleemosynam ad impediendum peccatum; ieiunas ad satisfaciendum voto etc.). Si autem finis operantis coincideret cum fine operis, tunc bonitas unica esset (v. g., das eleemosynam ad sublevandam miseriam etc.).

2202. *Quid si finis sit indifferens?*

I. Si finis sit indifferens et obiectum sit malum (v. g., facis contractum usurarium ex fine lucri); tunc malitia est unica, quandoquidem ex solo obiecto provenit.

II. Si finis sit indifferens et obiectum pariter sit indifferens (v. g., celebras contractum iustum ex fine lucri), tunc totus actus indifferens erit. *

* Multi hypothesim istam non esse possibilem, actus scilicet in individuo (nempe non solum ex obiecto sed etiam ex fine aliisque circumstatiis) indifferentes dari non posse censent. Cf. S. Lig. (*De Act. hum. XLI. et s.*) et Ballerini (*l. c. 167 et s.*). Fundantur 1. Quia actio debet esse licita non solum ex obiecto, sed etiam ex fine; finis autem nequit esse licitus nisi sit rectus et rationabilis; unde, si rectus non sit, tunc actus ex hoc ipso iam fit malus; et, si rectus sit, tunc actus ex hoc ipso iam bonus erit. 2. Quia adest praeceptum faciendi omnia ex fine gloriae Dei (dicente Apostolo: « Sive manducatis, sive « bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite »); unde quod hac intentione fit iam bonum, et quod hac intentione non fit iam malum et peccaminosum erit.

At vero Scotus, S. Bonaventura aliique contra sentiunt, et dicunt dari actus indifferentes etiam in individuo, quamvis isti (quum nec mali nec boni sint) neque ex gratia procedere neque vitae aeternae meritorii esse possint, ad quod exigeretur ut essent positive boni.

Haec sententia mihi magis placet, quia sensui communi conformior est, et quia, secus homines fere semper peccarent. Homines enimvero innumeras actiones faciunt ex obiecto nec laudabiles nec vituperabiles (et proinde indifferentes) ex unico fine maioris commodi proprii, dum tamen sciunt actionem indifferentem esse licitam, et hoc ipsum maius commodum esse permissum. Sic autem saepissime ad actiones etiam minus perfectas procedunt, et, credendo licite agere, hoc vel illud faciunt etsi aperte perspiciant quod melius et laudabilius se gerere possent. Exemplum habes in eo qui die feriali posset quidem Missam audire, sed illam non audit et potius vult remanere domi vel etiam ludere.

Peto 1. Qui Missam sic non audit, nunquid peccabit? Hoc contra sensum communem est. Dicunt: finis non est rectus: ergo peccat. Sed respondendum: Quo sensu finis non est rectus? Finis non est bonus et perfectus, concedo; sed Deus nec perfectiora exigit, nec omnia bona praecipit; secus enim mundum peccatis repleremus atque homines in desperationem bene faciendi coniiceremus. Finis est malus, nego; idque per se patet. Finis est nec bonus nec malus, concedo; sed sic iam habemus actionem, quae tam ex obiecto quam ex fine, nec bona nec mala est; et sic patet quod peccatum ex nullo capite exurgit. Neque valet dicere quod finis sit peccaminosus, quia homo non agit ad gloriam Dei, iuxta praeceptum ab Apostolo indicatum: ut enim docet S. Bonaventura, sufficit quod homo non agat contra gloriam Dei; intentio autem

III. Si finis sit indifferens et obiectum sit bonum; tunc videndum an talis finis sit unicus, an vero adsit etiam finis bonus. Si adsit etiam finis bonus, tunc opus remanet bonum. Exemplum. Celebras Missam vel cantas in Ecclesia ad Dei gloriam, sed simul etiam propter stipendium. Si vero finis indifferens sit unicus, ita ut finis operis quoque excludatur vel nullo modo intendatur, tunc actus cessat esse bonus. Exempla. Musicam quis exequitur in Ecclesia ex unico fine lucri sicut faceret in theatro. Ecclesiam quis adit unice ut inspiciat picturas vel audiat musicam. Ieiunat quis ex unico fine acuendi appetitum, vel parcendi expensis etc. Porro bonum, ut formaliter sit bonum, intendi debet sub ratione boni; ita scilicet ut homo eius bonitate allectus illud velit. Ballerini (*l. c.* 155. et 165).

2203. *Quid si finis sit malus?*

I. Si finis operantis sit malus, et obiectum pariter malum sit, tunc malitia duplex erit. Exemplum habes in eo qui furatur ut emat vinum ad se inebriandum; vel in tyranno qui christianos tormentis afficiat ut illos avertat a fide.

II. Si finis sit malus et obiectum sit indifferens, tunc unica malitia aderit. Exemplum habes in eo qui cantet ut alicui molestiam afferat.

III. Si finis sit malus et obiectum sit bonum; tunc Theologi sic dicunt. Si finis malus sit unicus, ita ut finis operis boni excludatur vel nullo modo intendatur, tunc tota actio fit mala etsi forte finis non graviter sed leviter malus esset. Exemplum habes in faciente eleemosynam unice ob vanam gloriam. (Recole tamen supra dicta *n.* 2199. VI; tunc enim eleemosyna non quatenus talis, sed solum quatenus res facta ex vanagloria, mala esset). Si autem finis malus non sit unicus, sed

positiva dirigendi actiones ad gloriam divinam non est de praecepto, sed solum de consilio. Si autem velis esse de praecepto, tunc praeceptum istud obligat solum quatenus intentio praedicta implicite includatur in actu charitatis, et solum quando actus charitatis efformatio sub obligatione cadit; secus enim peccatores, qui charitatem non habent, in omnibus actionibus suis semper peccarent, quod nullo modo admitti potest. Cf. Ballerini (*l. c. 181 et s.*).

Peto 2. Qui Missam (ut supra) non audit, ut potius domi maneat ad ludendum, nunquid bonum opus facit? Quidam recentiores (ut negent contra rigoristas, plurimos actus esse malos, et sic homines fere semper peccare, simulque firmum teneant, non dari actus indifferentes in individuo) admittere videntur hunc et similes alios actus innumeros esse bonos. At vero id quoque contra sensum communem pugnare videtur.

Restat itaque ut hypothesis actuum indifferentium etiam in individuo admitti debeat et quam maxime practica sit.

simul cum fine pravo adsit etiam finis bonus, tunc sic distinguunt. Si finis sit graviter malus, tunc tota actio mala evadit (Exemplum habes in studente tractatum de sexto praecepto ex fine se carnaliter delectandi, quamvis simul haberet finem se instruendi ad recte obeundum munus confessarii). Si vero finis esset leviter malus, tunc actio partim bona et partim mala foret; tantummodo scilicet aliqualiter defectuosa evaderet. Exemplum habes in studente ad satisfaciendum muneri proprio sed etiam ex vana gloria.

§ III.

Declaratur utrum actus externus moralitati obnoxius sit.

2204. *Actus externus subiacetne moralitati?*

I. Subiacet certe moralitati materiali; actiones enim externae rectum ordinem maxime fovent, si sint bonae (ut patet a bonis exemplis, ab operibus charitatis etc.); et maxime perturbant, si sint malae (ut patet a scandalis, iniuriis etc.).

II. Subiacet certe moralitati formali, quatenus actus externus a voluntate imperatur (unde homini imputatur), et opera sive virtuosa sive peccaminosa complet, atque simul cum actu interno quid unum moraliter efformat; unde peccata quae extrinsecus consummantur ab actu externo denominari solent, et in confessione accusari debent. Adde quod actus externus saepe producit obligationes (v. g. restituendi, reparandi damna vel scandalum etc.), quae a solo actu interno non provenirent.

III. Quaestio est an actus externus bonitatem vel malitiam formalem actus interni adaugeat? Certe actus externus non parum influere potest in actum internum; potest scilicet esse occasio ut actus internus vividior evadat, vel repetatur, vel diutius perduret etc. Si itaque actus externus sic consideretur ut causa occasionalis actus interni, certe illius bonitatem vel malitiam adaugere potest et solet. Si autem actus externus consideretur solum ut effectus actus interni, tunc nec bonitatem nec malitiam illius adaugere potest; actus enim externus non est pars voluntatis sed quid materiale, quod nullius bonitatis vel malitiae formalis capax esse potest. Quando itaque homo iam est determinatus ad rem aliquam faciendam, in substantia perinde est ac illam fecerit, si forte impedimento detentus illam peragere nequiverit; executio enim nonnisi occasionaliter (ut dixi) ad malitiam vel bonitatem formalem au-

gendam influere potuisset. Hinc (*Gen. XXII*) Deus Abraham dixit: « Quia fecisti hanc rem nec pepercisti filio tuo...... be- « nedicam tibi ». Et (*Matth. V*) Christus dixit: « Qui viderit « mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est in cor- « de suo ». Unde S. Th. scripsit: « Tantum meretur qui habet « voluntatem perfectam aliquod bonum faciendi, quantum si « faceret illud ».

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA.

ARTICULUS I.

DE CONSCIENTIAE ESSENTIA ET DISTINCTIONIBUS.

2205. *Quid est conscientia?* Vox ista duplici sensu accipi solet, scilicet

I. Sensu minus proprio accipitur pro habituali bonitate vel malitia voluntatis. Hinc dici solet, v. g.; Titius est bonae conscientiae, timoratae conscientiae, meticulosae conscientiae etc. Vel e contra: Caius est homo perditae conscientiae, nullius conscientiae, sine conscientia etc.

II. Sensu proprio autem accipitur pro actu, quo de moralitate actionis a nobis faciendae vel factae iudicamus. Hinc dici solet, v. g.: Conscientia dictat hoc fieri posse vel fieri non posse: conscientia est tranquilla vel remordet etc. Iudicium istud *dictamen conscientiae* appellatur.

Sic autem (uti patet) in primo sensu de conscientia *habituali*; et in secundo de conscientia *actuali* agitur.

2206. *Loquendo de conscientia in secundo sensu. scilicet de conscientia actuali, differtne* 1° *a iudicio morali practico-practico;* 2° *a iudicio doctrinali practico;* 3° *a iudicio doctrinali speculativo;* 4° *a synderesi?*

I. Non differt a iudicio morali practico-practico, quia iudicium istud ordinatur ad opus proprium, consistit scilicet in iudicando de moralitate actionis a nobis faciendae vel factae; in quo adamussim conscientia consistit.

II. Differt a iudicio doctrinali practico, quia hoc consistit quidem in iudicando de casu practico (qui scilicet solet in praxi contingere; vel saltem cum circumstantiis, quibus practice contingit, consideratur); sed ita ut non ordinetur ad opus

proprium, et quis non pro casu sibi ipsi contingente; sed, de sola veritate sollicitus, rem examinet et iudicium emittat. Sic magistri, auctores et consiliarii practicorum casuum resolutiones facere solent.

III. Differt multo magis a iudicio doctrinali speculativo (seu theorico), quia hoc constitit in iudicando de casu qui practice contingere non solet; vel qui consideratur cum talibus circumstantiis, quae vix unquam sine periculo hallucinationis vel abusus in praxi contingant. Exemplum habes in doctrina de liceitate osculorum inter sponsos de futuro si sint levia et superficialia etc.; de qua doctrina dici solet posse quidem esse veram speculative sed non practice; quandonam enim oscula inter illos erunt levia et superficialia?

IV. Differt denique a synderesi; haec enim nihil aliud est nisi habitualis cognitio summorum principiorum moralium, quae primo intuitu et sine ratiocinio per naturalem evidentiam omnibus innotescunt. Exemplum habes in axiomate: *bonum est faciendum, malum est vitandum.* Hinc synderesis maximam claritatem, stabilitatem et universalitatem comitem habet; est semper in promptu, atque appellatur fons et seminarium subsequentium cognitionum quae utique dant locum conscientiae; ad synderesim enim principia, ad conscientiam vero conclusiones spectant. Sic, dum synderesis dicit: *malum est vitandum;* conscientia subdit, v. g., *ergo hoc mendacium, ergo hoc adulterium etc. a me vitari debet.*

2207. *Quaenam sunt principales conscientiae distinctiones?*

Prima distinctio est illa quam supra (*n.* 2205) indicavi, quatenus scilicet alia est conscientia *actualis*, et alia conscientia *habitualis.*

Conscientia actualis plures habet subdistinctiones, potest enim esse 1° *Obligans*, vel *consulens* vel *permittens;* 2° *Antecedens*, vel *subsequens;* 3° *Certa* vel *incerta*, vel *dubia*, vel *suspicans*, vel *opinans;* 4° *Perplexa;* 5° *Probabilis;* 6° *Recta* vel *erronea.*

Conscientia habitualis plures pariter habet subdistinctiones; potest enim esse *bona*, *mala*, *tenera*, *stricta*, *scrupulosa*, *laxa*, *pharisaica*, et *cauteriata.* Sed haec sunt explicanda.

2208. *Explica distinctionem inter conscientiam obligantem, permittentem et consulentem.*

Obligans est quae dictat rem aliquam esse faciendam vel ab ea esse abstinendum.

Permittens est quae dictat rem aliquam esse licitam.

Consulens est quae dictat rem aliquam esse meliorem et sub ccnsilio cadere.

2209. *Explica distinctionem inter conscientiam antecedentem et subsequentem?* Antecedens (vel concomitans) antecedit vel comitatur actum, et proinde in eiusdem moralitatem formalem influit. Subsequens vero actum ipsum subsequitur, et potest esse *tranquilla*, vel *turbata*. Turbata autem triplici modo esse potest. Primus est quando post malum formaliter commissum conscientia iterum remordet. Secundus est quando post malum materialiter et bona fide commissum quis cognoscit se male egisse (prout contingere solet, v. g., in iis qui, ignorando esse vigiliam, carnem manducant, et postea vigiliam esse addiscunt). Tertius est quando quis post recte factum inani aliqua ratione turbatur. Conscientia subsequens (uti patet) in actus moralitatem formalem nihil influit; et proinde de illa in tractatu isto (sine speciali indicatione) loqui non intendo. Notandum solum quod rudes qui credere solent se peccasse et confiteri debere, etiam quando bona fide processerunt, si postea de actionis malitia certiores evaserint, de hoc errore sunt admonendi.

2210. *Explica distinctionem inter conscientiam certam et incertam.*

Conscientia dicitur *certa*, quando quis absque formidine errandi, firmiter scilicet et cum perfecta quiete intellectus, iudicat rem tali vel tali modo se habere, nempe esse licitam vel illicitam etc. Dicitur autem *incerta*, quando intellectus iudicium nullum aut non ita firmum efformare potest.

2211. *Explica distinctiones conscientiae dubiae, suspicantis et opinantis.* Hae sunt subdistinctiones conscientiae incertae. Conscientia enim incerta

Dicitur *dubia*, quando intellectus non inclinet magis ad unam quam ad aliam partem; quod accidere potest dupliciter, scilicet 1° quia nec pro una, nec pro alia parte ulla ratio appareat; 2° quia rationes quidem pro utraque parte appareant, sed omnino videantur aequales. In primo casu dubium *negativum*, et in secundo *positivum* appellari deberet. Cf. Ballerini (*Op. th. II.* 53) *.

* Dico *deberet;* hodierni enim Theologi, genuinam dubii notionem destruentes, dubium negativum et positivum aliter definiunt cum S. Lig., qui (I. 20) dicit: « *Negativum* est quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed tantum leves. *Positivum* est quando pro utraque parte, vel saltem « pro una, adest grave motivum, sufficiens ad formandam conscientiam pro- « babilem, licet cum formidine de opposito; ideo dubium positivum fere « semper coincidit cum opinione probabili ».

Dicitur *suspicans*, quando intellectus levem inclinationem habet pro una parte (utique ex levi vel levissimo motivo).

Dicitur *opinans*, quando intellectus ex motivo gravi ad unam partem magis propendet, cui proinde adhaeret, etsi cum formidine de opposito. Ballerini (*l. c.*).

2212. *Quandonam conscientia dicitur perplexa?* Etsi perplexitas contingere possit in quacumque materia, toties quoties homo suspensus et anceps remanet nesciens pro qua ex duabus partibus se resolvat; tamen Theologi conscientiam esse perplexam dicunt solum quando perplexitas proveniat ex malo quod ex utraque parte conspiciatur; ut puta, si quis debens assistere infirmo et audire Missam, perplexus remaneat an infirmum an vero potius Missam deserere licite possit. Perplexitas autem diversa est a dubio; qui enim dubitat nescit distinguere an aliquid sit bonum vel malum; qui vero est perplexus nequit se resolvere inter duo mala.

2213. *Explica distinctionem inter conscientiam rectam et erroneam?* Haec distinctio communius usurpatur ad significandum an conscientia, quam quis sibi efformat, rei veritati correspondeat (quo casu dicitur recta), vel non correspondeat (quo casu dicitur erronea). Erronea autem esse potest credendo 1° esse licitum vel praeceptum quod est illicitum (credit, v. g., quis se posse vel debere furari ad subveniendum pauperi); 2° esse illicitum quod est licitum vel praeceptum (credit, v. g., quis esse illicitam compensationem iustam, quam facere posset vel etiam deberet); 3° esse melius quod melius non est (credit, v. g., quis esse melius orare quam assistere infirmo indigenti). Insuper conscientia potest esse erronea *vincibiliter* aut *invincibiliter*, secundum quod errorem cognoscere possibile vel impossibile sit, iuxta supra dicta (n. 2100).

Notandum quod conscientia interdum dicitur recta alio sensu, scilicet ad significandam conscientiam habitualiter bonam; unde dicimus, v. g.: Titius est homo conscientiae rectae, habet rectitudinem conscientiae etc. Hoc sensu autem conscientia posset esse recta quamvis erronea foret.

Ad evitandam huius duplicis sensus aequivocationem, aliqui Theologi dicunt esse distinguendum non inter conscientiam rectam et erroneam; bene vero inter conscientiam *veram* et erroneam. Sed in verbis technicis mutationes facere non expedit.

2214. *Veniendo nunc ad declarandas distinctiones conscientiae habitualis et improprie dictae, explica quid sit conscientia bona, mala, tenera, stricta, scrupulosa, laxa, pharisaica et cauteriata?*

I. Est *bona* vel *mala* secundum quod homo iuxta vel contra conscientiam obligantem se gerere, et sic a peccato formali abstinere vel non abstinere solet. Conscientia bona dicitur etiam *timorata* vel *meticulosa;* et homo bonae conscientiae *conscientiosus* appellatur.

II. Dicitur *tenera* (seu *delicata*) quando quis cavere solet etiam a levissimis defectibus, qui tamen reapse sint defectus, non vero scrupuli.

III. Dicitur *stricta* quando quis in rebus opinabilibus partem rigidiorem amplecti solet, neque benigniorem sententiam tenere audet; aut facile mortale peccatum esse credit quod reapse veniale tantummodo existimari potest.

IV. Dicitur *scrupulosa*, quando quis inanibus prorsus aut nimis levibus rationibus ductus formidare solet de peccato, ubi peccatum certe vel probabilissime non adest.

V. E contra dicitur *laxa*, quando quis inanibus prorsus aut nimis levibus rationibus ductus iudicare solet esse licitum aut leve quod certe vel probabilissime illicitum aut grave est.

VI. Dicitur *pharisaica* quando quis magna parvi, et parva magni facit. Sic appellatur a Pharisaeis, qui dicuntur (*Matth. XXIII.* 24) *excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Est quid mixtum ex conscientia laxa et scrupulosa.

VII. Dicitur demum *cauteriata* (vel *sopita*, vel *indurata*), quando quis propter maximam et diuturnam perversitatem remorsum amplius non experitur, et peccata mortalia fere pro nihilo habet.

ARTICULUS II.

DE CONSCIENTIA CERTA.

2215. *Quot modis conscientia potest esse vel evadere certa?*

Potest esse vel evadere certa certitudine metaphysica, physica, et morali; item certitudine perfecta et imperfecta; denique certitudine directa et indirecta.

Certitudo *metaphysica* fundatur in rationibus ita evidentibus ut absolute repugnet rem aliter esse; ut puta, dum conscientia dictat quod odio habere aut blasphemare Deum est peccatum.

Certitudo *physica* fundatur in legibus naturae physicae, ut puta, si quis conscientiam habeat se hominem occidere, eo quod oculis suis hominem videat, et contra illum sclopum explodat.

Certitudo *moralis* fundatur in modo constanti quo homines se gerere solent in talibus vel talibus circumstantiis: et certi-

tudo ista potest esse *perfecta* (ut puta, si quis pro certo habeat arsenicum esse venenum, eo quod sic semper dici audierit), et *imperfecta* (ut puta, si Sacerdos pro certo habeat vinum, quod pro Missa ei datur, vere esse vinum).

Denique certitudo dicitur *directa* si per argumenta materiae intrinseca; *indirecta* vero si ex principio aliquo extrinseco acquiratur. Dubitat v. g. quis an talis vel talis obligatio adsit. Examinat verba legis et clare invenit legem ad illum casum non extendi. En certitudo acquisita directe. Si autem, examinando verba legis, in dubio remaneret; attamen reflecteret legem illam esse odiosam atque adeo in dubio non obligare quia odia sunt restringenda; tunc indirecte (seu, ut aiunt, per principium *reflexum* aut *subsidiarium*) certitudinem acquireret. Idem dic si propter auctoritatem Doctorum, aut alias rationes (etsi semper remaneret dubium directum) ad certitudinem de licito (vel illicito) perveniret.

2216. *An conscientia erronea possit esse certa?* Affirmative, si sit erronea hic et nunc invincibiliter; ita scilicet ut de falsa persuasione nullum dubium habeatur. Subinde enim accidit quod quis (sive a se ipso hallucinatus sive ab aliis deceptus) pro certo habeat esse verum quod est falsum. Exemplum habes in Confessario, qui sine scientia sufficienti confessiones audiat, dum de defectu isto nullatenus dubitet hic et nunc. Dico *hic et nunc;* conscientia enim potest esse certa et invincibiliter erronea hic et nunc, quamvis antea talis non fuisset. Exemplum habes in dicto Confessario, qui, etsi hic et nunc de insufficientia sua nullatenus dubitet, tamen antea dubitaverit, nunc autem non dubitet, sive quia non reflectat, sive quia se scientiam sufficientem iam habere falso sibi postea persuaserit.

2217. *Quaenam sunt principia generalia circa conscientiam certam?* Sunt duo:

I. Conscientia certa, si sit obligans (scilicet praecipiens aut vetans), sequi debet.

II. Conscientia certa, si sit permittens, sequi potest.

In utroque casu autem perinde est sive sit recta, sive sit erronea hic et nunc invincibiliter.

2218. *Cur conscientia certa obligans sequi debet, sive sit recta, sive sit erronea, et quidem sive etiam sit ita erronea, ut dictet rem illicitam esse praeceptam?*

I. Quia necessarium est prorsus ut unusquisque conscientiam suam, quae certam obligationem indicet, sequatur; idque quamvis esset erronea (dummodo invincibiliter); homo siquidem

veritatem ab errore *invincibili* distinguere non potest; neque expedit ut, propter possibilitatem erroris aut etiam alicuius peccati materialis, homo relinquatur ita liber ut conscientiae suae certam obligationem recognoscenti obtemperare non teneatur. Conscientia quippe gerit officium praeconis legem intimantis, cui subditi obedire deberent, quamvis ille, iis ignorantibus, contra voluntatem legislatoris legem intimaret.

II. Quia, dum quis agit contra conscientiam obligantem, iam ex hoc ipso voluntatem peccandi habet.

III. Quia Apostolus (*Rom. XIV.* 23) scripsit: « Omne quod « non est ex fide (*quod intelligitur iuxta conscientiam*) pec« catum est ».

Hinc, v. g., adesset obligatio non solum adimplendi votum invalidum (si credatur validum), aut observandi ieiunium vel festum existimatum; sed etiam accedendi ad non suam casu quo matrimonium inscienter fuisset invalidum et putata uxor debitum peteret.

Qui autem contra conscientiam erroneam sive praecipientem sive vetantem procedit (v. g. negando debitum putatae uxori, vel tunc rem habendo cum alia), perinde est ac si peccatum contra conscientiam rectam committeret; unde haec differentia speciem non mutat, neque circumstantiam in confessione necessario explicandam constituit. Cf. Ballerini (*Op. th. Tr. II.* 48. 49).

2219. *Quid de rudibus qui se accusant de peccatis, dum revera, propter impossibilitatem aliter faciendi, vel propter gravem difficultatem, a culpa excusantur? Estne credendum quod contra conscientiam erroneam obligantem vere deliquerint?*

Interdum agitur de conscientia non solum erronea sed mere consequenti; ut puta, si quis credat se peccasse propter distractiones aut imaginationes involuntarias et prorsus inculpabiles (in oratione), vel propter somnia turpia, vel motus carnales absque culpa contingentes, aut propter blasphemias auditas, aut res casu et mere visas, aut occasiones inadvertenter aliis datas blasphemandi vel iram concipiendi etc. In huiusmodi casibus manifestum est quod homo errat quidem (talem conscientiam habendo), sed non peccat; tunc enim conscientia (utpote consequens) in actionem nullatenus influit *.

Etsi autem ageretur de conscientia antecedenti vel conco-

* Huiusmodi rudes (ne sic inaniter timeant) instruendi sunt; sed prudenter, ne forte, audiendo haec nihil mali esse, in extremum oppositum abeant, negligentes evadant, cautelas non adhibeant etc.

mitante, in casu absolutae impossibilitatis (ut puta, si quis inclusus in carcere, aut incapax prorsus propter morbum, ad Missam se conferre non potuerit) certe culpa adesse nequiret; nequit enim adesse peccatum sine libertate. Si autem non de impossibilitate, sed solum de gravi difficultate (v. g. ad Missam se conferendi), ageretur; tunc accidere potest quod rudes ex conscientia erronea se non excusari (dum revera excusarentur) existiment, et sic reapse peccent. Ut plurimum tamen se accusant de peccato ex falsa idea peccati, et non quia formaliter peccaverint (non quia scilicet vere crediderint Deum exigere ut illud incommodum subirent, et proinde Deum offendisse et poenas meruisse etc.); sed solum quia materialem illam omissionem vel actionem posuerint, quae solet dici peccatum, atque ideo in confessione accusandam esse ineptissime reputant.

2220. *Loquendo nunc de secundo principio supra exposito* (*n.* 2217), *cur conscientia certa, si sit permittens, sequi potest, quamvis ex ignorantia invincibili erronea esset?* Quia, deficiente cognitione malitiae, culpa adesse nequit.

2221. *Quomodo cognoscitur quod aliquis de actionis liceitate erronee conscientiam vere certam habuerit?*

Primum signum erit si quis conscius sibi sit, vel asseveranter fateatur, se nullum dubium habuisse, nullam indecentiam perspexisse, nullum remorsum sensisse, nullamque turbationem expertum fuisse. A fortiori si insuper fateatur conscientiam sibi non suggessisse, confessarium aut aliquem alium esse interrogandum; vel dicat se, cognita veritate, facti sui displicentiam habuisse, et quod prius ignoranter fecit non amplius fecisse; idque maxime si persona sit meticulosae conscientiae, aut valde rudis, aut adhuc in tenera aetate; et speciatim si agatur de re non obvia, cuius malitia communiter non cognoscatur atque (ut vulgo dicitur) oculos non percellat etc. Usque ad quem gradum autem dari possit ignorantia invincibilis, declaratum fuit supra (*n.* 1734).

ARTICULUS III.

DE CONSCIENTIA INCERTA.

Conscientia potest esse incerta 1. quia homo inter duo mala aut pericula versetur; sive ita ut necessario, sive ita ut non necessario, unum eligere debeat; 2. quia simpliciter versetur in incertitudine utrum aliquid licitum sit (quo casu malum aut periculum ex una parte tantummodo conspicitur).

Modi autem, quibus conscientia ex incerta evadere potest certa, sunt plures, inter quos principia probabilistica speciatim considerari debent.

De his omnibus in hoc Articulo agendum est.

PUNCTUM I.

De casu in quo conscientia sit incerta eo quod homo versetur inter duo mala aut pericula, quorum unum necessario eligere debeat.

Haec duo mala (quorum unum necessario eligi debeat) esse aut videri possunt aequalia, vel inaequalia.

2222. *Quid si sint aut videantur aequalia?*

I. Tunc verificatur casus perplexitatis strictae dictae. Exemplum habes in medico, qui, etsi non temere officium suum acceptaverit atque exerceat, nihilominus versetur in dubio utrum talem medicinam porrigere, an vero ab illa porrigenda abstinere debeat; quatenus aequale periculum ex utraque parte conspiciat; nec bivium declinandi modus ei suppetat.

II. In casu huiusmodi potest facere prout vult; et, quamvis ex conscientia erronea, sive unam sive aliam partem eligendo, male facere et peccare crederet, revera non peccaret; necessitas enim peccandi minime datur.

2223. *Quid si mala aut pericula essent aut viderentur inaequalia?* Supposita semper necessitate unum eligendi, malum quod minus videretur eligi deberet.

PUNCTUM II.

De casu in quo conscientia sit incerta, eo quod homo versetur inter duo mala aut pericula; sed ita ut non necessario unum eligere debeat.

2224. *Casus iste estne confundendus cum praecedenti? Et quomodo tunc quis se gerere debet?* Certe casus iste cum praecedenti confundi non debet; quando enim casus non urget, et

tutam aut minus periculosam partem reperiendi medium suppetit, utique contingere potest quod vera adsit obligatio determinationem suspendendi et medium ipsum adhibendi. Exemplum esset in medico, qui, perplexus an talem medicinam dare vel non dare deberet, sive studendo sive consilium petendo, sat facile dubium resolvere posset. Si autem, his mediis neglectis, medicinam sive daret sive non daret, semper peccaret; semper enim periculose procederet dum tuto vel minus periculose procedere commode posset. Dixi *commode;* si enim medium quidem evitandi aut imminuendi periculum adesset, sed valde incommodum foret, tunc obligatio illud adhibendi modo aderit et modo non aderit. Sic, v. g., medicus scientia sufficienti praeditus utique non teneretur Vindobonam se conferre ut cum aliquo medico insigni de modo se gerendi conferentiam haberet. E contra medicus qui passim in perplexitate versaretur, quique scientia sufficienti destitueretur, ad officium etiam renunciandum, non obstante suo gravi vel gravissimo incommodo. teneri posset.

PUNCTUM III.

De casu in quo quis simpliciter versetur in incertitudine utrum aliquid licitum sit.

2225. *Quot modis potest homo incertitudinem deponere, seu (ut aiunt Theologi) dubium resolvere?* Duobus modis, scilicet directe et indirecte prout iam declaratum est supra (*n.* 2215). Sed hic aliud exemplum dari potest.

Dubitat, v. g., quis an teneatur ad ieiunium eo quod nesciat an compleverit annum vigesimum primum; et inquisitionibus factis pro certo reperit quod annum ipsum adhuc non complevit. Ex resolutio directa. E contra inquisitiones frustra peragit, et proinde adhuc incertus remanet an vigesimum primum annum compleverit; attamen a Confessario tutus redditur quod non obstante tali incertitudine licitum est a ieiunio abstinere. En resolutio indirecta.

Sic itaque in resolutione indirecta habetur certitudo practica, sed remanet dubium speculativum; in resolutione autem directa quodlibet dubium destruitur.

2226. *An stante et perdurante dubio (scilicet incertitudine) de honestate actionis, ad illam procedi licite possit?* Negative. Qui de honestate actionis dubitat, vel inquisitiones moraliter

possibiles facere vel a parte tuta stare debet *; secus enim absque ulla excusatione periculo violandi legem se exponeret (quod certe malum est). Si autem inquisitiones facere nequiret, vel iis peractis adhuc dubius remaneret, ita ut neque directe neque indirecte dubium resolvere posset; tunc etiam a parte tuta stare deberet; idque a dictamine conscientiae (quae in tali casu minime esset tranquilla) manifeste patet.

Haec doctrina comprobatur exemplo filii, vel famuli, qui, si aliquid faciendo timeret contraire mandato patris vel domini, utique, ad actionem ipsam procedendo, male facere crederet; neque amicus amicitiae legibus satisfacere reputaret si displicendi amico periculum conspiceret.

Sedulo tamen notandum est quod dubium evanescere potest interpretando voluntatem Superioris in casibus particularibus; si enim ex una parte subditi de mandato Superioris non essent certi (ut fert hypothesis), et ex alia magnis incommodis subiici cogerentur, neque res et circumstantiae clamarent ut a parte tuta omnino standum esset, utique satis clarum esse posset quod Superior subditos tunc excusatos habere deberet. Ballerini (*l. c.* 70. 2).

2227. *Qui stante dubio, illud in favorem liceitatis non resolvit, et turbata conscientia ad actionem procedit, cuiusnam speciei et gravitatis peccatum committit?*

Quoad *speciem*, dicunt esse semper eandem, et contrahere, v. g., malitiam homicidii tam illum qui certe novit se occidere hominem tam illum qui de hoc dubitat. Ballerini (*l. c.* 60). Ego tamen dicerem multum quidem eiusdem speciei, sed aliquid etiam diversae speciei intervenire; aliud enim est homicidium certe committere, aliud vero homicidium committendi periculo dumtaxat se exponere; unde crederem in confessione haec esse distinguenda.

Quoad *gravitatem*, si homo esset animo ita comparatus ut delictum etiam certe cognitum foret commissurus, tunc certe inter peccatum cum certitudine perpetratum et peccatum in dubio

* Scavini (*I. 56*) dicit: « Si conscientia est erronea vincibiliter et haec sit « obligans, qui agit semper peccat sive *iuxta* sive contra conscientiam ope-« retur ». Durus est hic sermo. Qui ex conscientia vincibiliter erronea credit hac die esse ieiunandum, nunquid peccabit si ieiunet et sic *iuxta* conscientiam suam operetur, atque stet a parte tuta? Regula Scavinii potest esse vera solum quando conscientia vincibiliter erronea respiceret casum in quo periculum ex utraque parte conspiceretur et inquisitiones faciendo periculum ipsum evitari posset, iuxta dicta *n. 2224*.

commissum nulla gravitatis differentia adesset. Sed, ab hac hypothesi praescindendo, reatus per se videtur esse minor. Quaestio fit an si peccatum sit ex genere suo mortale aut veniale, etiam qui operatur in dubio peccet mortaliter aut venialiter? Equidem si ille dictamen explicitum et firmum de mortali vel veniali sibi efformasset; decisio esset manifesta. Sed quid si dictamine confuso ad actionem processisset? Tunc iuxta iudicia diversa diversimode coniectandum vel praesumendum erit. Si in sic agendo de mortali explicite formidasset; si dubitasset graviter et conscientiâ valde turbatâ processisset; si peccatum (de quo aderat periculum) fuisset in se certe grave vel gravissimum; si dubium fuisset facti (non iuris); si homo esset conscientiae laxae; si ad veritatem investigandam nihil praestitisset dum commode inquirere potuisset etc.; haec indicia reatum gravem praesumere facerent. Si e contra quis timuisset solum de peccato sed de eiusdem gravitate ne in confuso quidem cogitasset; si de peccato ipso non multum dubitasset nec magnum conscientiae tumultum expertus fuisset; si peccatum ex genere suo mortale non fuisset; si dubium fuisset iuris; si homo esset conscientiae timoratae atque a peccato mortali habitualiter abhorrens; si respectum legi ostendisset et iam inquisitiones fecisset etc.; haec de culpa veniali praesumptionem inducerent.

N. B. Nunc de variis Theologorum doctrinis circa usum opinionis probabilis (quantum in brevi compendio fieri potest), et de aliis principiis indirectis seu reflexis, quae ad dubia resolvenda deserviunt, agendum est. Dixi *quantum in brevi compendio fieri potest:* ut enim argumentum istud pro merito evolveretur, plura volumina exigerentur.

PUNCTUM IV.

De variis theologorum doctrinis circa usum opinionis probabilis.

2228. *Quid est opinio probabilis?* Ut rite intelligatur quid sit opinio probabilis, de qua theologi agunt, animadvertendum est quod quaestione instituta an aliqua actio (vel omissio) licita sit, Doctores imprimis examinant directe (prout in Theologorum libris semper fit), an in contrarium adsit lex aliqua sive naturalis sive positiva, quae ad illum casum, iuxta regulas rectae interpretationis, extendi debeat. Exitus huius examinis

directi potest esse 1. ut Doctores unanimiter et constanter pro certo habeant legem existere vel non existere; et tunc ordinarie (nisi scilicet persona doctissima reperiat fundamenta dubitandi) non iam opinio, sed doctrina certa habebitur. Potest esse 2. ut Doctores vel dividantur, et alii legem existere, alii vero non existere doceant (quin aliquid certi unquam apparuerit); vel omnes suam sententiam cum formidine oppositi tradant. Hic est casus opinionis probabilis, quae ideo definiri potest: *Sententia Doctorum, quae nec certe vera nec certe falsa unquam reperta fuerit, de existentia vel non existentia legis*. Si opinio sit pro existentia legis, dicitur *in favorem legis* (vel *obligans* vel etiam *rigida*); secus dicitur *in favorem libertatis* (vel *deobligans*, vel *benigna*).

2229. *Quomodo contingere potest quod aliqua sententia Doctorum tamquam certe falsa haberi debeat?*

1. Si aliqua definitio S. Sedis sive ex cathedra, sive etiam non ex cathedra, in contrarium prodierit.

2. Si ex ratione manifesta et omnino concludenti, quae postea reperta fuerit, prima sententia probabilitatem amiserit: et casum habes in sententiis quae dicuntur *antiquatae*, quae scilicet ab omnibus theologis iam a longo tempore derelictae fuerunt.

3. Si theologi tantummodo inferioris notae et parum existimati, aut sive laxismo sive rigorismo infecti, sententiam tenuerint, a qua alii omnes Auctores probati (scilicet magna existimatione gaudentes) uno ore recedant; saltem si insuper rationes istorum graves vel gravissimae, illorum vero leves vel levissimae manifeste apparerent.

2230. *Probabilitas opinionis undenam desumitur?* 1. Ab auctoritate Doctorum; 2. A fundamentis quibus Doctores ipsi innituntur. Probabilitas in primo casu *extrinseca;* in secundo *intrinseca* appellatur. Notant, probabilitatem extrinsecam (si sit Auctorum probatorum) praesumptionem inducere de intrinseca; et in quaestionibus abstrusioribus valde facilius esse iudicare de extrinseca quam de intrinseca, de qua tunc doctissimi tantummodo (iique non semper) iudices competentes esse possunt.

2231. *Quid de gradibus probabilitatis?*

Imprimis opinio potest esse *solide probabilis*, aut *tenuiter probabilis;* secundum quod gravi vel levi auctoritatis et rationis fundamento innititur. Opinio tamen tenuiter probabilis (seu parum probabilis aut vix probabilis aut dubie probabilis) practice tamquam improbabilis haberi debet, ut infra videbimus.

Deinde opinio solide probabilis potest esse *probabilissima* (si nempe nedum gravibus sed gravissimis fundamentis innitatur). Comparando autem opinionem cum sua contraria, illa potest esse 1. *probabilior;* 2. *aeque-probabilis;* 3. *minus probabilis.* Ut tamen opinio tamquam probabilior vel minus probabilis iudicari debeat, oportet ut differentia sit certa et manifesta (quod practice accidere nequit nisi sit magna); si enim differentia esset dubia, tunc opinio tamquam aeque probabilis haberi debebit.

2232. *Quaenam quaestiones principales circa usum opinionis probabilis fieri possunt?* Duae; scilicet 1. An in dubio iuris usus opinionis probabilis licitus sit? 2. An in dubio facti usus probabilitatis licitus sit? Sit itaque

QUAESTIO I.

Utrum in dubio iuris usus opinionis probabilis licitus sit?

Quum opinio probabilis possit esse in favorem libertatis et in favorem legis, haec quaestio duplicem sensum habere potest, scilicet 1. An quilibet sequi possit opinionem probabilem in favorem suae libertatis? 2. An Confessarius sequi possit opinionem probabilem etiam in favorem legis obligando (iuxta ipsam) poenitentem?

Claritatis gratia prius doctrinas seu systemata Theologorum, et postea quid meo sensu dicendum sit exponam.

§ I.

Quaenam sint hoc in puncto Theologorum systemata?

Systemata principalia sunt duo: scilicet probabilismus et tutiorismus.

2233. *Quid est probabilismus?* Est systema docens, usum opinionis probabilis in favorem libertatis (dummodo probabilitas sit solida) esse licitum; quatenus scilicet per principia reflexa (cuiusmodi esse dicunt, v. g., *lex dubia non obligat, lex incerta non potest inducere obligationem certam etc.*) unusquisque dubium practicum evadere, et certitudinem licite agendi assequi possit.

2234. Dixi *dummodo probabilitas sit solida;* secus enim non iam probabilismus locum haberet, sed *laxismus,* qui usum quoque opinionis tenuiter probabilis admittit; sed erronee.

2235. *Quid est tutiorismus?* Est systema docens, usum opinionis probabilis in favorem libertatis esse illicitum; principia reflexa esse dubii valoris, eaque ad dubium practicum destruendum non sufficere; et proinde a parte tuta semper esse standum.

2236. *Haec systemata subiiciunturne subdivisionibus?* Affirmative; scilicet

Tutiorismus alius est *mitigatus* et alius *absolutus*. Mitigatus certitudinem moralem, etiam latam (quae confunditur cum opinione probabilissima) sufficere docet. Absolutus e contra opinionem quoque probabilissimam pro insufficienti habet, et certitudinem plenam semper exigit.

2237. Probabilismus autem subdividitur praecipue inter *probabilismum purum*, et *aequiprobabilismum* (qui dicitur etiam probabilismus moderatus).

Probabilismus purus quamlibet opinionem solide probabilem in favorem libertatis sufficere docet, quamvis esset certe minus probabilis, et proinde quamvis opinio legi favens certe probabilior foret.

Aequiprobabilismus e contra usum opinionis, quae sit certe minus probabilis, non admittit; et docet talem opinionem vel pro solide probabili haberi non posse, vel utcumque non esse sequendam. Exigit itaque hoc systema quod opinio in favorem libertatis (ut sequi valeat) aut sit probabilior, aut sit moraliter aeque probabilis. Dixi *moraliter;* si enim differentia videretur parva vel dubia; tunc opinio adhuc sequi posset.

2238. Circa probabilismum sedulo notandum quod, quamvis omnes probabilistae doceant, unumquemque sequi posse opinionem solide probabilem in favorem suae libertatis, tamen (ut infra videbimus) plures censent Confessarios sequi posse etiam opiniones probabiles in favorem legis; ita scilicet ut in praxi tribunalis poenitentiae eis integrum sit uti qualibet opinione solide probabili, sive benigna sive etiam rigida sit; unde, stante probabilitate tam pro obligatione quam pro libertate, Confessarii (prout melius crediderint) modo deobligare, modo etiam obligare poenitentem poterunt.

2239. *Quid de probabiliorismo?* Est systema quod opinionis minus probabilis et aequeprobabilis usum illicitum esse docet; atque exigit ut opinio libertati favens sit saltem probabilior

(ut sequi possit). Ex rationibus tamen, quas Auctores huius systematis passim adducunt, manifeste patet quod non solum maiorem probabilitatem sed certitudinem exigunt; et sic probabiliorismus (quoad multos eiusdem asseclas) nonnisi ementitus tutiorismus est. Aliqui tamen non tutioristae larvati sed vere probabilioristae sunt.

2240. *Ecclesia damnavitne aliquod ex his systematibus?*

Damnavit certe *tutiorismum absolutum;* propositio enim quae dicebat: « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles pro- « babilissimam » damnata fuit ab Alexandro VIII.

Damnavit etiam laxismum scilicet usum opinionis non solide probabilis. Patet ex sequentibus propositionibus: « Generatim, « dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, *quantumvis* « *tenui*, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi ali- « quid agimus, semper prudenter agimus ». « Si liber est alicuius « iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non « constet reiectam esse a Sede Apostolica tamquam improba- « bilem ». Prima ab Innoc. XI, et secunda ab Alex. VII. damnata fuit. Sensus autem harum propositionum erat approbandi in dubio iuris usum probabilitatis *etiam tenuis*, et sufficere si opinio aliquo modo (et proinde etiam non solide, non graviter, non certe, non prudenter etc.) dici posset probabilis.

De aliis autem systematibus (probabilismi, probabiliorismi, et tutiorismi mitigati) nulla Ecclesiae damnatio unquam prodiit.

2241. *Systemata probabilismi, aequiprobabilismi, probabiliorismi et tutiorismi mitigati habentne pro se fundamentum magnum Auctoritatis et favorem Ecclesiae?* Affirmative.

2242. *Quomodo ostenditur tutiorismum mitigatum, et probabiliorismum (qui, ut dixi, cum tutiorismo passim confunditur) habere pro se fundamentum magnum auctoritatis?*

I. Hoc systema fundatur certe in auctoritate multorum Theologorum, inter quos citantur praecipue Estius, Natalis Alexander, Caietanus, Berti, Baronius, Alasia, Dens, Fagnanus, Gazzaniga, Gotti, Tournely, Mercorus, Panormitanus, Petrocorensis, Pontas, Vernier, Concina, Habert, Iueninius, Billuart, Antoine, Cabassutius, Collet, Cuniliati, Saettler, Carriere etc.

Probabiliorista fuit quoque S. Antoninus, qui (*De Consc. P. I. tit. III. C. X. n.* 10) scripsit: « Non peccat, dum quis adhae- « ret opinioni alicuius doctoris *et habet rationes probabiles pro* « *ipsa MAGIS quam pro apposita opinione*... Sunt de aliqui- « bus materiis moralibus Doctores opinionum contrariarum.... « Cum bona conscientia potest quis tenere unam partem ali-

« cuius opinionis et secundum eam operari......, quae scilicet « pars habeat pro se notabiles Doctores..... et quod etiam ex « contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum « sed bonam sibi conscientiam et credulitatem efformet de eo « quod credit, *tamquam de probabiliori parte* ».

Inter tutioristas recensendus esse videtur etiam D. Thomas, qui (*Quodlib. VIII. A. XIII*), proposita quaestione tunc controversa an quis possit habere simul duo beneficia simplicia sine dispensatione, sequenti modo scripsit:

« Videtur quod ille qui habet plures praebendas peccet, ex « hoc ipso quod committit se discrimini, cum faciat contra « multorum peritorum sententiam.

« Sed contra est. Potest esse quod in tali casu aliquis ad-« hibeat diligentiam inquirens an habere plures praebendas sit « licitum, nec inveniat aliquid quod eum moveat ad hoc quod « sit illicitum.

« Respondeo dicendum quod duobus modis aliquis ad pecca-« tum obligatur: uno modo faciendo contra legem.......; alio « modo faciendo contra conscientiam..... Ex conscientia autem « obligatur aliquis ad peccatum sive habeat certam fidem de « contrario (*scilicet de illicito*), sive etiam habeat opinionem « (*de licito*) cum aliqua dubitatione.

« Dicendum est ergo quod quando duae sunt opiniones con-« trariae de eodem, oportet esse alteram veram ot alteram « falsam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem magistrorum, « utpote habendo duas praebendas, facit contra veram opinio-« nem, et sic, cum faciat contra legem Dei *, non excusatur « a peccato (*saltem materiali*)..... Aut illa opinio (*magistro-« rum*) non est vera..... ita quod vere liceat habere plures « praebendas; et tunc distinguendum est: quia (1°) aut talis « habet conscientiam de contrario, et sic iterum peccat contra « conscientiam faciens, quamvis non contra legem; aut (2°) « non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem (*de « licito*); sed tamen (*postea*) in quamdam dubitationem indu-« citur ex contrarietate opinionum; et sic si, manente tali

* S. Lig. (*I. 55*) dicit: « Si promulgatur lex dubia, promulgabitur dumtaxat dubium, opinio, sive quaestio etc.; sed non promulgabitur lex «. Prius autem dixerat promulgationem legis esse de essentia legis. Imo in Opusculo *Difesa della dissertaz. etc.* § 1. rotunde dicit cum P. Segneri: « Donec pro-« babile est non adesse legem, indubitatum est talem legem non adesse ». Sed quomodo haec componuntur cum praedictis D. Thomae verbis; *Cum faciat contra legem Dei?*

« dubitatione, plures praebendas habeat, periculo se committit, « et sic procul dubio peccat....; aut (3°) ex contrariis opinio- « nibus in nullam dubitationem inducitur, et sic non committit « se discrimini nec peccat ».

Peto: Si D. Thomas fuisset probabilista et principia reflexa recognovisset, nonne unico verbo quaestionem solvisset, dicendo plures praebendas retineri posse quia lex dubia non obligat, quia non lex sed sola opinio promulgata fuit, quia lex incerta non potest inducere obligationem certam etc.?

Hinc Pallavicini in aureo libro cui titulus *Il Sacerdote santificato* (*sulla pratica maniera d' amministrare il Sacr. dvlla Penit. Lett.* 2.ª *n.* 7) scripsit: « Sunt tales numero et merito « Auctores antiqui et moderni, qui probabiliorismum tuentur, « ut mereri notam rigorismi qui illum sequuntur, nullatenus « dici possit ».

II. Probabiliorismus alios etiam insignes favores obtinuit. Capitulum generale Ordinis Praedicatorum (*an.* 1636) suis iniunxit ut probabiliorismum tenerent atque defenderent. Idem fecit Capitulum generale Theatinorum (*an.* 1598). Capitulum generale Societatis Iesu (*an.* 1687) declaravit probabilismum minime recognosci tamquam doctrinam Ordinis.

2243. *Quomodo ostenditur quod S. Sedes quoque probabiliorismo et tutiorismo* (*mitigato*) *favorem praebuerit?*

Benedictus XIV Collegio Propagandae Fidei, et Leo XII Archigymnasio Romano pro libro textus assignarunt Theologiam Gabrielis Antoine, qui (ut omnes norunt) probabiliorista imo tutiorista est. Romae autem exemplum dioeceses innumerae imitarunt, et sic probabiliorismus multis annis Ecclesiae fere universali regulam dedit.

Praeterea S. C. S. Officii (an. 1761) damnavit sequentem propositionem: « Probabilioristis stricte talibus, qui ex prae- « cepto, quod nunquam satis probant, seipsos et alios ad pro- « babiliora impellunt, merito Rigoristarum nomen imponimus » (*Apud S. S. Lig. I. Morale Syst. Monitum*).

2244. *Quomodo ostenditur quod etiam probabilismus purus magnum in auctoritate fundamentum habeat?*

Systema istud (quod, ut supra dixi, opinionis quoque minus probabilis usum admittit) habet pro se theologos innumeros, et quidem primi subsellii, inter quos citantur Suarez, Lugo, Sanchez, Lessius, Laymann, Vasquez, Navarrus, Toletus, Salmanticenses, Palao, Busembaum, Sporer, Bonacina, Croix, Elbel, Filliuccius, Pater Segneri, Reginaldus, Roncaglia, Va-

lentia, Coninch, Ledesma, Sylvius, Perez, Medina, Herinx, aliique plurimi; unde S. Lig. (Hom. Ap. Ed. III) scripsit: « Ut « possit quis licite sequi opinionem minus probabilem pro liber- « tate, licet opinio pro lege sit *certe* probabilior; hanc senten- « tiam elapsi saeculi auctores *quasi communiter* tenuere ».

Et Pallavicini (*l. c. n.* 8) dicit: « Sufficit inspicere multitu- « dinem et meritum defensorum (probabilismi) ut appareat « laxitatem continere non posse.... Alphonsus de Sarasa (qui « obiit anno 1667) enumerat auctores 159, qui expresse docent « posse sequi opinionem minus probabilem..... Illis adde alios « plurimos qui postea lapsu annorum centum et amplius eandem « doctrinam defenderunt. In conspectu autem agminis adeo in- « gentis Auctorum scientia, pietate, et experientia adeo spe- « ctabilium (inter quos plures fuerunt etiam charactere episco- « pali insigniti) quis dixerit hanc doctrinam solido rationis « fundamento carere et esse laxam? » His autem addendi sunt plures recentiores primi subsellii, v. g., Gury, Ballerini, Lhemkuhl, Frassinetti etc.

2245. *Quomodo ostenditur quod etiam S. Sedes probabilismo favorem praebuerit?*

Quamvis lapsu fere unius saeculi vivissimae porrectae fuerint S. Sedi instantiae ut probabilismum damnaret (ut notat Pallavicini *l. c. n.* 10); ipsa tamen in contrarium nihil unquam pronuntiavit. Sed numquid tacuisset Ecclesia si haec doctrina tamquam laxa reiicienda esset? Si damnavit doctrinas particulares (utique longe minoris momenti), cur non damnasset istam si vere laxa foret? Istam dico, quae principium supremum constituit, infinitis applicationibus aditum praebet, atque insuper propter multitudinem et auctoritatem Theologorum illam defendentium universum mundum deciperet? S. Thomas (*Quodlib. IX. a. XV*) scripsit: « Quod vergit in commune periculum non « est ab Ecclesia sustinendum ». Dum itaque Ecclesia nunquam se opposuit, hoc ipso palam fecit hanc doctrinam nec laxam nec periculosam, sed practicabilem et tutam esse. At vero Ecclesia nedum silentio, sed etiam variis modis positivis probabilismo favorem ostendit. Permisit imprimis et nunc quoque permittit ut nedum in pluribus Dioecesibus sed etiam Romae (in Seminario Romano, in Collegio Germanico, et in Collegio Propagandae fidei) probabilismus doceatur. Insuper sedulo semper cavit ne probabiles dicerentur opinioues, quae laxitate laborent (ut patet ex prop. 2ª, 3ª, 44ª, 57ª ab Innoc. XI damnatis, necnon a prop. 40 damnata ab Alex. VII): et sic manifeste signifi-

cavit quod probabilitas tamquam qualitas existimationem opinioni concilians haberi debet. Denique ipsi Summi Pontifices pluries se gesserunt iuxta opiniones quae probabiles vel etiam praecise minus probabiles ab ipsis iudicabantur. Plura exempla suppeditavit S. Lig. in Dissertatione edita an. 1755; quorum unum est sequens. In Cap. *Quaesitus De cognat. spir.* haec quaestio enunciatur: « Si vir vel mulier.... filium suum de sacro « fonte susceperit, an propter hoc separari debeant? » Et Alexander III respondit: « Quamvis generaliter sit constitutum, « ut separari debeant; quidam tamen humanius sentientes aliter « statuerunt. Ideoque nobis videtur quod.... non sunt ab invi« cem separandi ».

2246. *Veniendo nunc ad aequiprobabilismum, quomodo ostenditur quod hoc systema magnum auctoritatis fundamentum habeat?*

Patet quia hoc est systema S. Ligorii, cui adhaerent Gousset (*n.* 91), Scavini, Del Vecchio, Marc, et novissime Aertnys, qui n. 87 plures alios etiam antiquiores citat.

Dixi hoc esse systema S. Ligorii. Equidem Ballerini censuit S. Ligorium esse probabilistam purum, et proinde admittere usum opinionis minus probabilis (dummodo sit solide probabilis) relicta alia probabiliori, etsi certe probabilior esset. At vero hoc admitti nequit. S. Ligorius docuit quidem probabilismum purum quando scripsit primam dissertationem (an. 1755); ubi iam inde ab initio dixit: « Benigniorem et communissimam « (sententiam) probandam aggredimur; nempe licitum esse uti « opinione probabili etiam in concursu probabilioris pro lege, « semper ac illa certum et grave habeat fundamentum », sed postea systema istud evidentissime deseruit.

In Opusculo cui titulus *Apologia* et in opere quod inscribitur *Homo Ap.* scripsit: « Ut possit quis licite sequi opinionem « etiam minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege « sit *certe* probabilior; hanc sententiam elapsi saeculi auctores « *quasi communiter* tenuere; sed nos dicimus esse laxam et « licite amplecti non posse ». Ballerini dicit S. Doctoris mentem fuisse dumtaxat reiiciendi doctrinam damnatam illorum qui usum opinionis tenuiter probabilis admittebant; sed, si ita res esset, quomodo dicere potuisset eandem doctrinam auctores *quasi communiter tenuisse?* Recessit itaque S. Doctor a doctrina *quasi communi.* Sed haec utique nulla alia esse potest quam doctrina quae in priori illa Dissertatione citata ab eo ipso appellata fuit *communissima,* et quae probabilismum purum defendit;

atque dicit stare et sequi posse opinionem vere et solide probabilem pro libertate in concursu probabilioris pro lege, quin distinguatur an ista certe vel incerte, parum aut multum sit probabilior. Adde quod S. Doctor millies dixit quod ut sequi possit opinio in favorem libertatis, oportet ut sit aeque vel fere aeque probabilis suâ contraria, et quod sequi non potest si haec ipsa opinio contraria sit eerte vel multum vel notabiliter probabilior.

Sed cur S. Ligorius a probabilismo puro recessit? Quamvis huiusce rei rationes ille ipse indicaverit, tamen propter rationum ipsarum incompatibilitatem, quodnam fuerit verum motivum non facile intelligitur.

Saepius dixit se nolle approbare usum opinionis minus probabilis contra certe aut notabiliter probabiliorem, quia tunc opinio minus probabilis nequit esse solide probabilis, aut (quod in idem recidit) quia tunc lex iam haberi debet tamquam existens et sufficienter promulgata, nec amplius invocari potest principium: *lex dubia non obligat.* Rationem istam adduxit pluries et speciatim in Theol. mor. Ed. IX. (*I.* 53), ubi dixit: « Illicitum esse uti opinione notabiliter et certe minus proba- « bili; etenim cum opinio pro lege est longe maioris ponderis.... « illa evadit moraliter certa aut quasi certa, efficitque ut ap- « posita pro libertate reddatur vel improbabilis vel dubie pro- « babilis, et ideo illa uti non possumus ».

At vero alibi dixit rationem principalem non esse istam, sed aliam; quam exposuit in opusculo cui titulus *Dichiarazione del sistema* etc., inquiens: « Ratio principalis est quia ubi « veritatem clare percipere non possumus, saltem sequi debe- « mus illam opinionem quae veritati magis appropinquatur ». Imo in ultima editione Theologiae moralis (*L. I.* 55), ratione antecedenti prorsus praetermissa, istam unice adduxit, inquiens: « Dico quod si opinio, quae stat pro lege, videatur certe pro- « babilior, ipsam omnino sectari tenemur; nec possumus tunc « oppositam (*minus probabilem*), quae stat pro libertate, am- « plecti. Ratio quia ad licite operandum debemus in rebus dubiis « veritatem inquirere et sequi: at ubi veritas clare inveniri « nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae pro- « pius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior ».

Ex hucusque dictis certum est quod S. Ligorius omnino reiiciebat usum opinionis minus probabilis in favorem libertatis, quando alia in favorem legis videatur certe probabilior. Hoc imprimis et absolute. Ratio autem ei erat non tam quia opinio benigna tunc necessario esse deberet falsa vel improbabilis vel

tenuiter probabilis; quam quia (etsi remaneret solide probabilis) est contra rectam rationem sequi minus probabilem et reiicere probabiliorem. Hinc in opusculo cui titulus *Apologia* dixit: « Ego non dico, veram sententiam esse ut licitum sit « sequi opiniones probabiles ».

Et in Epistola ad P. Blasucci subiunxit: « Quando opinio rigida « est certe probabilior, etsi de unico dumtaxat differentiae gradu « ageretur, tunc est etiam notabiliter probabilior... Caeterum, « dum dico quod, toties quoties opinio est certe probabilior, « illa sequi debet, iam aequivocum nullum superesse potest ». Denique in epistola ad P. Villani scripsit: « Sicut scrupulum « haberem concedendi facultatem confessionum audiendarum ei « qui sequi vellet P. Patuzzi (probabilioristam), ita scrupulum « haberem permittendi ut confessiones audiret aliquis ex nostris « qui opinionem benignam tamquam minus probabilem certe « cognitam sequi vellet ».

2247. *Quomodo ostenditur quod S. Sedes aequiprobabilismo favorem praestiterit?*

Patet 1° ex solemnissimis et notissimis approbationibus, quas S. Sedes operibus et doctrinis S. Ligorii praestitit.

In decreto super concessione tituli Doctoris legitur: « Quum « inter implexas Theologorum sive laxiores sive rigidiores sen- « tentias tutam straverit viam per quam Christifidelium ani- « marum moderatores inoffenso pede incedere possent ».

SS.mus D. N. Leo XIII in litteris ad P. Duiardin dicit: « Ne quid dicamus de Morali Theologia ubique terrarum cele- « bratissima tutamque plene praebente normam quam conscien- « tiae moderatores sequantur ».

S. Poenitentiaria ad quaesita « 1° *Utrum sacrae theologiae « professor opiniones quas in sua theologia morali profitetur « B. Alphonsus a Ligorio sequi tuto possit et profiteri?* 2° *An « sit inquietandus Confessarius qui omnes B. Alphonsi a Li- « gorio sequitur opiniones in praxi sacri Poenitentiae tribu- « nalis?* Respondit:

« *Ad 1.um Affirmative, quin tamen inde reprehendendi « censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus tradi- « tas sequuntur. Ad 2.um Negative.*

Eadem S. Poenitentiaria interrogata an habentes iuramentum retinendi doctrinam probabiliorismi peccent si sequantur et publice tradant in omnibus doctrinam S. Alphonsi a Ligorio? Respondit *negative*. Cf. Marc (*I. in princ.*).

Patet II. Ex Benedicto XIV. Equidem hic doctissimus Pon-

tifex admittebat (contra Probabilioristas et Tutioristas) libertatem dari quando opiniones hinc inde sunt solide probabiles; unde, v. g., (*De Syn. VII.* xi. 2) scripsit: « In tanta opinionum « varietate doctorumque discrepantia, integrum erit Parocho « eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit ». Sed libertatem istam ad casum tantummodo aequalis probabilitatis et non ultra extendebat. Enimvero in Encycl. 26 Iun. 1749 pro Iubilaeo dixit quod in dubiis Confessarius « illam amplectatur « sententiam cui *magis* suffragari rationum et auctoritatum « favorem cognoverit ». Et Instit. CIII. dixerat quod in Conferentiis moralibus, « qui quaestioni respondet... illis potissimum « (opinionibus adhaereat), quae praestantium virorum aucto« ritatibus *magis* innitantur ».

§ II.

Quid circa quaestionem istam dicendum mihi videatur.

2248. I. In dubio iuris periculum infringendi legem potest esse leve, vel grave, vel gravissimum. Periculum leve sperni potest. Patet tum ex propositione damnata de illicito usu opinionis probabilissimae (n. 2240), tum ex nimia frequentia huiusmodi periculi levis, unde lex Domini intolerabilis evaderet, et via salutis impervia redderetur. Non ita est de periculo gravissimo; ex una parte enim se exponere periculo gravissimo infringendi legem per se malum est, et ex alia casus huiusmodi sunt rariores neque praedicta incommoda creant. Patet etiam ex propositionibus damnatis, quae usum opinionis tenuiter probabilis licitum esse dicebant (*non cit.*).

2249. II. Difficultas igitur restringitur ad periculum nec leve nec gravissimum sed simpliciter grave; quando scilicet probabile quidem sit quod lex non existat, sed probabile sit etiam quod existat. In hoc casu sententia mea alia est si directe ratiocinando; et alia si indirecte procedendo rem considerem.

2250. III. Directe ratiocinando sequenti modo distinguerem. Si huiusmodi periculum grave seu probabilitas hinc inde existens leges numero paucas et executione faciles respiceret, tunc crederem quod standum esset a parte tuta. Tunc (meo sensu) non valerent rationes communiter adductae a Probabilistis (scilicet 1. Lex dubia non est sufficienter promulgata; ergo non obligat; 2. Lex incerta nequit producere obligationem certam; 3. Qui probabiliter agit prudenter agit); sed potius valeret ra-

tio Tutioristarum et Probabilioristarum, quam bene exprimit Collet (*De consc. dub.*) inquiens: « Lex dubia non potest pa- « rere obligationem certam petitam a parte ipsius legis de qua « dubitatur, concedo; petitam ex parte legis generalis, quae « vetat ne quis exponat se periculo peccandi, nego ». Nonne enim (ut alias observari) reprehensione dignus censeretur famulus aut filius qui probabiliter existimans dominum vel patrem rem aliquam executione facilem praecepisse, illam non exequeretur ea sola de causa quia de mandato non est certus?

2251. Si vero dictum periculum grave seu probabilitas hinc inde existens legem executione difficilem et valde gravosam respiceret; tunc homo excusatus (prout sensus communis dictare videtur) censeri deberet; unde Lactantius (*L. III. Inst.* 23) dixit: « Nemo ad incertum vult laborare »; idque notavit etiam Salas (qui coeteroquin tutiorista est). Cf. Sanchez (*Dec. I.* x. 10).

2252. Quod dicitur de unica lege executione difficili, de legibus etiam executione facilibus sed multis dicendum esse videretur; ipsa enim multitudo et frequentia difficultatem crearet. De facto autem leges dubiae sunt multae, imo innumerae; unde in praxi difficultas et excusatio vere subsistere videretur. Qui tamen diceret non ad omnes leges dubias, sed solum ad illas, quae tamquam probabilius existentes casu et certe cognoscerentur simulque executione faciles essent, obligationem extendi debere; tunc huiusmodi doctrina (quae de systemate S. Ligorii participaret) vera mihi videretur.

2253. Sic autem meum ratiocinium directum, etsi credere mihi faciat non esse approbanda praecise argumenta, quibus communius utuntur Probabilistae; tamen alia via ad admittendum probabilismum me duceret, saltem in substantia. Dixi *saltem in substantia;* ad aequiprobabilismum enim me inclinaret in parte aliqua; quatenus scilicet opiniones certe probabiliores in favorem legis sequendae esse viderentur sub duabus conditionibus; nempe 1. Si haec maior probabilitas casu cognoscatur, quin adsit obligatio (utique non parum incommoda) investigationes faciendi et opiniones comparandi ut evitetur periculum ne forte contra opinionem certe probabiliorem procedatur: 2. si insuper opinio certe probabilior respiciat rem quae sine magno incommodo exequi possit.

2254. IV. Sed, praescindendo ab omnibus ratiociniis directis, haec quaestio modo magis convincenti atque ad praxim magis utili resolvitur per argumenta indirecta. Sic autem (iuxta

effatum *in decisis unitas, in dubiis libertas*) mea sententia est quod in dubio iuris quaelibet opinio solide probabilis sequi potest absque exceptione ulla; quatenus scilicet, stante opinionum diversitate, Confessarii, Magistri, Scriptores et Consiliarii possunt stare sive pro licito sive pro illicito (deobligando scilicet vel etiam obligando) iuxta propriam persuasionem vel prout melius esse crediderint. Idem dic de Christifidelibus.

Sed quaenam sunt argumenta indirecta, quae propositionem istam convincenter probant quoad Confessarios. Magistros, Scriptores et Consiliarios? Sunt sequentia.

2255. Primum est quod agitur de casu perplexitatis. Reapse, si vera sunt principia probabilismi, ita ut in opinionum probabilitate poenitens vere liber remaneat; tunc peccat Confessarius illum obligando; idque nedum si reluctet, sed etiam si nullo modo se opponat; unde scripsit Ballerini (*I.* 80): « Non licet « Confessario uti probabili opinione ad imponendam obligatio- « nem, quando opposita quoque est probabilis. Nec refert utrum « id poenitens sciat. Iniquissimum enim foret poenitentis igno- « rantia ita abuti, ut ipsi imponatur obligatio, quae a Deo le- « gislatore non imponitur, et quae insuper poenitenti in perdi- « tionis laqueum esse posset ». Idem dicunt Lugo (*Resp. mor. I.* xxvi), Gury (*Cas. consc. n.* 70), D'Annibale (*III.* 231), Frassinetti etc. E contra, si vera sunt principia tutiorismi, ita ut in opinionum probabilitate poenitens obligatus remaneat; tunc peccat Confessarius poenitentem non obligando. Antoine (*De Poen. III.* III. *q.* 4°) ad quaestionem: An Confessor possit se conformare sententiae poenitentis minus probabili et minus tutae contra propriam probabiliorem et tutiorem? Respondet negative, quia (ait) non licet sequi opinionem minus probabilem et minus tutam; et solum concedit ut Confessarius sinere possit quod poenitens opinionem sibi faventem sequi valeat si sit *multo probabilior.* Similiter, si vera sunt principia aequiprobabilismi, peccat Confessarius concedendo poenitenti ut opinionem certe minus probabilem sequatur; unde S. Ligorius facultate audiendi confessiones indignos reputabat illos qui probabilismum purum sequerentur (ut vidimus supra *n.* 2246 *in fin.*). Quum itaque, in concursu duarum opinionum probabilium, Doctores multi dicant Confessarium peccare si obliget et peccare si non obliget poenitentem; nonne manifestum est quod in vero casu perplexitatis versabitur, et quod proinde opinionem quamlibet (prout melius crediderit) sequi poterit? Casus iste perplexitatis animadvertitur speciatim in dubio de onere restitutionis; Confes-

sarius enim ad restitutionem obligando periculum poenitentem indebite onerandi; a restitutione autem eximendo, alteri damnum afferendi periculum incurret.

2256. Probatur 2. Quia Ecclesia, excepto tutiorismo absoluto et laxismo, (ut supra vidimus) omnibus aliis systematibus favorem praestitit; et S. Sedes interrogata de rebus dubiis, quando quaestionem resolvere noluit, semper respondit: *Consulat probatos Auctores*. Nonne autem probati Auctores erunt etiam D. Thomas, S. Antoninus, Billuart, Gazzaniga, et Antoine, qui postremus ab ipsis Summis Pontificibus Romae pro textu propositus fuit, ut vidimus supra (*n.* 2243)? Quando autem S. Poenitentiaria declaravit opiniones S. Ligorii sequi posse, nedum inter benignas et rigidas illius opiniones nullam fecit distinctionem; sed etiam curam habuit addendi expresse: *Quin tamen inde reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis Auctoribus traditas sequuntur.*

2257. Probatur 3. Auctoritate plurium Theologorum etiam probabilistarum.

Bonacina (*De Pecc. IV.* IX. 7) scripsit: « Licitum esse se-
« qui opinionem probabilem, relicta propria probabiliori, non
« solum eximendo poenitentem ab obligatione, verum etiam obli-
« gationem imponendo ». Idem dicunt Sanchez, Reginaldus etc. *

* Sanchez (*Dec. I.* IX. 21) postquam dixerit posse Doctorem consultum respondere etiam iuxta opinionem quam iudicat minus probabilem, non attendendo ad propriam quam iudicat probabiliorem, subdit: « Sed hoc limitant
« Vasquez et Salas ut tunc possit vir doctus, relicta opinione, quam probabi-
« liorem credit, iuxta probabilem consulere, quando petentem consilium eximit
« a restitutionis obligatione et alia quacumque; secus quando ipsum ad quid-
« piam obligat. Nam consulens doctorem circa aliquam obligationem, non de
« aliorum sed de ipsiusmet opinione interrogat; atque ita ficta ipsius auctoritate
« illum condemnat, qui agnoscens illam non esse eius opinionem non restitue-
« ret. Verum non placet limitatio. Si enim iuxta aliorum opinionem, quam
« probabilem putat, potest petentem consilium excusare, cur non poterit con-
« demnare?...... Adde quoque eam vere esse suam opinionem; cui tamquam
« probabili assentitur. Nec obstat fore ut alter opinionis excusantis conscius,
« quam Doctor probabiliorem reputat, non restitueret. Nam idem accideret si
« sciret Doctorem reputare minus probabile, tutum tamen non obligari ad
« restituendum. *At nullus obligat doctorem ut hoc poenitenti declaret*.....
« Tandem quia saepe prudentia petit ne explicetur opinio probabilior excusans
« a restitutione;..... ne in id peccatum incidendi ansa detur..... Placet tamen
« quod addit Salas, nempe si roget expresse consulens an aliqua ratione a
« restitutione excusari valeat, teneri consultum aut a consilio dando abstinere,
« aut declarare opinionem aliorum probabilem excusantem ».

Reginaldus (*XIII. 97*) scripsit: « Eum qui nixus non levibus fundamentis
« bona fide contra communem opinionem persuadet sibi aliquid esse licitum,

Pallavicini autem (*Il Sacerd. santif. sulla pratica maniera etc. Lett.* 2ª *n.* 2 etc.) scripsit: « Si petas an debeas esse pro-« babilista an vero probabiliorista, respondeo: Sis prout malue-« ris, dummodo in utriusque systematis usu cautelas adhibeas ».

2258. Probatur 4. Ex consectariis. Si enim nefas esset obligare poenitentem quando opinio benigna in contrarium adest, tunc incommoda sequentia sequerentur:

I. Confessarius interdum nequidem iuxta doctrinam Catechismi Romani se gerere posset, exigendo, v. g., accusationem circumstantiarum notabiliter aggravantium (ut puta, in materia furti).

II. Si Confessarius, iuxta opinionem probabilem aut etiam probabiliorem, obligaret poenitentem ad restitutionem, dum opinio contraria probabilis foret; iniuste procederet, et teneretur ipse ad reparandum damnum poenitenti; prout reapse docent aliqui cum Gury (*Cas. Consc. n.* 70). At vero ipse Lehmkuhl (coeteroquin probabilista) scribit (*Compend. n.* 70) « Iniustitiae reus non videtur esse (Confessarius) si in tribunali « poenitentiae egerit secundum eas opiniones (probabiliores) « quas in foro externo sine iniustitia sequi licet Iudici ».

III. Confessarius, nequidem tenendo opiniones S. Ligorii aut se gerendo iuxta illius systema, obligare posset quemquam ad restitutionem vel ad quidquid aliud (et quidem ita ut secus teneretur ipse ad restitutionem), si opinio contraria probabilis foret. Hoc autem est contra responsum S. Poenitentiariae, iuxta dicta (*n.* 2256).

IV. Confessarii essent quidem liberi et expediti in solvendis poenitentibus ab obligatione (tunc enim sufficeret ut se gererent iuxta doctrinam habitam in schola, vel iuxta auctorem probatum quem prae manibus habere solent, vel iuxta virum prudentem consultum); sed in poenitentibus obligandis nimis frequenter impediti remanerent; tunc enim non sufficeret scire quod proprius magister vel auctor vel consiliarius obligationem recognosceret; sed oporteret insuper investigare ne forte alii contra sentirent, et maxime si de existentia opinionis benignae positivum suspectum concepissent; qua opinione reperta, in-

« posse consilium petenti dare illud secundum ipsam communem opinionem « etiamsi contrariam ipse iudicet probabiliorem et eiusdem communis opinionis « rationes apte dissolvi posse putet.... Quamquam si consuleretur non quidem « absolute de aliqua re an ea liceat, sed quid de ea sibi videatur... probabilius, « respondere deberet id quod iudicat, alioquin mentiretur ». Vide etiam Salmant. (*XXI.* IX. 95).

quirere deberent etiam an solide probabilis esset; solum enim postquam cognovissent opinionem benignam solide probabilem minime adesse, obligationem, iuxta rigidam proprii magistri vel auctoris vel consiliarii doctrinam, imponere possent. Id antem officium Confessarii non parum intricatum et onerosum redderet.

2259. Manifestum itaque esse videtur, Confessarios quaslibet opiniones nedum benignas sed etiam rigidas, nedum scilicet deobligando sed etiam obligando (dummodo sint solide probabiles), sequi posse. Idem autem de Magistris, Scriptoribus et Consiliariis esse dicendum, facile patet; possent scilicet et ipsi absque peccato ullo (iuxta rationes probabiles, et maxime iuxta rationes probabiliores) stare pro obligatione; quin ad indicandam opinionem contrariam (vel ad inquirendum an illa quoque sit solide probabilis) teneantur.

2260. Quod denique etiam Christifideles opiniones solide probabiles tuto sequi valeant, patet manifestissime considerando quod si Scriptores et Magistri possunt docere licitum esse usum opinionis probabilis, absurdum esset quod Christifidelibus eiusdem opinionis usus illicitus esset; ut bene arguit Frassinetti (*I. Dissert. III. n.* 26).

2261. *Quandonam quis opinionem solide esse probabilem credere poterit?*

Primus casus est quando perspiciat gravi illam fulciri tum auctoritate tum ratione; et tunc opinio dicitur solida gaudere probabilitate tum extrinseca tum intrinseca.

Secundus casus est quando id unum sciat quod opinio gravi fulcitur auctoritate; rationes autem vel prorsus ignoret vel non intelligat; dummodo tamen ipse (capax iudicandi de hoc) non deprehenderit illam esse falsam aut de eiusdem probabilitate intrinseca graviter et rationabiliter esse dubitandum.

Quod reapse sola probabilitas extrinseca (hoc sensu intellecta) sufficere debeat, patet quia ex una parte auctoritas gravis sufficit ut fundamentum intrinsecum praesumi debeat; et ex alia, si necessarium esset iudicare etiam de rationibus intrinsecis, hoc nedum plurimis nimis difficile et multis impossibile, sed etiam (ut bene observat Frassinetti *l. c.*) ordinarie valde periculosum esset; sic enim plurimi (ex ingenii et scientiae defectu) rationes ipsas non intelligerent, et consequenter doctrinas, quae probabiles et probabilissimae essent, tamquam tales habere non possent.

2262. *Quandonam dici poterit quod opinio (de cuius probabilitate intrinseca positive, ut supra, non sit dubitandum)*

in auctoritate gravi fundetur? Auctoritas gravis residet in persona qualibet quae difficile erret; qua de re signum certum habetur interdum ex officio (v. g. magistri, parochi etc.) quod persona ipsa exerceat, et semper ex publica existimatione; publica enim existimatio est veluti oculus publicus qui mille et mille oculis componitur et vix unquam decipitur; unde iam fere impossibile est quod qui facile errat publica existimatione gaudere possit. Si itaque persona quae publica existimatione gaudeat (in materiis et iuxta sphoeram existimationis ipsius) iudicium vel opinionem suam manifestet, de eiusdem iudicii veritate, vel opinionis probabilitate, certitudo moralis haberi poterit. (Hoc tamen intellige nisi ex monito ipsius vel specialibus circumstantiis perciperetur ea vice non esse fidendum).

Quod reapse, ad constituendam probabilitatem solidam atque sufficientem ad praxim, sufficere possit dictum unius, confirmatur ex celebri responso S. Poenitentiariae, quae (5 *Iul.* 1831) dixit tam Magistros quam Confessarios sequi posse opiniones S. Alphonsi. Neque dicas hoc fuisse privilegium huius Sancti; ipsa enim S. Poenitentiaria (ut iam alias innui) expresse monuit reprehendi non posse qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur; unde sensus est quod de S. Alphonso, ex ipsis actis S. Sedis pro canonizatione, habetur certitudo quod nedum in doctrinis eiusdem nihil reperiatur censura dignum (scilicet contra fidem et bonos mores) sed etiam eximia prudentia semper processerit; unde iam certissime sit Auctor probatus; non vero sensus est quod alii Auctores tamquam probati haberi vel sequi nequeant, aut quod dum circa S. Alphonsum illum tantummodo consulere sufficit, circa alios necesse sit ut plures consulantur. Quis enim dixerit inquietandos esse confessarios qui multos libros non habeant aut multas personas non consulant; sed ad sua dubia solvenda stent sententiae auctoris qui in Dioecesi pro textu adhibetur, aut viri publica existimatione gaudentis, qui in loco sit?

Neque obstat damnatio propositionis quae dicebat: « Si liber « sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, « dum non constet reiectam esse a Sede Apostolica tamquem « improbabilem »; Haec enim propositio damnata fuit non iam quia opinio unius auctoris publica existimatione gaudentis, de qua nihil in contrarium adesse sciatur, nequeat censeri probabilis; bene vero quia 1. Aliquis auctor (speciatim iunior et modernus) potest publica existimatione non gaudere neque mereri ut inter auctores probatos et confidentia dignos recensea-

tur; 2. Quia opinio alicuius Auctoris (forte etiam probati) potest iam esse cognita tamquam improbabilis aut falsa, etsi ab Ecclesia damnata non fuerit; non enim omnes opiniones improbabiles vel falsas Ecclesia damnat. Cf. Viva (*Prop. XXVII. Alex. VII. n.* 6).

2263. *Quandonam de opinione auctoris caeteroquin probati dici poterit quod tamquam improbabilis aut falsa iam sit cognita, atque adeo sequi nequeat?* Distinguendum est inter iudicium datum a Theologis, et iudicium privatum alicuius Sacerdotis vel Confessarii.

Si a Theologis omnibus aut fere omnibus opinio illa sive per rationem evidentem, sive iam a longo tempore (prout accidit in opinionibus quae vulgo dicuntur *antiquatae*) reiecta fuerit; tunc certe tamquam improbabilis vel non solide probabilis haberi debebit.

Si autem, dum Theologi nihil in contrarium dixerint, solum de iudicio privato alicuius Sacerdotis aut Confessarii ageretur; tunc difficile est quod ille opinionem eandem tamquam improbabilem habere debeat; poterit enim prudenter iudicium Auctoris probati iudicio suo praeferre; unde scripsit D. Th. (2. 2. *IV.* VIII. *ad* 8): « Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo « quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi se- « cundum suam rationem videtur ». Excipe nisi ageretur de Sacerdote valde docto, qui rationem evidentem aut gravissimam in contrarium reperiisset.

2264. *An opinio Auctoris publica existimatione gaudentis possit censeri probabilis, si sit contra communem?* Potest tunc quoque censeri probabilis si satis constet quod Auctor non ex lapsu calami sed consulto communi doctrinae se opposuerit. Plures enim dantur opiniones communes, quae ex alicuius antiqui Doctoris errore proveniunt, quem alii omnes sicut oves secuti fuerunt, ut notat Sanchez (*Dec. I.* IX. 9). De D. Thoma dicit Viva (*Pr. XXVII. Alex. VII.* 6): « Multa scripsit et « docuit contra alios, qui ante ipsum scripserunt; et tamen « eius opiniones, statim ac ab ipso traditae sunt, existimatae « sunt probabiles ».

2265. *Quid si Auctor (vel Magister, vel Consiliarius) publica existimatione gaudens aliquando errasset, et ipse quoque errores suos recognovisset et se retractasset, aut etiam aliquam doctrinam tenuisset quae postea a S. Sede damnata fuisset?* Si, his non obstantibus, publica existimatio perseveret, opiniones (quae nec damnatae nec falsae repertae fuerint) tamquam pro-

babiles censeri possunt. Quis enim infallibilis? Nonne plures errores in ipsis operibus S. Alphonsi reperiuntur, adeo ut ipse 125 propositiones suas retractaverit? Nonne apud Auctores etiam probatissimos (non exceptis Sanchez et Svarez) aliquae doctrinae reperiuntur quae postea damnatae fuerunt?

2266. *Etsi Confessarius iuxta quamlibet opinionem solide probabilem in praxi Sacramenti Poenitentiae se gerere possit* (*ut vidimus*), *estne tamen aliquid notandum, attentis regulis prudentiae?* Notanda sunt sequentia.

I. Oportet ut doctrinae non solum sint probabiles et sanae in se, sed etiam bene applicentur ad casus particulares; non raro enim aliqua circumstantia, quae in casu practico reperitur, efficit ut resolutio diversa dari debeat.

II. Confessarius scire potest duas adesse opiniones contrarias easque esse probabiles; vel e contra potest esse certus unam adesse opinionem próbabilem, ignorando an alia opinio adsit vel sit probabilis.

III. Si confessarius sciat duas adesse opiniones contrarias (unam scilicet obligantem et aliam deobligantem) atque ambas esse probabiles; tunc practice tenere debebit illam quae opportunior erit et melius deserviet; idque speciatim si poenitens iam iam in periculo mortis versaretur; tunc enim maxime periculum minuere, non augere, convenit (*Sanchez Dec. I.* IX. 31). Ad iudicandum autem quaenam melius deserviat, circumstantiae omnes in complexu considerari debent. Theologi hodie passim dicunt tenendas esse opiniones benigniores, quia istae, declarando non adesse obligationem, prorsus liberant conscientias a peccato, et sic efficiunt ut salventur ii qui, si crederent obligationem adesse, illam infringerent et damnarentur. Haec regula vera est ut plurimum; sed non semper. Enimvero

2267. 1° Adsunt sententiae benigniores, quae, etsi hic et nunc liberent poenitentem a peccato, tamen facile occasio esse possent ut magis magisque peccet in posterum et sic subinde maiori damnationis periculo exponatur. Huiusmodi sunt quaedam opiniones benignae circa occasiones proximas, circa visitationes adamantium, circa oscula amplexus et tactus inter sponsos de futuro, circa repressionem motuum carnalium, circa compensationem etc. Utique tunc opinio rigidior (prohibens occasionem, visitationes, oscula etc.) poenitenti magis salutaris esse, et sic contingere posset quod Confessarius (tamquam sui poenitentis medicus) illam tenere debeat. Hinc S. Lig.

(*Mor. syst. circa fin.*) scripsit: « Ubi opiniones benignae pro« ximius reddunt periculum formalis peccati....., tunc semper « expedit ut confessarius utatur, imo dico quod ipse (ut me« dicus animarum) tenetur uti opinionibus tutioribus, quae « poenitentes ad se servandos in statu gratiae conducunt ». Oportet tamen ut Confessarius obedientiam speret; si enim potius reformidare deberet quod poenitens non esset obtemperaturus, imo Sacramenta esset derelicturus et sic in peiorem statum ruiturus; utique tunc opinio rigida, quamvis in se magis salutaris, practice ruinosa esset, et proinde adhiberi non deberet; ut bene observat Frassinetti (*not.* 148. *ad n.* 463).

2268. 2° Quaedam sententiae benigniores, dum liberarent a peccato poenitentem, alios (v. g., propter scandalum) peccatis exponerent. Exemplum habes in opinione quae docet quod nomen Dei aut B. Virginis in aestu irae et cum magno clamore atque magno Christifidelium audientium horrore, nominare, non sit peccatum mortale, quamvis tamquam mortale in loco communiter habeatur. Nunquid itaque tunc opinio rigidior teneri non poterit?

3° Interdum circumstantiae sunt ita dispositae ut sententia rigida sit valde probabilior et proinde recto ordini valde tutius consulat; atque e contra sententia benigna valde malos effectus habitura sit. Sic, v. g., plures Theologi docent divites non teneri sub gravi ad eleemosynam faciendam in communibus pauperum necessitatibus; item non teneri ad reparationem damnorum qui incendit domum Titii credendo incendere domum Caii: item sive vera sive ficta promissione matrimonii obtinentem copulam a puella non teneri illam ducere etc. Equidem in his quoque casibus prudentia adhiberi debebit ne absque ullo fructu et solum cum periculo peccati formalis poenitens obligetur; sed, si poenitens dives sit meticulosae contientiae, nonne melius erit ei dicere quod ad eleemosynas faciendas tenetur sub gravi? Item si incendiarius sit dives et Titius sit pauper, nonne melius erit ei intimare ut damna reparet? Item quoad illum qui miseram puellam seduxit et defloravit, nonne ordinarie melius erit obligationem illam ducendi ei imponere?

2269. *Quid si poenitens dicto Confessarii acquiescere nollet?* Auctores probabilistae dicunt, tunc poenitentem esse absolvendum quamvis opinio obligans esset probabilior (*cf. Lugo De Poen. XXII.* n. 48) *. S. Ligorius (*Mor. syst. in fin.*) dicit poenitentem

* Advertit tamen Lugo (*l. c.*) Confessarium absolvere nolentem non peccare graviter, si poenitens absque magno incommodo repetere posset

esse absolvendum, dummodo opinio obligans non sit certe probabilior (prout, meo sensu, esset in casibus supra expositis *n.* 2268). Denique Auctores tutioristae censent poenitentem absolvi posse solum quando opinio deobligans sit multo probabilior (quibus verbis intelligunt sententiam probabilissimam et iam moraliter certam). Cf. Antoine (*De Poen. III.* III. *quaer.* 4°). Ego censeo reluctantiae poenitentis rationem haberi debere et valde dfficile esse quod tunc pro obligatione insistere expediat; nimis enim timendum esset ne absque ullo fructu occasio formaliter peccandi ei praeberetur; et si (exigua subsistente spe fructus) poenitentes facile relinqui debent in bona fide etsi conscientia prorsus erronea laborent, quanto magis in ea erunt relinquendi si opinio probabilis in eorum favorem militet? Si tamen ex una parte sperandum esset quod insistendo, vel etiam absolutionem denegando, fructus obtinebitur, et ex alia bonum poenitentis ipsius aut aliorum exigere videretur ut Confessarius fortis persisteret; tunc pro huiusmodi casibus doctrinam Tutioristarum, maxime vero S. Ligorii, ad praxim bene deservire existimarem.

2270. A fortiori autem obligatio urgeri posset si opinio deobligans haberetur quidem ut probabilis, sed Confessarius valde doctus (qui funditus rem examinaverit) illam ut manifeste falsam deprehendisset; maxime vero si poenitens stare vellet dicto alicuius (sive parum docti, sive etiam doctissimi sed imprudentis), qui in errorem manifestum illum induxisset. Cf. Lugo (*l. c.* 43-47).

2271. *Hucusque actum est de casu in quo Confessarius sciat duas adesse opiniones et ambas esse solide probabiles. Sed quid si unicam tantummodo ea in re doctrinam* (*quae staret pro obligatione*) *cognosceret; an autem adsit opinio benigna, vel an ista sit solide probabilis, ignoraret?* Si Confessarius potest tenere opinionem probabilem obligantem quamvis sciret adesse aliam probabilem deobligantem; a fortiori illam tenere poterit si deobligantem adesse ignoraret. Dixi *a fortiori;* secus enim oneri intolerabili subiicerentur Confessarii si in declarandis obligationibus dicto Auctoris probati aut personae prudentis stare non possent; sed semper deberent inquirere ne forte opinio solide probabilis ab obligatione excusans subsistat. Si tamen

confessionem apud alium ab eoque absolutionem obtinere. Item Confessarium ex officio non obligatum admonere posse poenitentem ne redeat apud ipsum iterum, nisi eam opinionem relinquere paratus sit.

obligationis declaratio valde periculosa conspiceretur, utique tunc examinare deberet Confessarius (si tempus et modus suppeteret) an opinio excusans extet et solide probabilis sit.

2272. *An dentur casus exceptionales, in quibus opinio benigna tenuiter probabilis, aut de qua non adsit tempus examinandi an sit solide probabilis, practice teneri possit?* Affirmat Sanchez (*Dec. I.* IX. 25) inquiens: « In duplici casu excusabitur « sequens aut consulens opinionem quae ita parum probabilitatis « haberet, ut alias amplecti non possit. Prior est quando urget « maxima periculi gravis vitandi necessitas, quod vitatur se- « quendo opinionem non aperte falsam nec omni probabilitate « destitutam. Posterior est quando casus particularis urget, hoc « est quando statim intellectum ad alterutram partem determi- « nari oportet, et nequit omnis diligentia moraliter possibilis « adhiberi, et adhibetur ea quam loci ac temporis opportunitas « permittit ». (Vide etiam *de Matr. II.* XXXVII. 8 *et VII.* 411. 12).

Ego dicerem quod, si modus vel tempus rem melius cognoscendi non suppetat et aliunde de re aperte illicita non agatur, ad licite agendum, incommodum maximum excusat semper; incommodum grave vel notabile excusat fere semper (exceptis scilicet malis gravissimis); incommodum autem leve (in re gravi) nunquam excusat. Hinc in dubio v. g. an debeas 1° subire sacrificium vitae ad impediendum aliquod malum maximi momenti; 2° subire iacturam decem aureorum ad impediendum aliquod malum gravissimum; 3° subire eandem iacturam ad impediendum malum grrve; 4° una die audire Missam; in his (inquam) casibus si Sacerdos publica existimatione gaudens (et sic fundans solidam probabilitatem) dixisset te ad haec singula teneri; alius autem Sacerdos non equidem spernendus sed doctrinae fama proprie non gaudens (et sic fundans tenuem probabilitatem) dixisset sibi videri dictas obligationes non adesse; tu (si casus urgeret neque melius certiorari posses) nec ad sacrificium vitae, nec ad iacturam decem aureorum (nisi forte esses valde dives) pro impediendo malo gravi; bene vero ad subeundam eandem iacturam decem aureorum pro impediendo malo gravissimo; itemque ad Missam audiendam (cum levi incommodo, ut suppono) tenereris. Neque obstat propositio damnata quae dicebat: « Generatim, dum probabilitate sive « intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modo a proba- « bilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper « prudenter agimus »; haec, inquam, propositio damnata non obstat; aliud enim est dicere quod *generatim* et quod *semper*;

et aliud quod solum in praedictis circumstantiis vel similibus usus tenuis probabilitatis licitus sit.

2273. *Quid si casus ita urgeret vel circumstantiae essent ita dispositae ut Christifidelis ex una parte versaretur in dubio et ex alia neminem consulere posset?* Responderem ut supra: quod nempe quando agitur de re non aperte illicita, incommodum gravissimum excusat semper; incommodum grave excusat fere semper; incommodum leve (in re gravi) excusat nunquam.

2274. *Utrum unusquisque possit stare consilio sui Confessarii (etiam doctrinae fama non gaudentis), qui dicat aliquid esse licitum?* In rebus ordinariis (in quibus unusquisque Confessarius praesumi debet satis instructus) affirmative, ut plurimum; idque quamvis poenitens alium similem confessarium dissentientem invenisset (hoc enim non prioris confessarii errorem, sed opinionum diversitatem praesumere faceret). Adde quod observantia legis et via salutis nimis difficilis redderetur si Christifideles de consilio Confessarii quieti esse non possent et amplius inquirere tenerentur. Dixi *in rebus ordinariis;* aliud enim esset si de casu extraordinario, scilicet difficili et valde momentoso, ageretur, et poenitens satis commode Sacerdotem magis doctum consulere posset. Dixi *ut plurimum;* aliud enim esset si poenitens manifeste conspiceret Confessarium errare vel de solida probabilitate eiusdem responsi non esse fidendum, eo quod sive ab alio Confessario valde doctiori sive ab aliis Confessariis passim audierit responsum illud esse falsum et sustineri non posse.

2275. *An poenitens possit tuta conscientia in gyrum se conferre ut aliquem iuxta suum desiderium loquentem inveniat?* Poenitens non tenetur stare statim dicto unius, sed potest alios etiam consulere. Distinguendum est tamen. Potest enim alios consulere non iam ex intentione inveniendi aliquem indoctum vel imprudentem, vel utcumque talem de quo non sit fidendum, qui sibi faveat; bene vero ex intentione sincera coniiciendi an cum fundamento sufficienti existimare possit ab obligatione se esse immunem, et sufficientem probabilitatem sibi favere. Ita Sanchez (*Dec. I.* IX. 24).

2276. *Utrum unusquisque possit aliquando iuxta unam et aliquando iuxta aliam contrariam opinionem procedere?* Affirmative ordinarie; ex eo enim quod quis una opinione usus fuerit, altera probabilis et tuta esse non desinit. Hinc filius poterit non servare testamentum informe patris (utpote proba-

biliter invalidum), simulque poterit acceptare haereditatem sibi obvenientem ex alterius testamento informi (utpote probabiliter valido). Dixi *ordinarie;* interdum enim usus alicuius opinionis efficit ut non amplius sit probabile quod simul opinio contraria practicari possit. Exempla. Qui accepit haereditatem ex testamento informi, nequit recusare solutionem legati quod ex testamento ipso adimpleri debeat; non scilicet dicere poterit: haereditatem accepto quia testamentum informe est probabiliter validum; simulque legata non adimpleo quia est probabiliter invalidum. Item qui materiam sui voti in aliam aequivalentem privata auctoritate mutavit, poterit quidem probabiliter primam materiam non amplius servare; sed nunquid poterit etiam materiam substitutam negligere sub praetextu quod mutatio probabiliter invalida fuit? *Cf. Lhemkuhl* (*I.* 115) *et D' Annibale* (*I.* 242).

2277. *Danturne casus, in quibus Confessarius* (*sive tutiorista, sive probabilista sit*) *contradictorie procedere possit?* Affirmative. Finge legatum relictum fuisse in testamento informi. Tutiorista haeredi ut legatum praestet, legatario autem ut legatum non exigat iubere poterit. Probabilista vero respondebit haeredi non teneri solvere; legatario autem exigendi et forte etiam occulta compensatione utendi ius esse. *Cf. D' Annibale* (*I* 245. *not.* 24).

2278. *Utrum subditus in dubio de actionis liceitate mandato sui Superioris stare possit?* In hoc casu subditus nedum potest, sed debet stare mandato sui Superioris; id enim ad rectam gubernationem prorsus necessarium est.

2279. *Quo sensu intelligendum est iudicium S. Sedis circa approbationem opinionum S. Ligorii, quatenus scilicet S. Poenitentiaria dixit Professorem illas* TUTO *sequi ac profiteri posse; et confessarium non esse inquietandum qui omnes B. Alphonsi sequitur opiniones in praxi S. Poenitentiae tribunalis?* Sensus est quod opiniones S. Ligorii sequi quidem possunt, sed ita ut subintelligatur conditio: dummodo aliqua opinio iam evidenter falsa reperta non fuerit. Ecclesiae mens nunquam fuit declarandi omnes et singulas S. Doctoris opiniones esse veras aut solide probabiles, ita ut nulla opinio improbabilis vel falsa in eius operibus reperiri possit. Equidem dixit nihil censura dignum in eius libris repertum fuisse, sed improbabilitas et falsitas censurae theologicae minime sunt. Patet autem manifestissime quod opiniones aliquae iam tamquam omnino falsae repertae fuerunt. S. Ligorius docuit, v. g., Parochos non te-

neri administrare Viaticum et Extremam Unctionem tempore pestis —; item Confessarium qui ficte absolvit complicem non incurrere excommunicationem — ; item non esse denuntiandum Confessarium qui sollicitationi consensit etc. At vero hae opiniones improbabiles et falsae certissime sunt. (Vide *Casus consc. Cas. II. Cas. III*, et *De sollicit. n.* 15). Hinc apud Acta S. Sedis (*I. pag.* 501) legitur: « Ex eadem particula *tuto* non « bene quis inferret, licere cuilibet S. Alphonsi epinionem se- « qui, quamvis cognoscat, sive ex scientia propria, sive ex « competenti auctoritate, opinionem quam sequitur esse evi- « denter falsam, nullaque amplius probabilitate gaudere ».

QUAESTIO II.

Quid de dubio facti? An scilicet et quomodo dubitans de liceitate actionis propter dubium facti, dubium ipsum solvere et conscientiam de licito sibi efformare possit?

Recolendum quod casus iste contingit quando dubium de actionis liceitate provenit quia dubitetur non iam de lege sed de facto; ut puta, si quis certus quod non licet hominem occidere sclopum explodat contra obiectum de quo dubitat an sit homo; vel si quis certus de obligatione ieiunandi post annum vigesimumprimum, ieiunare omittat dubitans utrum hunc ipsum annum expleverit: sive habeat motiva sic opinandi (quo casu dubium erit *positivum*); sive talia motiva non habeat (quo casu dubium erit *negativum*). Lugo (*De Poenit. XVI. 58-59*). Notandum tamen quod dubium hic accipitur latiori sensu, scilicet pro defectu plenae certitudinis; unde subsistere posset dubium, etsi pro alia parte probabilitas (etiam longe maior) subsisteret; et hoc dubium tunc quoque positivum vel negativum esse posset.

2280. *Ad solvendos casus ad hanc quaestionem spectantes adestne principium unicum?* Principium supremum est standum esse a parte tuta , nisi attentis consequentiis haec obligatio apponi nequeat; seu legitima causa excuset. Ad determinandum autem quando a parte tuta stare oporteat et quando non, principia sunt plura. Aliqui enim casus solvi possunt ex legibus positivis; alii ex opinione probabili; alii ex contractu vel officio; alii ex materia poenali: alii ex incommodis; alii ex diversa rei gravitate; alii ex praesumptionibus; alii ex necessitate inquisitionum ; alii ex principio possessionis; alii ex incertitudine obligationis contractae; alii denique ex probabilitate satisfactionis iam peractae. Sed haec sunt declaranda.

2281. *Quomodo casus interdum solvi potest ex lege positiva?* Quia interdum lex positiva determinat utrum in dubio ad

actum procedi possit, an vero a parte tuta standum sit. Sic in dubio de mortali commisso potest quis communicare cum contritione sine confessione dicente Trid.° « Qui est sibi conscius pec« cati mortalis etc. ». Item in dubio de potentia matrimoniali lex concedit ut actus coniugalis per triennium attentari possit. In dubio e contra de aetate canonica lex exigit ut ordines sacri recipi et conferri nequeant. Item dubitans de homicidio (vel abortu foetus animati effective procurato) se tamquam irregularem considerare debet. S. Lig. (*VII.* 371).

2282. *Quomodo casus solvi potest ex opinione probabili?* Quia Theologi innumeros huiusmodi casus ad trutinam iam revocarunt (v. g., an peccata dubia sint in confessione accusanda); et sic ex eorum doctrinis sive certis sive probabilibus regula tuta sumi poterit; non enim amplius de solo dubio facti, sed de doctrina certa vel probabili tunc res erit. Loquor tamen de solis casibus, in quibus Theologi non de valido (v. g. an Sacramentum cum tali vel tali materia administratum sit validum); sed praecise de licito (v. g., an in tali vel tali circumstantia necessitatis liceat ministrare Sacramentum cum materia dubia) locuti fuerint.

2283. *Quomodo casus resolutio pendere potest ex contractu?* Quia interdum ex natura contractus eruitur an plus vel minus cavendum sit a periculo. Sic maior securitas in custodienda re commodata exigitur; et minor sufficit si de re locata, et minor adhuc si de re in depositum gratis accepta agatur.

2284. *Quomodo casus resolutio pendere potest ex officio?* Officium est quasi-contractus; et qui acceptat officium ad cavendum a periculis plus vel minus iuxta casuum diversitatem se obligat. Hinc medicus, in consideranda natura morbi atque in eligendis medicinis, maiorem securitatem habere debebit in morbis periculosis quam in levibus; quoad medicinas autem quae menti ei occurrunt certas incertis, probabiliores minus probabilibus, et certissimas certis praeferre debet. S. Lig. (*I.* 44) et Viva (*I. Innoc. XI.* 4). Pariter Iudex in causis gravissimis maiori securitate procedere tenebitur quam in aliis minoris momenti; atque in causis civilibus, stante dubio, ordinarie possessori vel (si de possessione non constet) meliores habenti rationes favere debebit; unde Innoc. XI damnavit prop. quae dicebat: « Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxta « opinionem etiam minus probabilem ». Cf. Praxis (*Ed. II. n.* 1985. 3204). Sic etiam ministri Sacramentorum procurare debent (quantum moraliter possibile est) ut invaliditatis pe-

riculum declinent, non utendo materia dubia (extra casus necessitatis) etc.; unde damnata fuit (ab Innoc. XI) propositio, quae dicebat: « Non est illicitum in Sacramentis conferendis uti opinione probabili *de valore* Sacramenti, nisi id « vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. « Hinc sententia probabili tantum utendum non est in colla- « tione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, vel episcopalis ». Aliud exemplum datur in Superiore qui etiam in dubio de delicto subditi teneri potest ad inquisitionem et admonitionem faciendam propter periculum magni damni publici vel privati etc. Cf. S. Lig. (*II.* 39).

2285. *Quomodo casus resolvi potest attenta materia poenali?* Quia in materia poenali non currit poena nisi de delicto certe constet, iuxta aphorismum: « In dubio delicto reus est « absolvendus ». Hinc in dubio an clericum percusseris vel an percussio fuerit graviter iniuriosa; vel an mandatum tuum influxerit; vel an sententia excommunicationis lata fuerit etc., teipsum tamquam excommunicatum habere non teneberis. (Cf. Sanchez Dec. I. X. 56 et S. Lig. VII. 39. 66). Idem dic de irregularitate in dubio de existentia delicti illam inducentis (excepto tamen homicidio, ut supra *n.* 2281). Cf. Sanchez (*l. c.* 48) et S. Lig. (*VII.* 371). Idem dic de reservatione (quae poenae assimilatur); unde peccatum dubie commissum aut dubie mortale reservatum non censetur. S. Lig. (*VI.* 600).

2286. *Quomodo casus resolvitur ex eo quod obligatio standi a parte tuta pariat vel non pariat incommoda?*

Imprimis poni debet obligatio standi a parte tuta si homo cum levi vel nullo incommodo ita se gerere possit, simulque absque provocatione alicuius malae consequentiae talis obligatio apponi valeat. Exempla. Sacerdos post consummationem dubitat quod vinum sit ineptum. Aliam hostiam et aliud vinum, vel (si absque scandalo id facere nequeat) solum aliud vinum consecrare debebit (*S. Lig. VI.* 206). Rem mihi commodatam ad dominum suum remissurus utique medium tutum (si facile possim) adhibere debebo; imo si medium tutissimum prorsus in promptu esset, illud praeferre deberem.

2287. E contra obligatio standi a parte tuta ordinarie non aderit si absque gravi incommodo sic fieri nequeat. Exempla. In dubio an damnum intulerim vel iniuste intulerim, ad restitutionem (quae utique non parum incommoda esse solet) non teneor (*S. Lig. III.* 562). Qui dubitat de validitate matrimonii, quod bona vel etiam dubia fide contraxerit, si ope inquisitionum

(de quibus statim verba faciam) dubium resolvere nequeat, debitum nedum reddere sed etiam petere poterit (*S. Lig. VI.* 904-908). Qui de peccato accusato certus est et dubitat de valore confessionis, ad peccatum iterum accusandum non tenetur (*S. Lig. VI.* 505). Mulier quae dubitat de abortu secuturo ex aliqua actione, ab illa abstinere non tenetur si ex multis aliis actionibus similibus in complexu difficile evitabilibus abstinere cogeretur. Nihil dico de casibus in quibus grave incommodum excusaret etsi res esset certa ; tunc enim idem (imo minus) incommodum excusaret, si res sit dubia. Hinc quae famuli (ne servitium amittant aut graviora damna subeant) heris suis certe peccantibus (v. g. aperiendo ianuam concubinae) praestare possent, a fortiori, si de peccato dubii sint, praestare valebunt (*Cf. Praxis Ed. II. n.* 783).

Sed circa incommoda notari debent sequentia :

2288. I.° Inter incommoda recenseri debent quoque incommoda spiritualia, v. g., periculum scrupulorum. Exempla. Qui certus sit se non posse ieiunare in quadragesima, vel recitare officium, sed dubitet an in parte aliqua ieiunare vel recitare valeat, ad nihil tenetur. Scrupulosis autem dubia plurima spernere nedum licet sed expedit (*S, Lig. IV.* 150, 154).

2289. II.° Inter incommoda recensenda sunt etiam quaelibet malae consequentiae, quae (si imponeretur obligatio standi a parte tuta) oriturae essent. Exempla. In administratione Sacramentorum (et speciatim Sacramenti Poenitentiae) subinde contingit quod, propter bonum subiecti, aut moralem impossibilitatem ea tutius communiter administrandi, etiam cum dubio de valore administrari possint. Dubitans ne forte monitio (stante speciatim bona fide) potius nocitura quam profutura sit, ab illa abstinere debet. In dubio de matrimonii iam contracti validitate (si factis quoque inquisitionibus dubium persistat) matrimonium perinde ac certe validum esset considerari deberet (*S. Lig. VI.* 907). In dubio an proles sit adulteri vel mariti, censetur esse mariti (*S. Lig. III.* 657).

2290. Dixi incommodum grave ne stetur a parte tuta excusare *ordinarie,* non vero semper; interdum enim rei gravitas exigere potest ut etiam in dubio a parte tuta standum sit, ut statim explicabitur.

2291. *Quomodo casus resolutio ex diversa rei gravitate pendere potest?* Quod casus resolutio ex hoc capite pendere possit iam per se evidens est; et profecto ex hoc capite interdum a parte tuta, imo interdum a parte tutissima, standum

est; interdum vero a parte minus tuta stari poterit. Exempla. Epistolam ad Titium mittere debeo. Interdum expeditionis medium minus tutum sufficere; et interdum tutum atque interdum tutissimum exigi potest. Coniuges dubitant ne opus coniugii scandalum filiis in eodem cubiculo degentibus afferre possit. Utique a periculo isto magis cavere debent si filii iam sint adolescentes, aut si hora talis sit ut maius adsit periculum ne vigilent, et adhuc magis si cum ipsis in eodem lecto decumbant.

2292. Rei autem gravitas tanti momenti esse potest, ut etiam cum gravi incommodo a parte tuta standum sit. Exemplum. Sacerdos non obstante gravi incommodo abstinere debet a probabili violatione sigilli.

2293. Hinc Theologi facile concedunt obligationem standi a parte tuta (frustra factis inquisitionibus) minime adesse in sequentibus casibus (qui minus gravis momenti esse censentur); 1° In dubio an hodie sit festum et audienda sit Missa de praecepto (*Ballerini Op. th. I.* n. 153). 2° In dubio an hodie sit vigilia vel an condimentum ex adipe adhiberi possit (*l. c.*). 3° In dubio an mediam noctem coenando excesseris vel masticando aliquid deglutiveris et an proinde possis Missam celebrare, vel simpliciter communicare (*Ballerini l. c.* 168). Dicerem tamen haec esse vera solum si incommodum aliquod abstinendo superadderetur.

E contra standi a parte tuta obligationem ponunt in rebus ex quibus damnum tertii aut aliae valde malae consequentiae oriri possunt. Exempla. Nequis sclopum explodere contra obiectum de quo dubitas an sit homo. Sacerdos dubitans quod aliquid dictum fuerit in ordine ad confessionem, tenetur sigillo (*S. Lig. VI.* 637). In dubio de baptismo vel Ordine Sacro valide administrato, sub conditione iterari debet (*S. Lig. VI.* 135. 757). In dubio facti de existentia impedimenti dirimentis, vel in dubio de dispensatione obtenta, matrimonium usque ad dispensationem ipsam certo obtentam (incommodo non obstante) differri debet (*S. Lig. VI.* 901-902). Et huc spectat obligatio mutandi religionem in infideli, qui perspiciat Religionem catholicam esse probabiliorem; unde damnata fuit (ab Inn. XI) propositio quae dicebat: « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus « opinione minus probabili » (*cf. Praxis ed. II. n.* 116). Huc spectat etiam doctrina eorum qui docent exigi contritionem perfectam (non vero sufficere attritionem) in periculo mortis (*S. Lig. VI.* 437).

2294. *Quomodo casus resolvitur ex praesumptionibus?*

I° Praesumptiones consistunt in iudicio quo confidimus rem

esse prout (naturâ, arte, moribus etc., inspectis quoque circumstantiis loci, temporis etc.) esse solet. Sic, v. g., praesumimus puerum post septennium usu rationis pollere; domum non carere cella vinaria aliisque commodis consuetis; officialem esse satis instructum in rebus officii sui; hominem fecisse quod facere promisit vel debuit; vicinos scire quod in vicinia publice factum fuit etc.

II° Praesumptiones, contra quas nihil positivi in contrarium adsit (etsi certitudinem absolutam non constituant, et sic cuidam levi dubio negativo locum relinquant) regulam amplissimam statuunt; idque verum est sive de illiceitate sive de liceitate actionis quaestio sit. Exemplum de illiceitate. Vir coivit cum foemina, sed non advertit an seminaverit, vel an intra an vero extra vas seminaverit. Praesumitur seminasse intra; et proinde sororem mulieris ita cognitae (propter praesumptum impedimentum affinitatis) ducere nequibit (*S. Lig. VI.* 902). Exempla de liceitate. Vir coivit onanistice. Praesumitur nihil seminis effluxisse intra, et proinde impedimentum non subsistere. De coniuge qui familiam suam diligebat, iam inde a multis annis nulla notitia habetur (dum prius epistolas scribebat etc.). Praesumitur mortuus; multo magis si in bello vel in locis epidemia infectis versatus fuisset, aut si navis in quo erat naufragium fecisset. Hinc alter coniux ad novas nuptias transire poterit. Qui non recordatur quod peccatum confessus fuerit, non tenetur illud accusare, si longum tempus iam praeterierit et diligenter confiteri solitus fuerit.

Quod tamen ex praesumptionibus ad casus resolvendos regula sumenda sit, non ita absolute intelligi potest, ut subinde exceptiones fieri non debeant; interdum enim, propter rationes praeponderantes, praesumptiones non sufficiunt sed certitudo plena exigitur. Exempla. Matrimoniam iam contractum non solvitur etsi de impedimento impotentiae praesumptio vehemens iam abunde habeatur, nisi triennale experimentum completum fuerit. Viro senectute confecto usus coniugii non interdicitur etsi rarissime copulam habere possit et fere semper solis tactibus rem perficiat. Cf. Praxis (*Ed. II. n.* 1024).

2295. *Quomodo casus resolvitur ex necessitate inquisitionum?* Perpendendus est 1° casus dubii gravis sive positivi sive negativi; 2° casus dubii levis positivi; 3° casus dubii levis negativi.

In casu dubii gravis sive positivi sive negativi, inquisitiones (saltem faciles) fieri debent, atque interim (nisi aliquid

in contrarium adsit) actio suspendenda est. Exempla. Testis unicus quidem sed fide dignus dicit Titii matrimonio (iam contracto) obstare impedimentum. Tenetur Titius inquirere, atque interim a petendo debito abstinere (quia tamen in contrarium obstaret periculum iniustitiae, coniugi in bona fide existenti debitum negare non posset). S. Lig. (*VI.* 908). In viam frequentatam e tecto deiicere quis vult tegulas. Utique tenetur cavere ne aliquis tunc transeat.

In casu dubii levis positivi, ordinarie neque suspendendi neque inquirendi obligatio adest. Titius, v. g., a persona fide non digna audit matrimonio suo impedimentum obstare. Utique (maxime si de matrimonio iam contracto ageretur) dictum huiusmodi prorsus negligere posset. S. Lig. (*VI.* 908). Dixi *ordinarie;* si enim de periculo damni tertii (speciatim gravis) ageretur (et maxime si aliqua inquisitio facillima esset), utique tunc inquirendi obligatio adesse posset. Mihi v. g., sclopum explodere volenti leve indicium apparet hominem occidendi periculum adesse. Nunquid sclopum explodere possem? Nequaquam.

In casu dubii levis negativi, ordinarie pariter nec suspendendi nec inquisitiones faciendi obligatio adest. Si tamen ageretur de periculo damni tertii, periculum remotissimum quidem sed non simpliciter remotum negligi poterit. Hinc, v. g., pecco si in viam parum frequentatam tegulam etsi unicam (consuetis signis non appositis), aut spurcitias (non observando prius an aliquis transeat) deiiciam; sed non pecco si cum curru iter faciens nocturno tempore non observem ne forte ebrius in ipsius viae medio rotarum collisioni expositus versetur.

2296. *Quomodo casus resolvitur ex principio possessionis?* Principium possessionis est quod possessor bonae fidei, superveniente dubio, ad nihil tenetur, sive dubium sit negativum sive etiam esset positivum, dummodo inquisitiones fecerit, iisque factis dubium persistat (*S. Lig. de consc. in fin.*). Ratio est quia bono publico non expedit ut propter solum dubium possessiones mutationibus subiici debeant. Attamen Lhemkuhl (*I.* 108) dicit quod, si rationes sint multo graviores contra possidentem, probabile est rem occulte ei auferri posse.

Si autem inquisitiones neglectae fuissent, aut si possessor iam inde ab initio dubiae fidei fuisset (ut puta, si quis rem dubie furtivam emisset), tunc sententia communior dicit pro rata dubii restituendum esse (*Cf. Praxis Ed. II. n.* 1376 *et seqq.*).

2297. *Quomodo casus resolvitur in dubio an obligationem contraxeris ?*

Qui dubitat, v. g., utrum ad pecuniam solvendam se obligaverit, aut votum emiserit etc., ad nihil tenetur; durum est enim ut quis sustinere debeat onus, de quo non constat quod unquam susceptum fuerit. Item qui dubitat utrum ad talem vel talem limitem votum se extendat, tenetur solum ad minimum (*Cf. Ballerini Op. theol. II.* ii. 164. *et Sanchez Dec. I.* x. 36).

2298. *Quomodo casus resolvitur in dubio an satisfeceris ?*

I. Si dubium sit negativum (quod intelligitur si nulla probabilis coniectura suadeat te satisfecisse); tunc (iuxta omnes) adhuc satisfacere teneberis. Ratio videtur esse quia praesumitur quod satisfactio locum non habuerit.

II. Si vero dubium sit positivum, si nempe ratio probabilis suadeat te iam satisfecisse; tunc (iuxta opinionem valde probabilem, contra alios, qui dicunt, debito certo non satisfieri solutione incerta, et possessionem stare pro obligatione, atque in dubio meliorem esse conditionem possidentis) ordinarie (et saltem extra materiam iustitiae) ad nihil amplius teneberis. Ratio est quia durum et a legislatoris voluntate alienum esset obligare ut satisfaciat, qui probabiliter (aut probabilius) iam satisfecit; forsan enim cogeretur satisfacere bis.

Qui itaque dubitat an officium aut officii partem recitaverit, an poenitentiam sacramentalem adimpleverit, an voto satisfecerit, an peccatum accusaverit etc.; ad satisfaciendum tenebitur vel non tenebitur secundum quod negative vel positive dubitet. *Cf. S. Lig.* (*IV.* 150), *Lugo* (*De Poen. XVI.* 58-60), *Lhemkuhl* (*I.* 109), *Laymann* (*De Consc. I.* 31), *Ballerini* (*Op. th. II.* ii. 80).

2299. *Sed quid in materia iustitiae: quid scilicet si quis debitum habens probabiliter iudicet illud iam solvisse, vel de remissione creditoris probabilem coniecturam habeat ?*

Etiam in hoc casu variae sunt Theologorum sententiae. Multi cum Lugo (*XVIII,* vii. 3) dicunt adhuc satisfaciendum esse ex toto. Alii cum Laymann (*l. c.* 42) dicunt sufficere si satisfiat pro rata. Alii cum Lessio (*Auct. verb.* Contractus *c. VIII*) dicunt ante iudicis sententiam non esse obligationem satisfaciendi; maxime si probabilius sit iam fuisse satisfactum. Hoc autem certum est si de debito gratuito agatur, qua in re ipse Lugo (*De Poen. XVI.* 60) consentit. Caeterum, meo sensu, negotium adeo momentosum esse potest, ut in promissione (etiam gratuita) adimplenda, omnino a parte tuta standum sit. Vide Praxis (*Ed. II. n.* 1370. *et seqq.*).

2300. Quid itaque summatim de principio : *In dubio melior est conditio possidentis?* Valet certe quando quis rem aliquam sive mobilem sive immobilem possidet bona fide, prout declaratum fuit supra (*n.* 2296). Multi docent valere quoque universaliter in aliis casibus sive in materia iustitiae (scilicet quoad debita dubie contracta aut dubie soluta), sive extra materiam iustitiae; ita scilicet ut unusquisque in dubio facti (frustra peractis inquisitionibus) semper stare possit pro statu quo, nisi certe constet res esse mutatas, vel utcumque pateat quomodo factum illud (de quo dubitabatur) se habeat. Dicunt itaque: Si prius homo erat liber, non obstante dubio facti (quod, si certe subsisteret, libertatem ligaret), libertas in statu quo remanet (seu possidet libertas). E contra si prius homo erat obligatus, non obstante dubio facti (quod, si certe subsisteret, obligationem destrueret), obligatio in statu quo remanet (seu possidet lex). At vero principium istud (sic extensum) inconcussum non est, et saltem sive certe sive probabiliter multas patitur exceptiones. Nunquid enim potero in dubio aetatis canonicae ordines suscipere; in dubio impedimenti dirimentis matrimonium contrahere; in dubio damnum vel scandalum dandi ad actionem procedere etc.; nunquid (inquam) ita me gerere potero, quia possidet libertas? Nunquid e contra, non obstante probabilitate debiti iam soluti, aut voti iam satisfacti, aut officii iam recitati, aut poenitentiae sacramentalis iam adimpletae, ad haec praestanda adhuc obligabor, quia possidet lex? Opiniones probabiles et practice tutas in contrarium adesse vidimus supra (*n*, 2298. 2299).

Equidem principium istud valet in dubiis negativis, unde v. g. debeo accusare peccatum si non reminiscar quod illud accusaverim. Sed (si res bene introspiciatur) non tam principio possessionis quam principio praesumptionis, casus huiusmodi resolvuntur. Sic peccatum certe commissum debebo quidem accusare si recenter illud commiserim et de confessione facta nullam memoriam habeam (tunc enim praesumitur non confessum); non vero si a longo tempore commissum fuerit (tunc enim iam confessum praesumitur). Sed quid si ex praesumptione nihil coniici valeat? Dari potest exemplum sequens. Titius nocte diei Iovis expergiscitur et nescit an sit adhuc dies Iovis an vero incoeptus sit dies Veneris. Theologi dicunt: Potest vesci carnibus, quia possidet libertas. Expergiscitur e contra nocte sabbati et nescit an dies dominica incoepta fuerit. Dicunt non posse vesci carnibus, quia possidet lex. Ego sane non video

rationem ita gravem ut pro differentia ista concludendum sit. Fateor tamen tot numero et pondere esse Auctores, qui rem ita se habere firmiter existimant, ut eorum sententiam sequi certe liceat.

2301. *Ex dictis in tota hac quaestione quid concludendum?* Concludendum quod in dubio facti aliquando standum est a parte tuta; aliquando stari potest pro libertate; aliquando pro libertate stari nedum potest sed debet; aliquando denique partim a parte tuta, et partim a parte periculosa stari debet. Enimvero

I. Standum est a parte tuta si lex positiva vel contractus vel officium vel rei gravitas id exigat.

II. Stari potest pro libertate, si lex positiva, aut materia poenalis, aut opinio probabilis, aut nimium incommodum, aut rei levitas, aut principium possessionis, aut incertitudo an persona se obligaverit, aut probabilitas satisfactionis iam peractae, permittant ut quis se liberum existimare possit.

III. Standum est pro libertate, si stando pro obligatione malae consequentiae praeponderantes secuturae essent, ut in casu scrupulosi.

IV. Partim a parte tuta et partim a parte periculosa standum est, si res sit divisibilis et rationes speciales hanc differentiam exigant, ut in casu coniugis, qui stante dubio de valore matrimonii debitum petere nequeat, simulque illud reddere teneatur.

ARTICULUS IV.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

2302. *Quid est scrupulus?* Inanis et irrationabilis timor aut persuasio de peccato.

2303. *Quid est conscientia scrupulosa?* Est frequentia scrupuli.

2304. *Quibus signis quis semetipsum aut confessarius poenitentem tamquam scrupulosum deprehendere poterit?*

Imprimis conscientia scrupulosa distinguenda est 1° a conscientia delicata, quae leves imo et levissimos defectus considerat; 2° a timore moderato et iusto (v. g. si magnus peccator post suam generalem confessionem aliquo tempore timeat modo hoc modo illud peccatum non adhuc recte accusasse), atque a dubiis rationabilibus, quae a quibuslibet personis timoratis et normali criterio praeditis haberi possunt; 3° ab aliquo scrupulo raro.

Verus scrupulosus deprehenditur ex sequentibus signis; 1° Si tamquam talis iudicatus fuerit a suo confessario stabili, vel a pluribus confessariis; 2. Si passim timeat de peccato, ubi alii communiter (etsi timorati) non timent; vel utcumque praeseferat abnormitates et inverisimilia, ut puta, si dicat se frequenter peccare cogitatione, dum tentatus de opere nunquam (etsi commode posset) sic peccaret; aut se mortaliter peccasse passim reformidet, dum contra peccatum horrorem maximum ostendit, et dicit quod advertenter et oculis apertis illud nunquam commissurus esset; 3° Si iam pateat illum pluribus vicibus iudicasse vel timuisse de peccato sine fundamento; 4° Si ipse mente tranquilla iudicare soleat hoc vel illud non esse peccatum, et postea mente turbata timeat esse peccatum; 5° Si ipse absque haesitatione dicturus esset aliis hoc vel illud esse licitum; et pro se timeret esse peccatum, quin differentiae rationem sibi reddere possit; 6° Si absque fundamento vel propter reflexiones extravagantes nimis frequenter intricatus remaneat; 7° Si passim actiones suas suspendat, nimisque frequenter ad confessarium vel consiliarios recurrat; 8° A fortiori si responsis non acquiescat, et alios aliosque consulat, et nihilominus in timoribus suis adhuc permaneat.

2305. *Quaenam est principalis scrupulorum distinctio?* Scrupulus potest esse subsequens, vel antecedens seu concomitans.

Subsequens intervenit post factum, v. g., dum scrupulosus timet se pravis cogitationibus aut motibus consensisse, vel obligationibus suis non satisfecisse, v. g., peccatum non accusasse vel contritionem non habuisse; vel poenitentiam non bene peregisse; officium divinum non bene recitasse, aut aliquam eiusdem partem omisisse etc.

Antecedens seu concomitans accidit dum scrupulosus timet de peccato in actione vel omissione praesenti, sive timeat quod res sit peccaminosa in se, sive timeat ne rem bonam vel indifferentem ex prava intentione faciat. Casum habes in iis qui semper credunt se habere obligationes, v. g. veniam petendi, correctiones faciendi, scandala reparandi, occasiones fugiendi etc., quas revera non habeant. Maxime vero casum habes in iis qui quidquid dicant, quidquid faciant, quidquid omittant, semper de peccato reformidant. Scrupulus concomitans saepe a consequenti oritur; et casum habes in iis qui timendo ne obligationibus suis satisfecerint, credunt se iisdem adhuc satisfacere debere, unde semper in eo sunt ut officium repetant, peccata iterum iterumque accusent etc.

2306. *Adsuntne aliae distinctiones circa scrupulosos?* Affirmative. Aliqui enim obediunt Confessario et contra scrupulos agere nituntur; alii vero sunt inobedientes et obstinati qui nunquam acquiescunt et semper more suo se gerere volunt. Item aliqui in omnibus materiis, alii vero solum in aliqua materia scrupulosi sunt. Hi postremi autem in aliis materiis possunt 1° esse normales; 2° laborare conscientia laxa; 3° magni peccatores esse.

2307. *Scrupuli frequentes suntne damnosi?* Etsi scrupuli ad conscientiae puritatem; ad cavendum a periculis peccandi; ad exercendas virtutes timoris Domini, humilitatis, dependentiae, obedientiae, maxime vero patientiae (agitur enim de quodam martyrio); ad meritum magnum acquirendum (si scrupulosus sic sine ulla consolatione in operibus bonis perseveret); ad purgatorium in hac vita sustinendum; et denique ad alios scrupulosos compatiendos, deservire valeant, et sic suas utilitates (si scrupulosus sit obediens) habere possint; tamen in complexu habendi sunt ut damnosi, et satagendum est ut curentur et eliminentur; ex iis enim sequentia damna derivant. 1° Scrupuli antecedentes et concomitantes in causa sunt ut scrupulosus vel passim (prout conscientia ei suggerit) ab agendo abstineat, actiones suas suspendat, haereat et tempus deperdat; vel, agendo contra conscientiam, periculo formaliter peccandi se exponat; 2° Legem Domini et viam salutis onerosissimam, intricatissimam, et fastidiosissimam reddunt; 3° Desperationi et periculo deserendi vitam christianam atque vitiis habenas solvendi hominem exponunt; 4° Impediunt opera bona (quae scrupulosus vel facere non audet; vel, quia tempus terit in suis scrupulis, facere non potest); 5° Scrupuli speciali modo nocent iis qui in rebus levibus (v. g., in recitandis orationibus) iisdem laborant, atque interim in aliis rebus laxi sunt; facile enim, propter scrupulos eosdem, non iam laxae sed nimis strictae conscientiae se esse, sibi blandiuntur. 6° Si scrupulosus esset medicus, vel parochus, vel confessarius etc. scrupuli facile efficiunt ut (non sine damno aliorum) haec officia male exerceat, vel etiam ad illa prorsus ineptus reddatur. Adde quod scrupulosi facile signis externis se ridiculos reddunt, et existimationem plus vel minus amittunt. Aliis quoque taediosi atque intolerabiles evadere solent. 7° Scrupuli facile sunt contagiosi, et maxime in confessario; 8° Physice quoque praeiudicant; cerebrum enim et vires mentales debilitant, melancholiam producunt, ad amentiam disponunt, valetudini nocent, et vitam breviant.

2308. *Quaenam sunt causae scrupulorum?* Possunt esse 1° Quidam defectus naturales, scilicet temperamentum formidolosum, umbratile, apprehensivum et melancholicum; iudicii imbecillitas vel nimia subtilitas, sophysticando, nimis perscrutando etc.; phantasia quae valde et facile excitetur, unde quae parva sunt magna apparent etc. Notari potest quod defectus huiusmodi interdum non vere sunt naturales, sed a quibusdam morbis provocati fuerunt. 2° Quaedam causae externae, v. g., confessarius scrupulosus, conversatio cum scrupulosis, lectio librorum rigidiorum. 3° Quidam errores, v. g,, credendo quod tentationes etiam sine consensu sint peccata. 4° Quidam timores excessivi fortuito excitati, v. g., occasione concionis, missionis etc.

2309. *An nedum consilium sed vera adsit obligatio procurandi ut scrupuli a propria conscientia avertantur?* Affirmative; et quidem haec obligatio posset esse gravis. Ut tamen incuria esset graviter peccaminosa, oporteret ut scrupuli graviter nocerent, simulque possibile et satis facile esset eos eliminare, et materia gravis (non vero si aliquoties dumtaxat scrupuli foverentur) subsisteret; unde practice de peccato mortali (maxime vero de opportunitate scrupulosum sic terrefaciendi) difficile constabit.

2310. *Scrupulus potestne revera esse causa peccati formalis?* Videndum imprimis an scrupulus sit antecedens et concomitans, an vero sit mere consequens.

Scrupulus *antecedens et concomitans* utique potest esse causa peccati formalis, et talis erit si pro iudicio vel dubio attendibili accipiatur, ita scilicet ut scrupulosus credat se male facere, si cum illo ad actum procedat. E contra non erit causa peccati si scrupulosus scrupulum pro scrupulo, nempe pro inani suae mentis fallacis apprehensione consideret; idque a fortiori si ad illum contemnendum se teneri iudicet,

Scrupulus autem *consequens* molestus quidem, sed (quatenus sit mere talis et sic ad actionem iam praeteritam solum referatur) non causa peccati esse poterit.

2311. *Quaenam sunt scrupulorum remedia?* Theologi et Ascetici multa indicant remedia sive generalia sive particularia.

2312. *Quaenam sunt remedia generalia?* Praecipua sunt quatuor.

Primum est ut scrupulosus menti suae non credat, illamque tamquam fallacem (ad instar equi umbrosi vel oculorum icterici cui omnia flava apparent) et nullatenus attendibilem habeat (intellige iis in materiis in quibus scrupulos habere solet);

illius enim iudicii abnormitas, phantasia et cavillationes efficiunt ut res ei appareant aliter ac revera sunt. Hoc tamen restringitur ad casus in quibus dubitat; quando enim primo intuitu certus est aliquid esse peccatum vel rem examinandi obligationem habere; utique tunc menti suae credere debebit et sic ad abstinendum vel ad inquirendum tenebitur. Si enim menti suae nunquam credere posset aut deberet, tunc vel oporteret ut quovis momento Confessarium consuleret (quod est impossibile), vel ad quaslibet inordinationes libere procedere posset (quod est absurdum). Regula itaque non credendi menti propriae restringi debet ad dubia (ut dixi); quibus tamen addenda sunt etiam iudicia quae non primo intuitu, sed mente turbata, efformata fuerint, aut quae consilio Confessarii sperni debeant.

2313. Secundum remedium est ut Confessario suo credat, eique praecipienti ut scrupulos spernat perfectam obedientiam praestet. In hunc finem sibi persuadeat quod scrupuli sunt valde damnosi, et quod seclusa obedientia a morbo isto nunquam sanabitur. Equidem ipse vellet esse tutus; sed nunquid erit tutus si scrupulis suis obsecundet et in statu adeo periculoso obstinate permanere velit? Erit profecto quasi coecus currens ad praecipitium, vel quasi navis in mari procelloso quae sine rectore se coniiciat in syrtes. Obediendo autem Confessario suo, tutissimus erit; quamvis enim in aliquo particulari errare possit Confessarius praecipiendo, nunquam errabit poenitens obediendo, qui semper plene securus erit, dicente ipso Domino: « Qui « vos audit, me audit », et « vir obediens loquetur victorias ». In hunc finem etiam Deo toto ex corde se commendet, dicendo cum Coeco evangelii: « Domine, ut videam », vel cum discipulis in mari periclitantibus: « Domine, salva nos, perimus ».

2314. Tertium remedium est ut scrupulis suis nullum fomentum praebeat, sed potius illis semper adversetur. Hoc autem sequenti modo declaratur:

I. Ad obsecundandum timoribus suis nihil faciat, nisi primo intuitu certum et manifestum peccatum videat; neque suspendat et inquirat, nisi pariter primo intuitu certe cognoscat esse suspendendum et inquirendum. Hinc, v. g., iuxta monitum Confessarii, Horas canonicas, poenitentiam sacramentalem, voti satisfactionem etc. neque ex toto neque ex parte repetat; res bonas vel indifferentes, quas mala intentione facere pertimescit, audacter faciat; peccata dubie commissa aut dubie confessa non confiteatur; propter peccata dubia Communionem vel Missae celebrationem non omittat etc. Neque dicat: Dubio meo hac

vice tantum obsequar, et postea quietus ero. Neque demum ab hac regula deflectat, quia aliqua vice, spernendo dubium, se male egisse deprehenderit; expedit enim ut potius aliqua mala materialia accidant, quam quod scrupuli perpetuo foveantur.

II. De scrupulis suis nec loquatur, nec cogitet; sunt enim quasi pix quae eo magis adhaeret quo magis tangitur, vel quasi scabies aut morbus oculorum quibus confricatio (etsi placeat) efficit ut tormentum crescat. Ne ex fine quidem perpendendi et examinandi an peccatum commiserit vel consensum praebuerit, et ne ex intentione quidem sibi persuadendi quod de scrupulo spernendo agitur, scrupulosus de scrupulis suis cogitet.

III. Scrupulis insurgentibus, distractiones quaerat. Scribit Ballerini (*Op. th. II.* IV. 200): « Suadeatur, ut tunc numeret « vel dies mensis vel literas alphabeti (*vel digitos manuum*), « aut quot vitris constet fenestra aut solum lateribus ».

IV. Semel in hebdomada (non vero saepius) ad confessionem accedat; nec modo hunc modo illum consulat, bene vero confessarium suum stabilem habeat, illumque non mutet. Timores autem stultissimos ne se bene expresserit, ne confessarius bene intellexerit etc. a se prompte abiiciat. Confessiones generales non faciat; vix unquam enim confessio generalis ei expedire potest.

V. In materiis suorum scrupulorum examen conscientiae (etsi forte a regulis suae religionis exigeretur) non instituat.

VI. Otium declinet, occupationes habeat, et recreationes laetas, aut saltem distractivas, sibi procuret. Solitudinem autem et conversationem cum scrupulosis (maxime vero confessarium scrupulosum vel rigidarum opinionum sectatorem), lectiones et meditationes de rebus terrificis (v. g. de morte, de inferno, de iudicio divino, de aeternitate, de exiguo numero electorum, de viae salutis et portae coelestis arctitudine etc.) prorsus evitet. Missiones quoque et quaedam conciones ei nocere possunt. De Paradiso potius, de spe christiana, de infinita Dei bonitate et misericordia, nec non de fiducia maxima reponenda in Deo patre nostro, et in Beatissima Virgine matre nostra, saepe saepius recogitet, actusque spei atque amoris toto ex corde eliciat.

2315. Quartum remedium generale se habet ex parte Confessarii, et in bona directione residet. Quo in puncto notanda sunt sequentia:

I. Caveat imprimis Confessarius ne tamquam scrupulosos habeat et regulis scrupulosorum dirigat eos qui tales nullatenus sunt. Error contingere potest praecipue in duobus casibus.

Primus est quoad illos, qui laudabiliter timendo, (quamvis non existiment se ad id teneri) a periculis quoque non gravibus cavent, mortificationem profitentur, et nedum peccata venialia sed imperfectiones etiam levissimas sedulo evitare satagunt. Quid itaque si Confessarius diceret: Eia age, hi sunt scrupuli, naenia ista audire nolo, non oportet ut adeo rigide vivas? Nonne tunc bonum magnum destrueret, dicente S. Gregorio: « Bonarum mentium est etiam ibi culpas suas agnoscere, ubi « culpa non est »? Secundus casus est quoad personas quae operibus piis incumbunt, Ecclesiam et Sacramenta valde frequentant, magnum aeternae damnationis timorem ostendunt, et nihilominus de motibus carnalibus voluntariis pravisque cogitationibus aut aliis malignitatibus se accusant. Utique de veris peccatis mortalibus (etiam in personis huiusmodi) agi posset; et, si Confessarius eas ut scrupulosas haberet, et proinde non ut poenitens se emendet, bene vero, ut pro nihilo habeat res istas, sollicitus esset, nonne in causa foret ut passiones sic satisfactae semper maiorem vim acquirant, habitus efformetur, et cum maximo periculo damnationis aeternae misera anima in extremam ruinam coniiciatur? Etiam quoad magnos peccatores, qui ad poenitentiam reducti suam confessionem generalem peregerunt, non praepropere iudicet Confessarius (ut supra innui), illos esse scrupulosos, eo quod iterum atque iterum cum novis peccatis accusandis redeant et veniae non adhuc obtentae formidinem aliquibus mensibus ostendant. Solum quando eos iam dicta repetere vel anxietatem excessivam ostendere animadvertat, tamquam hac in parte scrupulosos existimare incipiat.

2316. II. Rarus erit casus in quo quis sit scrupulosus in omnibus; et proinde confessarius ut plurimum secernere debebit scrupulos a veris culpis, quae (ut supra innui) interdum leves et interdum etiam graves vel gravissimae esse possunt.

2317. III. Confessarius a scrupuloso exigat 1° Sinceritatem, eum monendo ne advertenter res exaggeret, aut dubia tamquam certa exponat; 2° Fiduciam, et dicat quod si fiduciam in se non habeat, ad alium (cui fidat) se conferat; 3° Obedientiam; ita tamen ut obedientia praestanda sit ex consilio, non vero ex rigoroso praecepto; secus enim poenitens alium scrupulorum fontem inveniet. Iubeat autem ut contra scrupulos agat, dubia non accuset et peccata vitae praeteritae non confiteatur nisi certus sit, imo et iurare possit rem esse illicitam, vel se peccata commisisse neque de iis confessum fuisse (iuxta dicta n. 2314. I.). In sequentibus confessionibus (sive de praesentibus

sive de praeteritis peccatis poenitens se accuset) confessarius persistat in inquirendo an certus sit, an iurare possit etc.? Notat Gury (*Cas. consc. I.* 49), quod interdum phantasia huiusmodi poenitentium eo usque procedit ut dicere incipiant sibi videri quod etiam iurare possint; sed (si de scrupulis manifestis agatur) Confessarius id non credat, et, mutata praxi, dicat absolute ut res illas spernant (Cf. *n.* 2312).

2318. IV. Distinguat inter scrupulosos qui plus vel minus obedire incipiunt, et alios pervicaces. Erga obedientes sit mitis, nec afflictionem afflictis addat, neque dicat eorum morbum spiritualem iam non admittere remedium. Ad hanc crucem patienter ferendam eos adhortetur, paradisum eis repromittat, et de fine quoque huiusmodi tribulationis cum morte valde tranquilla (prout reapse accidere solet) spem eis det. Erga pervicaces e contra aliquantulum severe et minaciter procedere poterit. Quoad illos rigidissime procedendum esse docebat S. Lig. (*Prax. n.* 97) inquiens: « Curet in hoc Confessarius ut poenitens exacte obe« diat, et si non obedit eum increpet, privet Communione et « rigorose coerceat.... Circa obedientiam magnus rigor est ad« hibendus etc. ». At vero (et maxime si agatur de Monialibus) haec regula cum mica salis est adhibenda, ne scilicet (adeo severe agendo) mala maiora (v. g. insania aut desperatio) magis magisque timenda sint; interdum enim ex indole naturali, aut morbo, aut habitu inveterato, scrupuli nullum remedium iam amplius admittunt et patientia est adhibenda, ut scite advertunt Gousset (*II.* 600) Gury (*l. c.*) aliique. Aliud est itaque quod remedia sint tentanda, et aliud quod in iisdem semper et rigorose applicandis perseverandum sit.

2319. V. Confessarius totus in eo sit ut scrupulosus credat se esse talem (iuxta dicta *n.* 2312). In hunc finem de sua sententia magnam securitatem, nullamque timoris umbram ostendat. Hinc, dum poenitens (de rebus in quibus est scrupulosus) aliquid interrogat vel accusat, prompte respondeat, nullamque haesitationem ostendat, et ordinarie nihil inquirat. Interdum irrideat; et si poenitens de illa materia aliud dicere vellet, sermonem interrumpat et dicat se nihil audire velle. Si confessio de solis scrupulis fuerit, tunc modo dicat non adesse materiam absolutionis, et poenitentem cum sola benedictione ad communionem mittat; modo dicat quod, si vult absolutionem, peccata vitae praeteritae in genere accuset.

2320. VI. Animi agitationibus novisque timoribus nullam occasionem praebeat. Hinc in rebus scrupulosis distinctiones non

faciat, dictorum suorum rationes non reddat, et sermonem non protrahat; secus enim phantasia iterum accenderetur et sic scrupuli magis magisque augerentur.

2321. VII. Causam vel causas scrupulorum agnoscere atque destruere vel imminuere procuret. Saepe agitur de morbo physico, unde pharmaca iuvare possunt. Iuvat autem semper, ut Confessarius poenitentem distrahat. Hinc sermonem ad alia divertat, et curet ut etiam domi (iuxta dicta n. 2314. III. VI.) ope distractionum scrupuli imminuantur.

2322. *Quid de remediis et regulis specialibus?*

I. Quoad illos qui timent se consensisse turpibus cogitationibus, motibus carnalibus, iudiciis temerariis, invidiae, desiderio vindictae, blasphemiis mentalibus, cogitationibus contra fidem etc.; reminiscatur Confessarius 1. quod, si rudes in genere, speciatim scrupulosi sensum cum consensu et phantasiam cum voluntate confundere solent; 2. quod phantasia et motus carnales non ita subsunt voluntati, ut ab ea totaliter refraenari possint; 3. quod, (ut alibi notavi cum Frassinetti *Diss. II. n.* 4) non est praesumendum peccare cogitatione illum, qui opere non peccat, etsi opere quoque peccare tentaretur et tentationi commode cedere posset; 4. quod, sicut in personis timoratis habitualiter a peccato abhorrentibus et in proposito illud non committendi firmissimis, in dubio non praesumitur consensus; ita multo minus in scrupulosis praesumi poterit. Hinc de scrupuloso huiusmodi scripsit S. Lig. (*Prax. n.* 96): « Confessarius sit liber et intrepidus in parvipendendo eum, et « in asserendo poenitenti, has cogitationes esse sibi poenas, « non autem consensus nec peccata.... Cum persona est timo- « ratae conscientiae, si non est plus quam certa de peccato « mortali, debet iudicare illud non admisisse; si quidem tantum « monstrum possibile non est in animum aditum habere, qui « ab illo horret, quin patenter illud videat ».

2323. II. Quoad illos qui facile reformidant adesse obligationes et peccata ubi non adsunt, et sic fere semper haesitant, inquirunt etc. (praeter dicta *n.* 2314) regula est ut quidquid a personis bonae conscientiae fit, vel de quo libere faciendo consilium daturi essent aliis, ipsi quoque libere faciant.

2324. III. Sunt qui de mala intentione semper timent. Vestes induunt, et en intentio provocandi in aliis turpia desideria erga se. Foris prodeunt, aut domum alicuius ingrediuntur, et en intentio malitiose placendi, videndi etc. Manducant, bibunt, iocantur etc., et en intentio mere delectationem sen-

sualem capiendi. Ad Ecclesiam se conferunt vel ad sacram mensam accedunt, et en intentio vanae gloriae vel etiam Sacerdotibus placendi aut malitiose eos conspiciendi. Confessionem faciunt, et en intentio commorandi cum Confessario vel etiam turpes delectationes provocandi. Sacras imagines (v. g. Crucifixi, Beatae Virginis etc.) aspiciunt, et en intentio eo aspectu libidini satisfaciendi etc. Scrupulosis huiusce generis iniungendum erit ut, bona intentione identidem efformata, intentiones pravas pro vana phantasia habeant, atque ad actiones bonas vel indifferentes audacter procedant. Scribit Lhemkuhl (*I.* 64. 5): « Si, aspiciendo res plane innoxias, imaginationes et motus « patitur, audacter aspiciat; res quidem vel imagines (e. g. « sacras) etiam fixis oculis, homines modeste et transeunter, « atque motus imaginationesve contemnat ». Notentur verba *modeste et transeunter;* cavendum enim est ne scrupulosus, qui libidini quoque subiiciatur, ad nimiam libertatem procedat et sic in excessum contrarium se coniiciat. Neque silentio praetereundum est quod, si scrupuli et tentationes confessarium ipsum respicerent, tunc expediret ut ille poenitentem id significantem pro consilio remitteret ad alium Sacerdotem prudentem (si adsit); qui tamen non facile boni confessarii mutationem suadere deberet; cum novo enim Confessario ut plurimum idem accideret.

2325. IV. Si scrupulus sit circa praeteritas confessiones, nempe quod in eis non satis explicaverint omnia peccata, aut circumstantias, aut numerum, vel quod defecerint in dolore, Confessarius, cum adverterit poenitentem fecisse confessionem generalem, aut per aliquod notabile tempus pluries repetiisse res anteactas: huic imponere debet ne illas amplius deliberate recogitet, et ne verbum faciat de culpis vitae praeteritae nisi iurare possit etc. iuxta dicta *n.* 2317 cum S. Lig. (*Prax. n.* 97), ubi addit: « Scrupulosos, etiam si ex inadvertentia omisissent « aliquod grave peccatum, non teneri (saltem cum de hoc non « sint certi) cnm tanto incommodo et periculo ad servandam « confessionis integritatem, a qua minus quidem incommodum « quam hoc excusare valet ». Tandem recogitatio de peccatis vitae praeteritae permitti quidem poterit huiusmodi scrupulosis, sed solum in genere et cum confidentia in Divina Misericordia.

2326. V. Quoad poenitentem scrupulosum in recitatione divini Officii, praeter supra dicta de nihil repetendo, Confessarius notet etiam quod, si valde anxietur et nimium tempus insumat, potest illi determinare tempus (v. g. horam unam cum

quadrante), quod cum expleverit, si quid nondum absolverit, id omittat (*Lhemkuhl I.* 64. 7). Si autem ad tollendas graves anxietates hoc non sufficeret, tunc adhibenda esset doctrina S. Lig. (*IV.* 177. *in fin.*) dicentis : « Si quis pateretur graves « anxietates, posset aliquando etiam ei interdici recitatio Of- « ficii, donec videatur posse recitare sine tanto incommodo, « cum magnum incommodum excuset per se a praeceptis ». Practice autem bene erit curare ut ab Episcopo vel Praelato suo dispensationem obtineat.

2327. VI. Si poenitens timeat se peccare eo quod, recogitando de possibilibus vel etiam impossibilibus circumstantiis, non habiturus sit animum abstinendi tunc a peccato (ut puta, si recogitaret de martyriis crudelissimis vel de ipsis poenis aeternis sustinendis potius quam committere peccatum), Confessarius praecipiat ut tentationem a se avertat reflectendo satis esse ut sit dispositus facere divinam voluntatem, et intra se dicat: « Nunc nolo Deum offendere; si casus acciderit, aderit mihi « gratia divina, ut faciam eius voluntatem ». Voluntas autem Dei nunquam esse poterit ut quis in bivio versetur aut peccandi aut damnationem aeternam subeundi.

ARTICULUS V.

DE CONSCIENTIA LAXA.

2328. *Quid est conscientia laxa?* Est illa qua quis habitualiter iusto plus in favorem libertatis iudicium inflectit; sive quatenus ad malitiam quarumdam actionum iam amplius nullo modo reflectere soleat (v. g., mentiendo, murmurando, blasphemando, sine devotione orando etc. absque scrupulo ullo); sive quatenus, insurgente dubio, ex inanibus, et quidem cupiditati faventibus, rationibus sibi blandiri soleat esse licitum quod illicitum est, aut esse veniale quod mortale est. Hinc est laxus qui pro nihilo habet illa quae alii communiter putant esse peccata; aut non credit concionatoribus et confessariis, quorum reprehensiones pro immodicis exaggerationibus habet; aut in rebus etiam gravioribus proprio iudicio temere procedit, nemine consulto; aut, quin scrupulum habeat muneribus proprii status non satisfacit; confessioni debitum examen non praemittit; quando aliquid facere vult, ne detegat illud esse illicitum et ne remorsus crescat, ab inquirendo abhorret et praecipitanter ad actionem procedit etc.

2329. *Conscientia laxa quotuplex esse potest?* 1° Antecedens seu concomitans; 2° Consequens. Prima contingit quando quis, tempore ipso quo agit, immerito vel dubium nullum habet, vel illud spernit. Secunda contingit quando quis, postquam formaliter peccaverit, se non peccasse aut levius peccasse immerito sibi blanditur.

2330. *Conscientia laxa estne damnosa et deponenda? Peccatne formaliter qui illâ laborat?*

Ad I.m Affirmative. Si enim sit antecedens, laxus periculo passim offendendi legem se exponit sine causa; si vero sit consequens, deficiendi contra integritatem confessionis, veniam non obtinendi, et damnationem aeternam incurrendi, periculum subit.

Ad II.m Affirmative, si laxus ex una parte advertat se illâ laborare, atque (ne sit reus in causa et praedictis periculis se exponat) teneri se corrigere atque conscientiâ timoratâ procedere; et ex alia parte de se emendando cauteque procedendo non curet. (Dictam autem advertentiam laxus generatim, saltem in confuso et saltem identidem habebit). Si vero laxus de sua emendatione seriam sollicitudinem haberet; tunc non amplius reus in causa esset; unde, si forte consueta consuetudine praereptus aliquid mali inadvertenter vel non satis advertenter committeret, aliis bonae conscientiae materialiter aut sine plena advertentia errantibus aequiparari deberet.

2331. *Explica enucleatius quomodo qui advertit conscientia laxa se laborare se gerere debeat?* Praemittendum quod dum habens conscientiam normalem ubi timendum est timet, et nec plus nec minus iusto timet; et dum scrupulosus timet ubi timendum non esset, vel plus iusto timet; laxus e contra ubi timendum esset non timet, vel longe minus iusto timet. Hinc, sicut scrupulosus, ut aliquid tamquam illicitum habeat, debet esse certus de inhonestate actionis; ita laxus ut aliquid tamquam licitum habeat, de actionis honestate certus esse debet. In dubio itaque (etiam levi) vel inquirere vel a parte tuta stare tenetur. Imo si animadvertat quod etiam quin ullum dubium aut remorsum experiatur, male se agere solet, specialem curam adhibere tenetur ne in posterum id accidat. Haec valent quoad conscientiam antecedentem. Circa consequentem autem, quando de peccato commisso vel de consensu praestito dubitat, se peccasse vel consensisse praesumere debet.

2332. *Quaenam sunt conscientiae laxae remedia?* 1° Timor Dei et studium legem divinam accurate servandi (in quem finem

deservient meditationes, auditio concionum, lectiones spirituales etc.); 2° Agere iuxta eos qui timoratam conscientiam habent: 3° Assiduum conscientiae examen; 4° Frequentia confessionis apud confessarium vero zelo praeditum.

CAPUT III.

DE PECCATIS.

Agendum est 1. de natura peccati; 2. de distinctione specifica et numerica peccatorum; 3. de peccato mortali et veniali; 4. de peccatis internis; 5. de radicibus et fontibus peccatorum.

ARTICULUS I.

DE NATURA PECCATI.

2333. *Quid est peccatum?* Vulgari et obvio sensu definiri potest cum S. Th. (1. 2. *LXXI.* VI): « Actus humanus malus », quo scilicet homo voluntarie legem transgreditur. Hoc sensu dicitur etiam *peccatum formale.*

2334. *Peccatum formale distinguiturne* 1. *a culpa;* 2. *a defectu;* 3. *a malo:* 4. *a peccato in genere?*

Peccatum formale confunditur cum culpa; sed a defectu, a malo, et a peccato in genere, tamquam species a genere distinguitur. Breviter id explico.

Defectus est carentia rei sive debitae sive indebitae. *Debitae;* et sic est defectus si homo careat oculo. *Indebitae;* et sic est defectus quod homines careant alis.

Malum est species defectus, et restringitur ad defectum rei debitae; dum scilicet aliquid (quod adesse deberet) sive rei alicui, sive operationi alicui deest. *Rei alicui;* et sic malum est si tibia sit clauda. *Operationi alicui;* et sic malum est si quis eundo claudicet.

Peccatum in genere est species mali, et restringitur ad malum operationis, quae potest esse naturae, artis et moris. Hinc *peccatum naturae* est, v. g., si natura monstrum generet; *peccatum artis* est, si, v. g., pictor male pingat; *peccatum moris* (quod vulgariter culpa aut peccatum simpliciter, theologice vero peccatum formale appellatur) est si homo voluntarie

legem aliquam transgrediatur. Sic autem patet quod peccatum formale confunditur cum culpa, et est species peccati, species mali, et species defectus.

2335. *Quid itaque de peccato materiali?* Hoc committitur ab homine male operante involuntarie; unde ad peccatum naturae pertinet.

2336. *Quaenam conditiones ad peccatum formale constituendum exiguntur?* Quum peccatum debeat esse actus humanus malus, et quum actus humanus debeat esse voluntarius; ideo ad illud constituendum exigitur 1. cognitio ex parte intellectus, 2. libera electio seu liber consensus ex parte voluntatis. De conditionibus istis iam egimus in Tractatu de Actibus humanis, ubi vidimus 1. Quomodo voluntarium possit esse etiam in causa (*n.* 2081); 2 Quomodo ignorantia invincibilis sive iuris sive facti (quae ne in causa quidem imputari possit) tollat voluntarium atque adeo efficiat ut peccatum formale adesse nequeat (*n.* 2104); 3. Quomodo et sub quibus conditionibus vis tollat voluntarium et excuset a culpa (*n.* 2166-2172); 4. Quomodo concupiscentia, habitus et metus ordinarie voluntarium non tollant, etsi illud imminuere et subinde etiam tollere possint (*n.* 2120 *et seqq.* 2127 *et seqq.* 2158 *et seqq.*).

2337. *An ad peccatum constituendum sufficiat quod homo cognoscat id quod agit, an vero exigatur etiam ut actus malitiam cognoscat? Quid si malitiam solum in parte cognosceret? Et quid si malitia apprehenderetur quidem sed obiective revera non adesset?* Exigitur cognitio malitiae. Si malitia solum in parte cognoscitur, solum in parte reatus contrahitur. Sufficit si malitia apprehendatur (quamvis revera non adesset). Haec constant ex dictis circa conscientiam erroneam (*n.* 2218. 2220).

2338. *An peccatum in solo actu interno (seu in sola malitia voluntatis) an vero insuper in actu externo, vel in omissione externa, vel etiam in effectu secuto resideat?*

Hoc in puncto non levis confusio apud Auctores reperitur. Vide Lugo (*De Poenit. XVI.* IX), Ballerini (*op. th. Tr. IV. n.* 64-50, et *S. Lig. V.* 10). Ego sic dicerem:

Peccatum certe residet in malitia voluntatis. Quamvis autem actus externus sit quid materiale, tamen in eo quoque residet peccatum; quatenus ex actu interno et externo quid unum efformatur, cui quoque peccati nomen datur. Hinc peccatum non iam actus voluntatis malus, sed *actus humanus malus* vel etiam *dictum vel factum vel concupitum contra legem* definitur. Hinc

etiam inter peccata interna et peccata externa, atque inter peccata cogitationis, verbi et operis distinctiones fiunt.

Peccatum residet etiam in omissione externa; unde non solum in voluntate, v. g., non audiendi Missam die festo, sed etiam in omissione reali Missae ipsius peccatum intervenit.

Denique peccatum residere potest etiam in effectu secuto, quatenus, v. g., peccatum homicidii non in solo vulnere lethali, sed in morte reapse secuta; et abortus non in sola eiusdem procuratione, sed in illo reapse secuto, residere dicimus.

Quod tamen peccatum in actu externo, in omissione externa, et in effectu secuto resideat vel residere possit, hoc ad solam denominationem spectat; saepe enim effectui secuto, et subinde etiam omissionibus externis, nomen peccati non damus. Sic quoad effectum secutum dicimus quidem peccare patrem dum prolis educationem negligit, non vero quando peccata filiorum sequuntur. Et, quoad omissiones peccaret quidem Sacerdos qui initio navigationis breviarium in mare proiiceret, non vero quando postea durante navigatione ipsa officium non recitat.

Hae autem advertentiae deserviunt praecipue ut dignoscatur an actus externus, omissio externa et effectus secutus sub confessionis obligatione cadant : quum enim ex Christi Domini praecepto accusari debeant peccata, ea omnia et ea sola, quae communi denominatione peccata dicuntnr, accusanda erunt. Ut tamen confessionis obligatio adsit, oportet ut reatus antea accusatus non fuerit; unde qui vulnus lethale inflixit, si antequam mors sequeretur illud accusasset, morte subsecuta, obligationem non haberet iterum accedendi ad confessionem ut se homicidium commisisse declararet, prout declarare debuisset si, dum primitus ad confessionem accessit, mors iam secuta fuisset.

2339. *Ad peccatum formale constituendum sufficitne ut quis habitualiter cognoscat rem esse malam, an vero exigitur ut dum agit se male agere advertat actualiter?* Exigitur advertentia actualis. Quod tamen sequenti modo intelligendum est. Si reatus sit in causa, sufficit ut habeatur advertentia dum causa ipsa ponitur; unde sufficit etiam advertentia ad futuram inadvertentiam seu inconsiderationem, a qua non caveatur dum cavendum esset. In peccato omissionis, sufficit ut cum advertentia malitiae quis consentiat in omissionem utcumque futuram. In peccato commissionis, si reatus non fuerit in causa, advertentia exigitur dum ponitur actio, ita tamen ut sufficiat voluntarium *virtuale,* ut scilicet advertentia ad malitiam in principio actionis ipsius adfuerit.

Aliqui confusionem ingerunt dicendo sufficere advertentiam *interpretativam.* Sed S. Lig. (V. 4) scripsit: « Opinio eorum, si forte adsunt, qui dicunt ope-« ranti adversus legem imputandos esse omnes errores, quos committit etiamsi « nulla unquam intercesserit actualis advertentia nec directa nec indirecta, in « se vel in causa, saltem in confuso; sed tantum adfuerit advertentia interpre-« tativa, in hoc dumtaxat consistens, quod ipse debuit et potuit sola potentia « physica et remota malitiam advertere; haec opinio nullo modo sustineri po-« test ». Vide Ballerini (*Op. th. IV.* I. *n. 17 et seqq.).*

2340. *An sufficiat cognoscere et advertere rem esse malam; an vero oporteat etiam advertere rem esse a Deo prohibitam?* Sufficit advertere rem esse malam; secus enim innumera peccata excusaremus. De re ista egi in tract. De Recidivis (n. 196). Vide Ballerini (*Op. th. l. c. n.* 41. *et seqq.*) Lhemkuhl (*I.* 222) et S. Lig. (*V.* II).

2341. *Loquendo nunc de consensu ex parte voluntatis, quaeritur an, postquam intellectus adverterit rem esse prohibitam, liceat voluntati remanere anceps an consentiat necne; an scilicet se determinet ad peccandum, an vero potius a peccato abstineat?*

In eo qui inclinationem experitur erga rem malam, voluntas quatuor modis se habere potest. Primus est si homo advertens, rem esse malam, ad illam exequendam se determinet. Secundus prorsus oppositus est si ab illa perpetranda abstinere statuat (De his duobus modis nulla difficultas). Tertius est si versetur in perplexitate an illam committat vel non committat. Quartus est si inclinatio quidem in appetitu sensitivo subsistat, sed voluntas ad dictum perplexitatis actum minime procedat. In quaestione ista agitur de tertio casu; de quarto autem in quaestione sequenti agendum erit. Potestne itaque homo remanere perplexus an malum (v. g., homicidium, mollitiem etc.) committat vel non committat? Negative; et non solum peccat qui ita haesitet ex mero motivo humano (v. g. haesitando passioni suae obsecundare timore infamiae, carceris, iacturae sanitatis etc.), sed etiam (nisi ex conscientia erronea excusetur) peccat qui timore ipso Deum offendendi vel damnationem incurrendi concuteretur, et nihilominus positive haesitaret. Utique qui haesitat minus peccat quam qui iam est determinatus; sed in statu quoque haesitationis malum reperitur, in eoque (post advertentiam) persistere non licet. Ratio est quia 1° talis haesitatio est iniuriosa Deo, quasi dubium foret an Dei lex turpibus desideriis praeferri debeat; 2° dilatio determinationis in favorem virtutis et cogitatio difficultatum periculum decise consentiendi inducit; 3° Sicut peccat dubitans et haesitans circa

fidem, in qua unusquisque debet esse firmissimus; ita peccat qui dubitat et haesitat circa legis observantiam, de qua propositum non iam vacillans sed firmissimum semper habere debemus. Ita Sanchez (*Dec. I.* I. 16), qui dicit huiusmodi haesitationem in re gravi esse lethalem.

2342. *Quid de eo qui, insurgente passione inordinata, non iam consentiat peccato aut haesitet an consentire debeat; sed solum circa passionem ipsam indifferens remaneat, et contra illam nihil faciat?* Peccat; et rationes sunt sequentes: 1° quia secus ordinarie adesset periculum consentiendi, unde voluntas quasi contra aggressionem se defendere debet ne succumbat. 2° quamvis forte ea vice periculum non adesset, tamen oportet, ut consuetudo habeatur contra passiones exortas statim aliquid faciendi; secus enim passiones nunquam refraenatae vim acquirerent et sic periculum quod hodie non adesset in posterum suboriturum foret; 3° quia personae timoratae conscientiae non solum si passionum motus sint vehementes, sed etiam si sint leves (v. g., alicuius impatientiae), actus contrarios scilicet alicuius repressionis elicere solent; 4° quia, si passio esset vehemens et valde halliciens (prout speciatim in libidine contingere solet), qui non resisteret, dum commode resistere posset, iam consentire praesumendus esset.

Difficultas est in determinando gradu resistentiae, et gradu culpae si resistentia debita non apponatur.

Quoad gradum resistentiae, praeterquam quod oportet semper cavere a consensu, abominatio aut saltem passionis exortae displicentia, quae sin minus passionem ipsam cohibeat saltem voluntatem in tuto collocet ut plurimum necessaria est; et hac in re apud theologos nulla dissensio adest, ut bene probat Ballerini (*Op. th. IV. I. n. 202. et seqq.*). Dixi *ut plurimum;* interdum enim expedit ut quidam motus sensualitatis, si sint leves, potius contemnantur, ne (dum abominatio concipi vellet) per phantasiam adaugeantur, ut bene notat S. Lig. (*V.* 8). An autem ultra simplicem displicentiam (quae ad passionis motum reprimendum non sufficiat) aliquid aliud remedium (v. g. oratio, distractionis alicuius procuratio, situs mutatio, operis quod passionem excitat interruptio etc.) exigatur, decisio pendet tum ex gradu periculi, tum ex utilitate remedii ipsius, tum denique ex facilitate illud adhibendi. Si periculum consensus non adsit, vel sit leve, tunc praedicta displicentia sufficit; si vero periculum sit grave, tunc aliquid aliud remedium exigitur; ita tamen (prout modo dicebam) ut remedii ipsius utilitas et

facilitas considerari debeat. Hinc si maior resistentia iam inutilis esset, et multo magis si periculum potius adauctura vel diuturnius redditura esset, tunc illam adhibendi nulla obligatio adesse posset. Hinc etiam ordinarie non dabitur obligatio deserendi vel interrumpendi opera necessaria aut utilia; aut illis non congrue attendendi ut mens ad dimicandum contra tentationes occupetur; aut, si tentatio diu duret, quovis momento praedictos actus abominationis et displicentiae concipiendi etc. Cf. Ballerini (*l. c. n.* 209) et Sanchez (*l. c. n.* 12. 13).

ARTICULUS II.

DE DISTINCTIONE SPECIFICA ET NUMERICA PECCATORUM.

2343. *Cur agendum est de distinctione specifica et numerica peccatorum?* Praecipue propter integritatem confessionis; quum enim Christus Dominus voluerit ut peccata accusentur non in genere, sed distincte iuxta propriam speciem et numerum; valde necessarium est ut Confessarii probe sciant quomodo peccata specie et numero distinguantur, et quomodo circumstántiae speciem mutantes ab aliis indifferentibus aut solum aggravantibus vel minuentibus distingui possint.

2344 *Quaenam regulae in re ista dari possunt?* Regula suprema est ut respiciatur sensus communis; non solum quia sensus communis vix unquam errabit, sed etiam quia Christus Dominus, dum imposuit obligationem confitendi speciem et numerum peccatorum, utique non plus exigere potuit quam ut Christifideles iuxta communem apprehendendi et loquendi modum haec distinguerent et significarent. Si itaque communi sensu tale peccatum ab alio distingui debeat, quia ad diversam classem pertineat, diverso nomine appelletur etc.; tunc species erit diversa; et secus si secus. Similiter si sensus communis talem actionem (etsi multis actibus coalescentem) ut peccatum unicum considerare soleat; peccatum erit unicum revera; et secus si secus.

Theologi tamen alias quoque regulas suppeditant, quae melius rem declarant, atque ad praxim non parum deserviunt.

Regulae speciales quoad distinctionem specificam.

2345. Notandum I. quod species peccatorum non sunt semper eiusdem ordinis; sed aliae sunt altioris ordinis et dicuntur *genericae;* aliae vero ordinis inferioris et dicuntur *infimae.* Sic, v. g., iniustitia est species generica; homicidium autem, furtum, detractio etc. sunt species infimae, quae sub specie generica iniustitiae comprehenduntur, et sub confessionis obligatione cadunt.

Notandum II. quod distinctio specifica esse potest 1. in diversis peccatis, unde dicimus, v. g., quod fornicatio a sodomia, mollitie etc. specie differt; 2. in uno eodemque peccato; unde dicimus, v. g., quod in furto sacrilego adest circumstantia quae speciem mutat.

2346. *Undenam desumitur distinctio specifica peccatorum?* Ex diversa deformitate morali, quae ordinarie nominis quoque diversitatem secum fert, vel exigit ut communi nomini attributum aliquod addatur. Hinc distinctio specifica adest v. g. inter homicidium et suicidium; inter peccata cordis, oris, operis et omissionis; inter furtum simplex et furtum sacrilegum etc.

2347. *Possuntne dari aliae regulae speciales?* Utique. Distinctio specifica desumitur 1. ex diversis virtutibus quae laedantur; 2. ex diverso modo laedendi virtutem eandem; 3. Aliquando etiam ex diversis praeceptis quae violentur. Sed haec sunt explicanda.

2348. *Explica quomodo ex diversis virtutibus laesis diversitas specifica oriatur?* Distinctio specifica intervenit toties quoties virtutes diversae offendantur; ita tamen ut duo notanda sint: 1. Laesiones implicitae, et quae subintelligi solent, quoad speciem non considerantur si adsint; bene vero considerantur si desint; 2. Laesiones virtutum quae non ex se, sed ex solo praecepto positivo obligant, pariter non considerantur; bene vero sola inobedientia consideratur et accusari debet. Do exempla regulae et exceptionum.

A) *Exempla quoad regulam, scilicet quoad diversitatem specificam desumptam ex laesione virtutum diversarum.* Homicidium, fornicatio, sacrilegium. Haec sunt peccata specie diversa, quia homicidium laedit iustitiam, fornicatio castitatem, sacrilegium religionem.

Odium proximi, detractio simplex (revelando crimen occultum), et calumnia. Primum charitatem; secunda iustitiam; tertia, praeter iustitiam, veracitatem etiam laedit.

Titius rem habet cum Bertha. En fornicatio laedens castitatem. Si Titius esset Sacerdos, superadderetur sacrilegium laedens religionem. Si Titius esset frater Berthae, interveniret etiam incestus laedens pietatem. Si Bertha esset coniugata, adesset quoque adulterium laedens iustitiam.

Caius furatur rem sacram: en furtum sacrilegum laedens iustitiam simul

et religionem. Caesar percutit fratrem suum clericum; en peccatum triplicis speciei laedens iustitiam simulque pietatem et religionem.

Livius blasphemat haereticaliter coram famulis et filiis: en peccatum quatuor specierum, laedens religionem, fidem, charitatem et pietatem.

B) *Exempla circa primam exceptionem, quae dicit quod laesiones implicitae quoad speciem non considerantur si adsint, bene vero considerantur si desint.*

In homicidio explicite laeditur iustitia; sed implicite laeditur etiam charitas proximi. Haec charitatis laesio implicita non consideratur, et proinde species peccati unica remanet. Adde quod in homicidio (sicut in quovis alio peccato) homo contra charitatem Dei, obedientiam, reverentiam, gratitudinem etc. erga Deum peccat. Sed, quamvis harum quoque virtutum laesiones interveniant, species peccati semper unica remanet; et proinde in confessione exprimere non oportet quod dictae virtutes implicite laesae fuerint etc.

In stupro castitas et iustitia explicite laeduntur. Subintelligi solet quod laedatur etiam charitas spiritualis. Haec laesio quoad speciem non consideratur si adsit, bene vero consideraretur si non adesset, si nempe foemina stuprata esset mentecapta; quo casu proinde differentia specifica interveniret. Hinc qui foeminam non consentientem violavit, in confessione exprimere quidem debebit fornicationem sine consensu mulieris accidisse; an vero scandalum mulieri ipsi dederit, de hoc tacere poterit (quum subintelligatur) si adfuerit; si vero defuisset, circumstantiam istam exprimere deberet; differentia enim specifica intervenit non solum quando circumstantia, quae adesse non solet, superaddatur; sed etiam quando circumstantia, quae adesse solet, deficiat.

C) *Exemplum secundae exceptionis, quae dicit quod laesiones virtutum, quae non ex se sed ex solo praecepto positivo obligent, pariter non considerantur; sed tunc sola inobedientia consideratur et accusari debet.* Ieiunium ex virtutibus temperantiae, poenitentiae, castitatis et religionis ab Ecclesia praecipitur. Nihilominus peccatum violantis ieiunium unius speciei esse consideratur; et poenitens non satisfaceret dicendo se violasse ieiunium ita ut peccaverit contra temperantiam, poenitentiam etc.; sed praecise se violasse ieiunium ecclesiasticum indicare debet.

2349. *Explica quomodo ex diverso modo laedendi eandem virtutem distinctio specifica oriri possit?* Eadem virtus laedi potest 1. Per excessum vel defectum (v. g. spes praesumptione et desperatione); 2. In diversis materiis (v. g. iustitia in bonis vitae, honoris, famae, bonorum fortunae, pudicitiae, coniugii etc.; unde homicidium, contumelia, detractio, furtum, stuprum, adulterium etc.); 3. Actione vel omissione, scilicet positive vel negative (v. g. negando fidem vel negligendo emittere actus fidei); 4. Diversis sensibus aut potentiis (v. g., delinquendo contra castitatem delectatione morosa, aut gaudio, aut desiderio, aut tactu, aut copula, aut verbo, aut auditu, aut visu, aut olfactu etc.); 5. Circa obiecta diversa; unde aliud est mollities, aliud fornicatio, aliud sodomia, aliud bestialitas. Item aliud est sacrilegium personale, aliud reale, et aliud locale. 6. Violando obligationem propriam, vel etiam efficiendo ut eadem violatio in alia persona accidat (v. g., coniugatus cum coniugata, aut

voto ligatus cum voto ligata rem habet). Utique hae omnes differentiae diversas deformitates morales et proinde species diversas constituunt.

2350. *Sufficitne quilibet diversus modus laedendi eandem virtutem ut distinctio specifica locum habeat?* Negative, sed notanda sunt sequentia:

I. Diversitates in genere moris accidentales nulliusque momenti speciem non variant.

Exempla. Furtum pecuniae a furto equi aut bovis specie non differt. — Quando in blasphemia declaratum fuit an simplex vel haereticalis extiterit, non oportet declarare expressiones, quibus blasphemans usus fuerit. Sic quando calumnia a simplici detractione distincta fuit, exprimere non oportet quibus in materiis (nisi forte exinde diversae virtutis offensio intervenisset) sermo versatus fuerit. Vide Gury (*Vol. 1. 449. not. a*). Idem dic de verbis contumeliosis.

II. Plus et minus non variat speciem.

Hinc furta decem scutatorum et mille scutatorum gravitate quidem sed non specie differunt. Uno verbo quantitas, intensitas, et duratio, efformare quidem possunt circumstantias aggravantes, sed non speciem mutantes.

III. Actus, qui praeparationis vel medii naturam habent, quid unum cum actu principali (si unione morali coniungantur) etiam quoad speciem constituunt, dummodo eiusdem generis (seu, uti aiunt, eiusdem speciei genericae) sint.

Titius, v. g., puellam turpiter concupiscit, statimque illam turpiter alloquitur, turpiter tangit, et cum ipsa copulam habet. Hic adsunt quidem desideria, sermones, et tactus, quae inter se specie (infima) differunt: sed in casu, quum sint praeparatoria relate ad copulam, propriam speciem amittunt, et absorptae, ab actu principali unicum cum ipso peccatum constituunt. Vide Lugo (*De Poen. XVI. 242*) et Diana (*I. 121-122*).

IV. Secus dicendum est quando in aliquo facto actio diversi generis intervenit; tunc enim in facto ipso peccatum diversae speciei immisceretur.

Casus accideret in eo qui, ut alicui pecuniam surriperet, illum occideret. Porro tunc homicidium est actio prorsus diversi generis, et sic propriam speciem amittere nequiret.

2351. *Explica quomodo etiam ex diversis praeceptis, quae laedantur, distinctio specifica oriri possit?*

Aliqui theologi dicunt solum, distinctionem specificam ex diversis virtutibus laesis et ex diverso modo laedendi eandem virtutem oriri; quasi diversa praecepta in distinctionem specificam nullatenus influere possent.

Alii dicunt, distinctionem specificam oriri quidem posse etiam ex diversis praeceptis, sed solum quando haec praecepta ex diverso motivo lata fuerint. Cf. Scavini (*I. 719*) et S. Lig. (*V. 33*).

Mea doctrina est sequens:

2352. I. Sola consideratio laesionis diversarum virtutum

naturalium aut diversi modi laedendi eandem virtutem naturaliter obligantem, non semper sufficit ut peccata et peccatorum species determinentur; saepe enim praecepta positiva praecipiunt ea quae virtutibus naturalibus minime praeciperentur; et sic multorum peccatorum species frustra quaererentur, nisi haec etiam praecepta positiva considerarentur. Undenam enim v. g., cognosci posset quod violatio ieiunii quadragesimalis specie differat a violatione abstinentiae a carnibus die veneris et sabbati, nisi haec praecepta ecclesiastica considerarentur? Cf. Lessius (*IV.* n. 4. 6).

2353. II. Distinctio specifica aderit certe quando diversa praecepta ex diversis motivis aliquid praecipiant.

Exempla. Titius die ieiunii quadragesimalis, ad quod tenetur, intemperanter coenat. Nonne committet peccatum duplicis speciei, peccando scilicet tum contra legem naturalem quae exigit temperantiam, tum contra legem ecclesiasticam, quae non solum propter temperantiam, sed etiam propter alias virtutes (ut supra innui n. 2318. C) ieiunium quadragesimale exigit? Idem dic si quis ieiunium, tum ex lege ecclesiastica tum ex poenitentia sacramentali servandum, omitteret.

2354. III. Si diversa praecepta ex eodem motivo lata fuissent, tunc (ut supra innui) teologi nullam distinctionem specificam intervenire posse uno ore dicunt.

Hoc verum est 1. Quando qui secundum praeceptum statuit nihil novi statuere intendit, ut puta, dum Ecclesia praecipit ut audiatur Missa die festo concurrente cum Dominica; 2. Quando non agatur de vero praecepto, sed de solo monito prioris praecepti iam existentis; ut puta, si pater filium blasphemantem corrigat; 3. Perinde erit ac si distinctio specifica non adsit quando iam per se pateat diversa praecepta violari; unde Sacerdos, qui sigillum violasset, non tenebitur explicare quod contra legem divinam et ecclesiasticam deliquerit, sed simpliciter dicere poterit: *sigillum violavi.*

2355. Si autem agatur de vero praecepto, quod si non exprimeretur non intelligeretur; tunc vera distinctio specifica in confessione indicanda (meo sensu) interveniret.

Exemplum. Titius frequentat malum socium, etsi pater vel superior huiusmodi conversationem ei districte prohibuerit, aut legit librum periculosum ab Ecclesia prohibitum. Nunquid sufficiet si in confessione dicat se frequentasse malum socium, vel legisse librum periculosum? Minime profecto; sed addere debebit contra obedientiam patris se graviter deliquisse, et legisse librum ab Ecclesia prohibitum; nec quidquam suffragabitur quod prohibitiones huiusmodi non alium qnam ipsum legis naturalis iam praeexistentis motivum haberent.

Regulae speciales quoad distinctionem numericam peccatorum.

Quando actus est unicus atque unicum obiectum habet (Titius, v. g., unico mentis actu foeminam concupiscit), tunc peccatum esse unicum, liquido patet. Sed ut plurimum actiones humanae, aut pluribus actibus constant, aut plura obiecta respiciunt (Sempronius, v. g, pluribus vicibus foeminam tentat et tandem fornicatiouem committit; et Caius unico actu pluribus scandalum infert). In his casibus error contingere potest, credendo unicum adesse peccatum, ubi revera sunt plura; et viceversa adesse peccata plura, ubi revera est unicum.

2356. Ad non errandum, regula generalis est sequens: *Si pluralitas omnino resultet, tunc erunt plura peccata; si e contra praedominet unitas, tunc erit peccatum unicum.*

Pluralitas resultare potest 1. propter nimiam distantiam actuum; 2. propter nimiam distinctionem actuum; 3. propter nimiam distinctionem obiectorum.

§ I.

Declaratur quomodo ex nimia distantia inter actum et actum pluralitas in peccatis exurgat.

2357. *Quomodo ex distantia inter actum et actum peccatorum pluralitas exurgit?* Decisio pendet a multis circumstantiis. Perseverantia in eodem fine, voluntatis intensitas, mixtio actuum externorum, maxime vero existentia actus principalis, eiusdemque proximitas atque praestantia; haec, quamvis ad peccatum unicum constituendum non semper sufficiant, tamen ad unitatem valde influunt; et tunc proinde ad minus maior distantia exigitur ut disiunctio et pluralitas effici possit. E contra si actus principalis non adsit, aut parum enitescat, aut longe distet, aut sine magna intensitate quaeratur; et speciatim si actus sint mere interni, maxime vero si voluntatis retractatio et accessio novi finis locum habeat; tunc minor distantia sufficit ut actus vere seiungantur, utque proinde peccata sint plura.

2358. *Potestne dari regula magis distincta pro praxi?* Pro praxi optima regula est sequens: *Si distinctae vices ita emicent, ut neque ab actione principali absorbeantur, neque ullo modo iuxta sensum communem rem moraliter unicam efforment, tunc peccata erunt semper plura; secus vero, si, quamvis ac-*

tus distincti et disiuncti intercesserint, tamen isti ad modum unius apprehendi soleant. Exempla, in quibus distinctae vices distincta peccata efformant, possunt esse sequentia.

Antonius pluribus vicibus inimicum ad necem inquirit; sed nunquam illum occidit.

Caius cogitat de re turpi. Postea ad alia se divertit, et iterum de eadem turpitudine cogitat.

Titius percutit Caium. Post unum vel alterum quadrantem, illum denuo percutit.

Moevius cum sociis de turpibus loquitur. Deinde sermonem ad alias res serias divertit; et postea loquitur iterum de turpibus.

Livius sine intentione fornicationis turpiter tangit Bertham. Postea coenat, et post coenam iterum Bertham tangit.

Sempronius agricola vult furari domino fundi valorem quindecim scutatorum; et proinde occasione messis pro decem scutatis, et occasione vindemiae pro reliquis quinque furatur.

Petrus hodie concipit voluntatem fornicandi cum Rosa illamque tentat, sed frustra. Intra se dicit: *alia vice ad aggressionem redibo.* De facto, sed solum post longum tempus (v. g., post annum), Rosam iterum aggreditur et copulam obtinet.

Lucius de fornicatione olim commissa gaudet, et post mensem de ea iterum recordatur iterumque gaudet.

Paullus de obligatione restitutionis, propter furtum olim commissum, recordatur; sed intra se dicit: *obligationi meae satisfacere nolo.* Post mensem iterum de sua obligatione recordatur, iterumque propositum non restituendi renovat.

In unoquoque ex his casibus plures distinctae vices nimis distinguuntur, et proinde plura peccata locum habent. Vide Lugo (*De Poen. 4. XVI. 551-567*).

2359. Ad declarandum autem quomodo actus distincti per modum unius apprehendantur et sic unicum peccatum efforment, valere possunt sequentes considerationes. Quid scilicet si Antonius ad homicidium patrandum prius apposuerit media, pluribus vicibus inimicum inquisiverit, et tandem illum occiderit? Quid si Caius in eodem impetu passionis centies cogitationem turpem in mente volutasset? Quid si Titius a percutiendo Caio destitisset intra se dicens: *iam satis est;* sed illico Caium ipsum arroganter se vertentem et minitantem iterum percussisset? Quid si Moevius in eodem sermone plurima turpia effutiverit, quamvis nonnulla levia minime turpia immiscuerit? Quid si Livius sine interruptione notabili aliquo tempore Bertham turpiter tangere perduraverit? Quid si Sempronius furatus esset domino fundi mensuram tritici, et illico aliam, et illico tertiam? Quid si Petrus hodie tentet Rosam, sed frustra; cras iterum eam tentet et cum ea copulam habeat? Quid si Lucius, fornicatione commissa, illico alias blanditias superaddat, et toto eo die de peccato suo gaudeat? Quid si Paullus, furto commisso, statim

de onere restitutionis reminiscatur, sed intra se dicat: *restituere nolo?* Quid si quis in eodem irae furore centies Deum blasphemet, aut innumeras sive imprecationes sive contumelias evomeat? Quid demum de auctore cuiuslibet operis, qui continuo studio opus suum componat, quamvis unum vel alterum annum insumat?

Resp. In his casibus peccatum esset semper unicum; praedominat enim unitas; et illae physicae pluralitates in sensu communi veluti evanescunt; et, quasi ad instar petrarum ex quibus fabricata fuit domus, non considerantur. Vide Lugo (*l. c. n.* 553).

2360. *Quomodo itaque Confessarius interrogare poterit poenitentem, ut cognoscat an ex actuum distantia plura numero peccata intervenerint?* Ex dictis deducitur, quod, ad dignoscendam unitatem aut pluralitatem peccatorum ex actuum unione aut distantia profluentem, in praxi fere semper sufficit observare an congrue possit habere locum illa simplicissima et communissima interrogatio: *Quot vicibus id fecisti?* Respondente autem poenitente, v. g., *Unica vice id feci;* ordinarie non erit cur ratione numeri aliae interrogationes superaddantur. Dicit, v. g., vir: *fornicatus sum unica vice.* Utique non oportet ut confessarius illum interroget an et quot vicibus de fornicatione illa prius cogitaverit; an foemina statim consenserit, an vero et quot vicibus prius eam tentaverit etc. Non nego tamen quod distantia interdum possit esse tanta, ut unio moralis amplius non adsit, et proinde poenitens turpem cogitationem aut conatum seorsim a copula (seu ab actu principali) confiteri teneatur.

§ II.

Declaratur quomodo ex nimia actuum distinctione pluralitas in peccatis exurgat.

2361. *Quamvis actus absque ulla interruptione locum habeant, possuntne interdum esse ita distincti, ut in unum coalescere nequeant?*

R. Affirmative; potest enim distinctio esse talis ac tanta, ut multo magis pluralitas quam unitas resultet; idque ex duabus causis contingere potest.

2362. *Quaenam sunt causae istae?* Prima est si actus sint nimis diversi et heterogenei. Exemplum habes in eo, qui, ut

induceret foeminam ad peccatum, mentiret, blasphemaret, haereses proferret, aliena ope uteretur etc. Sed diversitas numerica ex hoc capite proveniens cum distinctione specifica confunditur; de qua iam satis dictum est supra (*n.* 2350. IV).

Secunda causa est si actus sint nimis in se completi. Exempla. Titius una vice dormit cum Bertha, et praeter tactus assiduos bis copulam habet. Caius pariter continuis tactibus sollicitat Sempronium, et sic obtinet ut Sempronius bis cum ipso sodomitice coniungatur. Terentius in duabus vigiliis immediate successivis ieiunium omittit. Quamvis in singulis his casibus nulla interruptio moralis locum habeat; nihilominus duo peccata adsunt, quia duae copulae, duo congressus sodomitici, et duo ieiunia omissa sunt actus qui de propria natura habent complementum adeo resultans, ut in sensu communi pluralitas necessario percipiatur.

2363. Dantur tamen casus, in quibus actus suapte natura in se completi, si absque interruptione replicentur, tamquam peccatum unicum apprehendi solent. Exemplum habes in ministro sacramentorum qui (degens in mortali) baptismum, vel confirmationem, vel poenitentiam, maxime vero eucharistiam pluribus personis illico successive administret. Ratio est quia haec administratio ad modum unius ita apprehenditur, ut magis unitas actionis, quam actuum pluralitas consideretur. Vide Lugo (*l. c. n.* 558).

§ III.

Declaratur quomodo ex nimia obiectorum distinctione pluralitas in peccatis exurgat.

2364. *Quomodo actus potest esse unicus simulque obiecta possunt esse plura?* Actus sive physice sive moraliter unicus plura obiecta respicere potest. Titius, v, g., unico ictu plures occidit, vel unico sermone pluribus scandalum infert.

2365. *Pluralitas obiectorum efficitne semper ut peccata sint plura?* Negative; sed interdum peccata erunt plura, et interdum, non obstante pluralitate obiectorum, peccatum erit unicum. Ad hoc distinguendam, prae oculis haberi debet quod ad pluralitatem efficiendam deservit praecipue, si haec obiecta sint valde distincta. Si vero in confuso apprehendantur, tunc magis unitas seu totalitas actionis quam obiectorum pluralitas

resultare solet; unde actio ad modum unius ut plurimum peragitur. Do exempla.

Titius unico ictu occidit duos homines. En duo peccata. Titius familiam simul unitam enecat, vel facit stragem, aut bellum. En peccatum unicum; quod tamen, uti patet, pluribus aequivalet. Insuper in hoc et sequentibus casibus advertentia, maximi momenti quam n. sequenti exponam prae oculis haberi debet.

Moevius grassator surripit pecuniam viro, quem obviam habet; sed ecce venit obviam alius vir, cui pariter crumenam aufert. En duo peccata. Idem Moevius quamdam domum ingreditur et familiam expilat. En peccatum unicum.

Caius unico sermone duabus personis graviter detrahit. En duo peccata. Caius detrahit de familia, vel de coetu. En peccatum unicum.

Sempronius unico sermone duos pueros innocentes in malitiam coniicit. En duo peccata. Sempronius in conversatione cum turba sociorum de re turpi loquitur. En peccatum unicum. Ita etiam si quis impiam concionem faceret (quamvis magna multitudo praesens esset) peccatum unicum committeret.

Evaristus malum grave duabus personis imprecatur. En duo peccata. Evaristus idem malum familiae, communitati, coetui imprecatur. En peccatum unicum.

Lucius statuit in corde suo peccare bis cum foemina. En duo peccata. Evaristus statuit cum illa ipsa foemina vivere in concubinatu. En peccatum unicum.

2366. *Estne hoc in puncto aliquid advertendum?*

Advertentia, quae in istis aliisque similibus casibus praecipue haberi debet, est sequens. Quamvis numerus obiectorum non efficiat ut peccata sint plura toties quoties actio ad modum unius perpetretur, et iuxta sensum communem tamquam peccatum unicum apprehendatur; nihilominus facile oportet ut in confessionibus saltem implicite et in confuso haec obiectorum pluralitas indicetur; si nempe secus confessarius deceptus remaneret et quid pro quo intelligeret. Me explico. Titius, v. g., impiam concionem fecit, et in confessione dicit: *impie locutus sum.* Lucius statuit inire concubinatum, et confitetur dicens: *voluntatem concepi peccandi cum foemina.* Nunquid bene confiterentur? Minime. Ipsi enim non iam peccatum commissum sed aliud indicarent, ad instar illius qui, dum furatus est centum, diceret: *furatus sum viginti.* Idem dic de eo qui, postquam impium opus valde voluminosum sine interruptione composuerit aut legerit, diceret: *feci compositionem impiam*, aut *una vice lectioni impiae vacavi.* Idem dic a fortiori de eo qui, dum totam quadragesimam sine ieiunio transegit, diceret: *una vice ieiunium omisi.* E contra, si quis in peccato mortali multis christifidelibus eucharistiam semel administrasset, sufficienter se accusaret dicendo: *una vice eucharistiam administravi.* Hoc enim in casu confessarius deceptus non remaneret. Idem dic de similibus. Vide Lugo (*l. c. n.* 141).

2367. Notari potest etiam quod pluralitas obiectorum explicanda est dumtaxat quando id necessarium est, ut peccati numerus vel species explicetur. Secus si ad hoc nihil intersit. Hinc qui cum tribus meretricibus innuptis peccavit, confessioni suae satisfacit, si dicat: *fornicatus sum ter;* nec oportet ut dicat: *cum tribus.* Similiter qui tria furta commisit, regulariter non oportet ut explicet an haec contra eandem personam, an vero contra personas diversas perpetrata fuerint. Vide Lugo (*l. c. n.* 558).

ARTICULUS III.

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

2368. *Quid est peccatum mortale?* Peccatum mortale seu grave est inordinatio gravis. Dicitur mortale quia sub poena amittendi gratiam seu amicitiam Dei, et consequenter subeundi damnationem aeternam, interdicitur.

2369. *Quid est peccatum veniale?* Peccatum veniale seu leve est inordinatio levis. Dicitur veniale quia a Deo quodammodo ignoscitur, gratiam Dei imminuit quidem sed non tollit, et temporalem dumtaxat poenam meretur.

2370. *Gravitas vel levitas peccati quotupliciter considerari potest?* Dupliciter: 1° in se (scilicet in sua materia); 2° in agente (scilicet in malitia personae). Contingere autem potest quod peccatum grave in se sit leve in agente; et e converso quod sit leve in se et grave in agente.

2371. *Quid notandum circa gravitatem vel levitatem peccati in se?* Peccatum in se dicitur 1° *mortale ex toto genere suo*, quando semper interdicitur sub gravi, et materiae levitatem nunquam admittit. Exemplum habes in haeresi, odio Dei, blasphemia, homicidio, mollitie directe intenta etc. 2° Dicitur *mortale ex genere suo non toto*, quando interdicitur quidem sub gravi, sed dummodo materia sit gravis (ita scilicet ut materiae levitatem admittere possit). Exemplum habes in furto, operibus servilibus etc. 3° Dicitur *veniale ex genere suo*, quando ex materia propria, (nisi scilicet aliqua circumstantia diversae speciei superaddatur aut conscientia erronea interveniat) nunquam mortale evadere potest. Exemplum habes in mendacio (quod solam veracitatem laedat).

2372. *Loquendo de peccato in se, quomodo cognosci poterit an sit mortale vel veniale?* Prima regula sumitur a sensu com-

muni; unde de innumeris peccatis iam notissimum est quaenam sint mortalia et quaenam venialia. Secunda sumitur a communi sensu theologorum et virorum prudentum. Tertia sumitur considerando quanti momenti sit inordinatio de qua agitur; an scilicet omnibus perpensis necesse sit ut sub gravi, an vero sufficiat ut sub levi tantummodo prohibeatur. Dixi *omnibus perpensis;* ad rectum enim iudicium ferendum de gravitate vel levitate peccati in se, oportet considerare illud non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias, v. g., finis legis, personae, loci, temporis, consequentiarum etc. Sic, v. g., in Missa infusio nonnullarum guttarum aquae in calice, in se quid levissimum esset, sed ratione finis legis et significationis quid gravis momenti est. Item iniuria, quae in se esset levis, potest esse gravis vel gravissima, si contra patrem, matrem, superiorem, principem etc. dirigeretur.

2373. *Quid de illis peccatis, de quibus (omnibus perpensis) non est clarum an sint mortalia; eo quod rationes graves vel auctoritates magni momenti sint pro et contra?* Peccata huiusmodi non debent existimari mortalia; omnino enim aequum est, ut casus quibus poena aeterna affigitur clari et manifesti sint.

Ita docent Theologi plures cum Sanchez (*Dec. VI.* IV. *66*), Caietano, Roncaglia etc., quibus consentit S. Lig. (*De pecc. n. 52 et de Blasphemia in fin.*) inquiens: « Ad hoc ut affirmari possit culpa gravi actionem aliquam carere, sufficiens esse quod probabile sit non esse gravem ».

2374. *Quid exigitur ut peccatum sit mortale in agente?* Tria exiguntur; scilicet 1. materia gravis, 2. plena advertentia; 3. plenus consensus. Sed haec sunt explicanda.

A) *Materia gravis* hic intelligitur non quatenus oporteat ut sit gravis in se, sed quatenus debet esse gravis in mente agentis. Oportet itaque et sufficit ut agens sufficienter cognoscat aut credat quod de re gravi agatur. Hinc si quis ex conscientia erronea existimaret quod furtum unius oboli esset peccatum mortale, mortaliter peccaret.

B) *Plena advertentia* non eo sensu exigitur ut omnia sint clara; peccatum mortale enim intervenire potest 1. etsi homo sit in dubio, dummodo credat quod cum tali dubio agere grave malum sit; 2. etsi, dum agit, nihil aut fere nihil cognoscat, dummodo graviter reus fuerit in causa; 3. etsi de mali gravitate dictamen explicitum et clarum non habeat, dummodo ex magno conscientiae remorsu et tumultu sufficienter introvideat in confuso quod de malo gravi agitur (ut dixi supra *n.* 2227).

Item non exigitur ut longa consideratio interfuerit; unico enim momento peccatum mortale committi potest.

Plena advertentia itaque significat solum 1. quod homo debet advertere humano modo; non vero in statu semidormientis, vel semiebrii, vel semifatui versari; 2. quod non solum cognoscere debet id quod agit, sed etiam advertere actionem ipsam esse malam; 3. quod malitiae ipsius gravitatem sufficienter (etsi in confuso, ut dixi) introvidere debet; nec sufficit si gravitatis ipsius suspectum tantummodo vel dubium habuerit, sine consideratione quod cum tali dubio agere grave malum sit; prout speciatim in repentinis eventis, aut etiam occasione vehementissimae passionis (v. g., irae) subito accensae contingere potest; tunc enim facile vel actus tantummodo primo-primus aderit, vel sufficienti considerationi seu advertentiae ad malitiae gravitatem locus non erit.

C) *Plenus consensus* denique non iam in eo quod voluntas metui aut pressioni ulli subiecta non fuerit; sed in vera deliberatione, quae humano modo fiat, consistit. Hinc plenus consensus non aderit si fuerit inclinatio sensibilis dumtaxat, vel adhaesio mere instinctiva, vel lucta quaedam, vel si intervenerit resistentia aliqua etsi non satis energica, dummodo in titubantia vel debili resistentia grave malum animadversum non fuerit.

2375. *Quomodo peccatum mortale ex toto genere suo* (*v. g. fornicatio, eiusve desiderium*) *potest evadere veniale?* Ex duobus, nempe 1. ex conscientia erronea; 2. ex imperfectione actus, scilicet ex defectu plenae advertentiae aut pleni consensus.

2376. *Quomodo peccatum mortale ex genere suo non toto* (*v. g. furtum, percussio etc.*) *potest evadere veniale?* Ex tribus, nempe 1. Ex conscientia erronea; 2. ex imperfectione actus; 3. ex levitate materiae.

2377. *Quomodo peccatum veniale ex genere suo* (*v. g. mendacium*) *potest evadere mortale?* Ex duobus, nempe 1. ex conscientia erronea; 2. ex adiunctione circumstantiae speciem mutantis.

Exempla in quibus peccatum veniale ex genere suo, ex adiunctione circumstantiae speciem mutantis evadere posset mortale.

Mendacium, donec solam veracitatem laedendo in sua specie remaneret, nunquam mortale evaderet; bene vero mortale evadere posset si, charitatem quoque vel iustitiam laedendo, damnosum foret; vel si, castitatem laedendo, ex fine, v. g., extorquendi copulam carnalem diceretur. Porro tunc circumstantia speciem mutans interveniret.

Otium, donec contra solam operositatem esset, nunquam mortale foret; bene vero mortale evadere posset, v. g., si esset occasio proxima peccandi mortaliter; vel si quis amore otii intra se diceret se esse paratum quoque ad peccandum mortaliter, v. g. ad omittendam Missam.

Idem dic si ex peccato levi scandalum grave pusillorum subsecuturum foret.

Idem dic si praeceptum de re levi quis violaret ex contemptu auctoritatis, vel quia nollet recognoscere Superiorem illum (etsi legitimum) eique in nihilo obedire etc.

2378. Notandum tamen quod ex adiunctione circumstantiae speciem mutantis peccatum veniale non eo sensu redditur mortale, ut in confessione manifestari debeat; sed sufficit si, tacito peccato levi (v. g. mendacio), circumstantia illa gravis (v. g., damnum proximi vel tentatio ad copulam etc.) accusetur. Ita Busembaum apud Ballerini (*Op. th. Tr. IV.* 339 XLII). Ratio videtur esse quia substantia peccati tunc consistit potius in malitia illa mortali; illud autem peccatum veniale est circumstantia levis, quae non ita interest ut accusari debeat.

2379. *An peccata venialia ex multitudine et frequentia evadere possint mortalia?*

R. 1° Peccata quae non ex genere suo sed solum ex levitate materiae per accidens venialia sunt (ut furta levia, leves commestiones in die ieiunii, breves labores in die festo, leves omissiones in horis canonicis etc.) utique uniri, et sic, materiam gravem constituendo, mortale peccatum efformare possunt.

R. 2° Alia autem peccata venialia, non obstante eorum frequentia et multitudine, mortalia nunquam evadunt, ut ex sensu communi patet. Cf. Ballerini (*l. c.* 346. 347).

ARTICULUS IV.

DE PECCATIS INTERNIS.

2380. *Quaenam sunt peccata interna?* Praecipua sunt 1° amor (inordinatus); 2° odium; 3° invidia; 4° iudicia temeraria; 5° desideria mala; 6° proposita mala; 7° gaudium de malo; 8° delectatio morosa. Hic agitur solum de quatuor postremis; de primis aptius agendum erit infra propriis locis.

2381. *Explica quid sint desideria mala, proposita mala, gaudium de malo, et delectatio morosa?*

I. *Desiderium* respicit malum futurum incertum, quod sive in persona desiderante sive aliter accidere poterit.

II. *Propositum* respicit pariter malum futurum; sed ita ut persona proponens ad illud perpetrandum sit determinata.

Utrumque potest esse *absolutum* vel *conditionatum*. Propositum consideratur semper ut efficax; sed desiderium potest esse *efficax* vel *inefficax*, secundum quod persona desiderans ad media tentanda sit disposita vel non sit disposita. Si autem nihil tentare vellet quia de effectu desperaret, tunc desiderium potius *velleitas* diceretur. Propositum est solum de peccato a proponente committendo; desiderium autem ad malum quodcumque referri potest.

III. *Gaudium* respicit malum praeteritum; unde accipitur non iam pro actu quo quis gaudet dum peccat, bene vero pro delectatione quam quis habet de peccato a se commisso, dum scilicet quis, postquam peccaverit, non iam doleat prout deberet, sed gaudeat. Gaudium respicere potest etiam malum proximi. Gaudio autem *tristitia* de bono opponitur.

IV. *Delectatio morosa* respicit rem malam aut periculosam per imaginationem repraesentatam ut praesentem. Dicitur *morosa*, non iam quia mora temporis exigatur, ut illa locum habeat; sed solum ad indicandum non sufficere delectationem involuntariam, seu sensitivam et sponte sua naturaliter ortam; bene vero exigi ut homo, post advertentiam intellectivam, voluntarie se delectet (quod equidem unico momento perfici potest).

2382. Desideria et gaudia turpia, maxime vero delectationes morosae, motus carnales plus vel minus vehementes excitare solent; sed interdum etiam sine illis esse possunt.

2383. *Loquendo prius de desiderio, quaeritur an desiderium conditionatum possit remanere peccaminosum?*

Variis modis contingere potest quod, non obstante conditione, malitia adhuc remaneat.

2384. Primus est si res adhuc desideretur tamquam peccaminosa.

Exempla. Occiderem inimicum si haberem ensem. Furarer si occulte vel absque timore carceris id facere possem. Peccarem si non adesset infernus. Fornicarer, vindictam facerem etc., si essem saecularis.

2385. Secundus est si quis apponat conditionem *si liceret;* sed agatur de re ita mala, ut ipsa erga illam tendentia (quae utique in tali etiam desiderio remanet) sit necessario intrinsece mala, eo quod ne Deus quidem rem illam permittere possit.

Exempla. Si liceret et possibile esset, destruerem Deum. Si liceret, blasphemarem, sodomiam, bestialitatem, vagam venerem etc. exercerem etc. Cf. Lugo (*De Poenit. XVI. 390*).

2386. Tertius est, si, non obstante conditione *si liceret*, remaneat aliqua malitia extrinseca. v. g., ratione motuum carnalium, periculi etc.

Exemplum. Heu quam libenter copulam haberem cum Titia, si esset uxor mea. Desideria huiusmodi speciatim sponsis de futuro, et coniugatis, maxime vero Sacerdotibus, ad minus ratione periculi illicita esse, per se patet.

2387. Si autem conditionis appositio efficiat ut malitia quaevis tam intrinseca quam extrinseca desit, tunc tale desiderium licitum erit.

Exempla. Malefactorem occiderem, furem morte dignum suspenderem, si essem iudex. Titiam consanguineam in uxorem ducerem, si obtinerem dispensationem. Pecunia Caii uterer, si eiusdem dono mea evaderet. Antonius die veneris dicit: comederem carnes si hodie esset dies Iovis. Regularis dicit: eleemosynam facerem, si non essem regularis. Clericus dicit: in bello iusto (maxime contra inimicos Ecclesiae) heu quam libenter dimicarem, si non essem clericus etc.

2388. *An circumstantiae speciem mutantes, quae in opere malo adsint, in eiusdem quoque desiderio et gaudio adesse censeantur?* Affirmative; unde qui cum coniugata peccare desiderat, aut de peccato cum illa commisso gaudet, nedum contra castitatem sed etiam contra iustitiam in corde suo peccat. Excipe nisi desiderium ita conditionale fuisset, ut malitia specialis exclusa fuisset; ut puta, si quis dixisset: peccarem cum Titia, si coniugata, consanguinea, monialis etc. non esset. Idem dic si quis in gaudio exceptionem poneret, dicendo, v. g.: gauderem nisi coniugata etc. fuisset.

2389. *An liceat desiderare malum temporale proximi ob bonum finem?*

Salva charitate, dummodo scilicet rectus charitatis ordo salvus remaneat, affirmative. Ita Theologi communissime cum S. Lig. (*V.* 21).

Hinc liceret desiderare malum proximi (v. g. infirmitatem vel etiam mortem) si desideraretur non iam ad effundendam iram, sed sincere propter bonum praeponderans, quod esse posset spirituale aut temporale sive proximi ipsius sive alterius. Idque a fortiori liceret si, ut cessarent mala aut scandala publica, maxime in perniciem religionis, infortunium illud exoptaretur.

Hoc patet etiam ex D. Th., qui (*2. 2. q. 76. a. 1*) dixit quod licet optare malum alicui sub ratione boni praeponderantis « quia tunc principalis intentio « non fertur ad malum sed ad bonum, puta, cum aliquis optet aliquem pec- « catorem pati aliquam aegritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipse « melior efficiatur, vel ut saltem aliorum nocumentum cesset ». Et subdit: « Optare alicui malum sub ratione boni non contrariatur affectui, quo quis « simpliciter alicui optat bonum, sed magis habet conformitatem ad ipsum ».

Haec doctrina confirmatur etiam ex sacris litteris. Apostulus (*ad Gal. V.*) scripsit: « Utinam abscindantur qui vos conturbant ». Et Machab. (*I.* VII. *38*) legitur: « Fac (Domine) vindictam in homine isto et exercitu eius, et cadant « in gladio: memento blasphemias eorum, et ne dederis eis ut permaneant ».

Si autem charitatis ordo salvus non remaneret; utique tunc finis bonitas non sufficeret ut malum proximo desiderari posset.

Hinc damnata fuit (ab Inn. XI.) propositio (n. XIV) quae dicebat: « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non ut malum patris, sed « ut bonum cupientis; quia nimirum obventura est pinguis haereditas ».

2390. *An licere possit etiam desiderare aliquod peccatum (etiam formale) proximi, ut ex illo utilitas praeponderans sequatur?* Affirmat Lugo (*De Poenit. V.* III. 35) inquiens: « Possum ego licite desiderare amico, ut incidat in aliquod « peccatum, ad hoc ut caveat a multis aliis, quae postea com« mitteret, si nunc non caderet ». Porro rectus ordo dum exigit ut quaedam ob bonum finem fieri nequeant (iuxta adagium: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona*), nullum detrimentum patitur si aliquod peccatum ob bonum finem in quibusdam circumstantiis desideretur, ut minus malum. Hoc adeo verum est ut interdum occasio quoque peccato dari possit. Exemplum habes in hero, qui ad famulum de furto suspectum efficaciter corrigendum, arcam pecuniae apertam relinqueret. Patet etiam ex facto Iudith. (*IX. et X*).

2391. *An quis ob bonum finem possit desiderare malum etiam sibi ipsi?*

Loquendo de malis physicis, certum est illa posse desiderari propter utilitatem praeponderantem; secus enim peccassent Martyres qui martyrium desiderabant, et peccasset Apostolus quando dixit: « Quis me liberabit a corpore mortis huius..... « Cupio dissolvi et esse cum Christo ».

Aliud esset si quis ex ira mortem sibi exoptaret. Si vero quis maximis aerumnis confectus sine ira mortis desiderium conciperet, S. Lig. (*V.* 22) censet non improbabiliter licere, quia interdum melior est mors quam vita amara. Quaedam tamen levis impatientia et defectus resignationis tunc adesse videretur.

2392. *Quid de desiderante ut pollutio in somno absque culpa sibi accidat?* Desiderium istud peccaminosum esset si turpis delectatio desideraretur. Si vero exoneratio naturae solummodo, ad tentationem sedandam, desiderii obiectum esset, tunc desiderium ipsum (ageretur enim de desiderando minori malo materiali) licitum esse posset. Cf. Praxis (*Ed.* 2. *n*. 893. 894).

2393. *Quum de proposito nihil specialiter addere oporteat, dicendum est aliquid de gaudio. Quaeritur imprimis an liceat gaudere de peccato bona fide commisso, v. g., quod, ex oblivione vigiliae, carnes manducatae fuerint?* Negative; de re enim obiective mala gaudere non licet. Solum de circumstantia bonae fidei gaudere liceret. S. Lig. (*V.* 27).

2394. *An liceat gaudere de malo physico proximi ob bonum*

finem? Ob bonum praeponderans et salvo ordine charitatis, affirmative; secus, negative; ut iam supra dictum est de desiderio.

Hinc licebit quidem gaudere si magnus peccator infirmitate aliqua praeoccupatus aut in carcerem detrusus fuerit, sive ut ipse corrigatur, sive saltem ut ab aliorum nocumento cesset (ut ait S. Thomas *22. q. 76. a. 1*); non vero licebit gaudere de morte patris propter haereditatem.

2395. *An liceat gaudere de bono effectu, qui ex peccato de quo gaudere non liceat, secutus fuerit?*

Gaudere solum de bono effectu (si gaudium ab effectu ad causam non transeat, qua de re potest esse periculum) permittitur; tunc enim gaudii obiectum non malum sed bonum esset.

Exempla. Sicut licebat gaudere de cessatione malorum quae suicidium Neronis secuta fuit, et de gloria Martyrum quae ex crudelitate persecutorum profluit; et sicut licet gaudere de redemptione D. N. Iesu Christi quae ex eiusdem crucifixione secuta est; ita licet gaudere v. g. de resipiscentia adolescentis quae propter morbum ex vitiis contracto aut ex vulnere recepto prodierit. Item gaudere licebit de scandalo cessante ob necem (etsi iniustam) hominis qui verbo et opere magnam animabus ruinam inferebat. Licebit etiam gaudere de filio nato ex fornicatione etc. Dixi tamen gaudia huiusmodi esse posse periculosa; et exemplum habemus in matre Petri Lombardi, quae dicebat se non posse dolere de adulterio, a quo tam nobilis ingenii proles exorta sibi foret.

2396. *An possit esse licitum non solum de bono effectu, sed etiam de malo morali, ex quo effectus ipse profluit, hac de causa gaudere?*

I. Possumus gaudere de iusta permissione mali moralis, (quod scilicet hoc vel illud malum non impediatur) ob bonos effectus qui ex tali permissione derivent; quum enim eadem permissio sit bona, iam non de malo sed de bono gauderemus.

Hinc ubi publico bono expedit ut meretrices aut cultus falsi a Principe tolerentur, de tali tolerantia gaudere licebit.

II. Licet quoque gaudere de actione bona, quae per accidens ob aliquam circumstantiam mala fuerit; v. g., de eleemosyna, etsi quis ex vanagloria illam fecerit; non enim vanagloria sed eleemosyna probaretur.

III. Etsi autem ageretur de actione suapte natura mala, mihi certum videtur quod liceat gaudere de minori malo quod scilicet ex duobus malis, minus malum commissum fuerit. Etsi enim nemo possit committere aut propositum vel desiderium habere committendi malum quia est minus malum; tamen, sicut licet desiderare ut de duobus malis certo secuturis, ab alio minus committatur; ita, postquam commissum fuerit, de illo ut tali (non vero ut malo simpliciter) gaudere licebit.

De grassatore, v. g , furari vel occidere volenti, licite gaudebimus quod de solo furto contentus fuerit. Vide supra dicta de desiderio (*n.* *2390*). Sic licebit quoque gaudere de pollutione quae in somno acciderit propter exonerationem naturae et finem tentationis (non vero propter delectationem quae in pollutione ipsa adfuit). Nec obesset si non prorsus naturaliter accidisset sed tactibus a dormiente proeurata fuisset, ut contra alios bene observat cum Lugo Ballerini (*Op. th. Tr. IV. 123-126*).

IV. An autem in aliis casibus liceat gaudere de peccato propter bonum effectum, Lessius (*IV.* III. 104) dicit aliud esse gaudere quod peccatum commissum fuerit; aliud vero gaudere quod peccatum, posito quod iam commissum fuerit, sit causativum boni effectus; et concludit licitum esse gaudere in secundo sensu, non vero in primo Et haec esse videtur sententia communis (*Cf.* Ballerini *l. c.* 111). In confirmationem huius doctrinae adduci solet celebris Ecclesiae exclamatio : « O felix « culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem ». (Cf. Croix *V.* 91). Quidquid sit de hoc, certe videndum ne in tali gaudio charitas aut pietas laedatur; unde damnata fuit ab Innoc. XI. propositio quae dicebat : « Licitum est gaudere de « parricidio parentis in ebrietate perpetrato, propter ingentes « divitias inde ex haereditate consecutas ».

2397. *Loquendo de delectatione morosa, quaeritur quot ex capitibus delectatio morosa possit esse peccaminosa ?* 1° Ex obiecto; 2° ex periculo consensus; 3° propter motus carnales; 4° ex speciali conditione subiecti. Sed haec sunt explicanda.

2398. *Quomodo delectatio morosa erit peccaminosa ex obiecto?* Talis erit si quis imaginetur opus malum (v. g. stuprum, homicidium, furtum etc.) tamquam si ipse aut alius illud committeret, de eoque voluntarie delectetur quasi intra se diceret: non facio, sed mihi placet ut fiat. Utique delectatio huiusmodi inclinationem et affectum erga opus malum, eiusque complacentiam et approbationem implicat, et proinde peccaminosa necessario erit.

2399. *An circumstantiae speciem mutantes, quae sint in opere malo, in eiusdem quoque delectatione morosa inveniantur? An scilicet, v. g., qui delectatur de copula cum coniugata vel moniali, non solum contra castitatem, sed etiam contra iustitiam vel religionem peccet?*

Hoc in puncto duo sunt certa. 1° Malitia circumstantiae speciem mutantis contraheretur, si haec ipsa circumstantia esset obiectum directum delectationis, ut puta, si quis delectaretur de copula cum coniugata vel moniali praecise quia talis esset; 2° E contra non contraheretur si explicite exclu-

deretur, dicendo, v. g., delectarer de copula cum Titia, nisi coniugata vel monialis foret.

Si vero circumstantia animadverteretur quidem, sed neque intenderetur neque excluderetur, ut puta, si quis de copula cum Titia coniugata, non quia coniugata sed quia pulchra, delectaretur; tunc diversae sunt Theologorum sententiae. Vide Lugo (*De Poen. XVI. 362 et seqq.*), S. Lig. (*III. 475, et V. 15*) et Ballerini (*Op. th. IV. 158*).

Ratio opinandi quod malitia circumstantiae speciem mutantis non contrahatur, est quia circumstantia eadem tunc non intrat in delectationem atque illius obiectum minime est. Sed, si haec ratio valeret, tunc qui etiam de fornicatione, vel sodomia, vel bestialitate, vel concubitu daemoniaco etc., non iam propter haec obiecta diversa, sed solum propter effraenatam libidinis suae satisfactionem, delectaretur; solius mollitiei reatum contraheret; quod equidem absurdissimum esset. Sensus communis quoque abhorret ab admittendo quod amore perditus erga coniugatam, si forte de copula imaginata cum eadem delectetur, malitiam adulterii non contrahat, ea sola de causa quia neque propositum neque desiderium copulam reapse cum ipsa habendi concipiat; et de circumstantia illa quod sit matrimonio ligata non delectetur, imo forte talis circumstantia ei displiceat, dum idem accidere posset si copulam de facto cum illa haberet. Ratio autem est quia qui, non obstantibus circumstantiis forte malevisis, de delicto easdem continente delectatur quasi sicut illud committeret, iam in totum, et sic *implicite* etiam in circumstantias illas, consentit. Aliud esset si *ne implicite quidem* consensus interveniret. Casus esset si circumstantia imaginata nullam realem existentiam haberet, ut puta, si quis de copula non cum tali vel tali moniali, sed cum foemina sive in imagine, sive ope apparitionis diabolicae, sub forma monialis repraesentata, morose delectaretur, neque ad circumstantiam istam (quod scilicet repraesentetur ut monialis) ullum affectum haberet; tunc enim quoad circumstantiam illam neque explicite neque implicite consensus interveniret. Idem dic si quis ex concubitu alterius cum coniugata, occasionem sumeret concipiendi morosam delectationem de solo concubitu, non vero de concubitu cum coniugata. Sed circa rem istam, quae ad praxim parum deservit, amplius immorari non oportet.

2400. *An et quales dentur casus, in quibus delectatio morosa posset esse sine malitia ex obiecto?*

I. Si quis non de opere malo; sed solum de modo artificioso, ludicro, novo etc., quo imaginetur fuisse commissum (aut vere commissum fuerit), delectaretur.

II. Si quis non de opere malo, sed solum de eiusdem (vel cuiuslibet rei periculosae) cogitatione delectaretur. Obiectum delectationis tunc esset sola cogitatio, quae posset equidem grave peccatum esse, sed posset etiam nulla aut minore malitia infici. Tunc autem delectatio morosa potius simplici cogitationis nomine appellari solet.

Exempla. Cogitat quis de peccatis (aut de partibus turpibus corporis

humani) ratione studii. Imaginatur quis facinora, ut comaedias, tragedias vel poemata componat. Aliquando, dum culpa mortalis esset si quis de facinore delectaretur, culpa venialis esse posset, si quis absque gravi periculo de sola eiusdem imaginatione, v. g., in legendis libris romanticis, delectationem admitteret.

III. Si de re, quae, si hic et nunc fieret, peccaminosa esset, quis delectaretur, imaginando illam pro tempore quo licita foret. Exemplum habes in viduis qui de copula praeterita; et in sponsis vel iuvenibus qui de copula in matrimonio futura, delectantur. Idem dic de delectationibus admissis sub conditione quae malitiam obiectivam totaliter auferat, ut puta, si quis diceret: Delectarer de copula cum Titia, si uxor mea esset. Idem dic a fortiori si res de qua delectatio concipitur, ne quidem hic et nunc illicita esset, prout in coniugibus de copula se morose delectantibus contingere solet.

2401. *An quando in delectatione morosa malitia non subsistit ex obiecto, propter periculum peccaminosa evadere possit?* Affirmative; iure naturali enim a periculo cavendum est. Necessitas tamen (v. g. cogitandi de re periculosa causa studii) excusare posset.

2402. *An etiam ex motibus carnalibus delectatio morosa illicita evadere possit?* Affirmative: ii enim periculum constituere et adaugere solent. Secluso etiam periculo, ab amatoribus castitatis, nulla causa iisdem sine necessitate dari debet. Contingere potest etiam quod quis positive de illis complacentiam habeat, eosque quaerat; quo casu libido iam esset directe intenta, quae extra matrimonium a peccato mortali nunquam excusari posset.

2403. *Ex doctrinis hucusque expositis quid concludendum circa delectationes morosas coniugum, viduorum et sponsorum?*

I. Delectationes viduorum, et sponsorum (de copula habita vel habenda) propter motus carnales et periculum, practice graviter illicitae sunt. Attamen simplex delectatio mere intellectualis et fugax, ad modum simplicis approbationis, aut simplicis desiderii rei licitae, sine peccato esse posset. Vide Ballerini (*Op. th. n.* 135-150) et Lugo (*De Poenit. XVI.* 184).

II. Mitius loquendum est de coniugibus; quum enim eorum status expostulet, ut, seclusa pollutione, ea quae ad venerem pertinent minori rigore interdicantur, delectationes morosae (etsi commotiones venereae, et quidem voluntariae, subsistant) sub gravi prohibitae iisdem minime sunt. Cf. Praxis (*Ed. II. n.* 996).

2404. *Dictum est supra (n. 2400) quod delectatio interdum esse potest de solo modo artificioso, ludicro etc., vel de sola*

cogitatione; potius quam de obiecti malitia. Quaeritur an in materia lubrica, vel odii, illusiones hoc in puncto facile accidere possint; et quid exigatur ut quis suum agendi modum revera esse sincerum et innocentem existimare possit?

Quod illusiones circa intentionem facile intervenire valeant, et quod, supposita etiam intentione recta, defectus ex alio capite (et speciatim ex periculo) intervenire possit, admittendum est.

Imprimis enim contingere potest quod homo, dum sibi blanditur se delectari de solo modo artificioso etc. vel de sola cogitatione, eius intentio vera (etsi recondita) sit se delectandi sive de opere malo, sive de motibus carnalibus, pascuum quoddam in iisdem quaerendo. Ut autem distinguatur an quis finem sincerum habeat delectationem capiendi de solo modo, perpendi debet an circa durationem, vel considerationis acuitatem, aliquis excessus interveniat, dum citius desisteret vel minus consideraret, si de aliis rebus artificiosis quidem sed pascuum libidini non dantibus ageretur. Item ut distinguatur an quis ex fine recto amet cogitare de re aliqua periculosa, considerandum erit 1° an occasio bona et legitima (sive necessitatis sive utilitatis) se applicandi ad talem cogitationem reapse existat et primum impulsum dederit; 2° an eadem servetur moderatio, quae in aliis rebus aequalis necessitatis vel utilitatis servaretur. Caeterum sola propensio naturalis, quae in quibusdam rebus magis sentiri solet repugnante voluntate, certe non esset motivum iudicandi quod malus finis interveniret. Supposito autem fine recto et motivo bono, ordinarie quidem (cautelis adhibitis) nihil mali aderit; sed contingere posset etiam quod ratione periculi (speciatim si necessitate non cogente, de sola utilitate aliqua vel recreatione ageretur; maxime vero si finis esset curiositas) a rebus illis cogitandis (vel legendis etc.) supersedendum sit. Cf. Ballerini (*Op. th. IV.* 97-106).

2405. *Quomodo delectatio morosa potest evadere peccaminosa etiam ex speciali conditione subiecti?* Casus esset in personis sive castitatis voto detentis, sive coniugatis; quando enim in aliis contra solam castitatem, in ipsis contra religionem quoque, aut contra fidelitatem coniugi servandam, peccatum intervenire potest. Lugo (*De Poenit. XVI.* 384-386).

ARTICULUS V.

DE RADICIBUS ET FONTIBUS PECCATORUM.

Radices et fontes peccatorum sunt passiones inordinatae, et generatim inclinationes pravae, quarum principales (ut notissimum est) sunt superbia, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia et accedia. De singulis aliquid breviter.

2406. *Superbia.* Superbus sui ipsius (nempe suae scientiae, suae virtutis, et suae apud alios existimationis) nimium conceptum habet. Hinc erit imprudens. Praesumptuosus ultra vires opera et officia assumet. Temerarius sine studio, sine ponderatione procedet. Incautus periculis se exponet. De publicis censuris ne suspicabitur quidem. Errabit, et errores suos non cognoscet; male faciet, et bene facere existimabit. Alios autem contemnet, de iisque facile temere iudicabit.

Superbus quasi oleum in aqua, vult semper eminere; semper (inquam); et proinde ultra convenientiam, ultra meritum, et ultra gradum suum. Hinc ambitio: invidia: vanagloria: iactantia: singularitates: fastum. Hinc intolerantia cuiuslibet humiliationis; superbus enim correctiones non patitur; et, dato casu, Superioribus petulanter respondet, contra illos irreverentissimus est, et subinde peccata sua defendit, et praecise quia correctus ad peiora proruit. Vae autem si aliqua in re, et speciatim circa officium vel dignitatem aliquam, postpositus remaneat! Contradictionibus insuper non cedit, et cognitam quoque veritatem (ne errasse fateatur) obstinate impugnat. Adde studium incessans opprimendi alios; unde detractiones, censurae, derisiones, et uno verbo usus mediorum omnium ut alii depressi maneant. Ex his autem iurgia atque discordiae; et, si agatur de ecclesiasticis, scissura cleri et bellum clericale, quo nihil peius.

Superbia corrumpit opera bona. Nihil dico de hypocrisi, nihil dico de intentione qua eleemosynae largiuntur et opera zeli peraguntur; superbus enim non iam ex bono spiritu sed ex vanagloria omnia facit; nihil dico quod superbia humilitatem quoque inficere potest; sed noto potius quod superbia ipsius confessionis sacramentalis impedimentum et dirum toxicum esse solet. Quomodo enim superbus ad peccata sua, et speciatim turpia (quae in superbis abundare solent) sincere accusanda se inducere facile poterit? Ille itaque facile aut confessionem decli-

nabit, aut peccata reticebit; et sic heu quot confessiones, heu quot communiones, heu quot Missae sacrilegae!

Superbia denique efficit ut officia, non sine magno animarum detrimento, male aut pessime exerceantur. Fingamus Parochum superbum. Ille officia humiliora (v. g. catechizandi pueros, assistendi infirmis, audiendi confessiones etc.), in quibus vanagloria pascuum non habet, quantum potest declinabit, aut aegerrime, perfunctorie et negligentissime exercebit. Ille de solis divitibus curabit, et pauperes rudesque despiciet. Ille, sin minus cum abusu potestatis et procedendo ad apertas praepotentias, saltem arroganter se geret. Sic male procedet cum parochianis; cum Sacerdotibus autem (si qui sint in paroecia), aut cum parochis conterminis, peius adhuc. Vae si offensam aliquam recipiat! Vae si hos vel illos aliquid mali de se dixisse addiscat! Nimiam sui ipsius existimationem habens, nedum a petendo consilio abhorrebit, sed etiam praecipitanter se determinabit; et sic, modo iustitiam, modo gratitudinem, modo charitatem laedendo, et uno verbo errores sine fine committendo, personas offendet, existimationem amittet, brachia necessaria deperdet, malevolentiam generalem sibi procurabit, et scandala suscitabit. Nunquid sic bene officio suo satisfaciet? Praeterea, quaenam erunt eius conciones? Quam praeparationem adhibebit? Curabitne de substantia, an vero potius de doctrinis peregrinis, de vana eloquentiae ostentatione, de floribus et frondibus? Quaeretne Iesum Christum et salutem animarum, an vero potius se ipsum? Adde quod Parochus de gloria propria sollicitus facile in eam quoque tentationem incidit, ut a validis adiutoribus sibi adsiscendis abhorreat. Tamquam novus Saul, cui nimis ingrata erant verba illa: *Percussit Saul mille et David decem millia,* valentes concionatores, et zelantes confessarios, a sua ecclesia sedulo arcebit; imo forte eo usque procedet, ut ne bonum quidem capellanum, qui populo benevisus et carus esse possit, pati velit. Sic autem aut (immemor documenti quod unus vicem duorum difficile supplere potest, et oculus non est pes, nec pes est manus) omnia per se ipsum exequi volet; aut, si adiutores sibi adsciscat, ineptos adsciscet. Vae autem si aliqua bona opera a se non initiata in paroecia apparerent! Primus eorundem persecutor Parochus esset. Sed veniamus ad avaritiam.

2407. Avarus imprimis cor durum habet erga pauperes, atque ab eleemosynis iuxta Christi Domini praeceptum faciendis abhorret. Suae ipsius familiae necessitatibus non providet.

De rebus temporalibus solum cogitans, nedum quoad filios, sed etiam quoad seipsum, spiritualia prorsus negligit. Mirum, si diem festum observet: heu quam saepe enim amore pecuniae homines dies festos profanant, laborant et laborare faciunt!

Nec satis: multa peccata carnalia ex avaritia derivant. Ex illa enim onanismus coniugalis: ex illa coelibatus libertinus; et foeminae innumerae pecuniae amore allectae peccatis consentiunt, imo in concubinatu vel meretricio turpissimam vitam ducunt.

Quid dicam de iniustitiis? Usurae, fraudes, furta, praepotentiae, intrusiones, denegare vel minuere vel differre mercedem operariis et famulis, restitutiones vel debitorum solutiones inique omittere, capitali occulte servato bonis cedere etc. etc. nonne sunt iniustitiae magnae, quae ex avaritia prodeunt?

Quid dicam de iuramentis falsis et periuriis in contractibus? Quid de iracundia, imprecationibus, et blasphemiis, si forte avaro aliquid malevertat?

Avarus denique (si casus ita ferat) non dubitat esse ingratus, perfidus, proditor. Hinc, pecunia oblata, proditiones in iudicibus, proditiones in publicis officialibus, proditiones quoque contra amicos et benefactores. Solemne exemplum habemus in Iuda. Rectissime itaque exclamavit Poeta: « Quid non mortalia « pectora cogis, auri sacra fames »?

Sed quid de avaritia in Sacerdotibus? Inter monita Apostoli ad Timoteum (*I. Epist. VI.*) unum ex praecipuis fuit de evitanda avaritia. Scripsit enim: « Qui volunt divites fieri, incidunt « in tentationem et laqueum Diaboli, et desideria multa inu- « tilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et per- « ditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas....... « Tu autem, o homo Dei, haec fuge ». Equidem haec verba respiciunt speciatim Episcopos; sed Parochis etiam aliisque Sacerdotibus, qui praeclarum Episcoporum exemplum imitari debent, applicanda sunt.

Porro avaritia in Sacerdotibus pessimos effectus habere potest et non raro habet reapse. Ambiuntur beneficia, sed qua intentione? Nunquid amore officiorum spiritualium, an vero potius amore emolumentorum temporalium; et eo studiosius quo haec pinguiora? Acceptantur officia, sed quomodo adimplentur? Nonne saepe accidit quod, acceptato officio, alia munia lucrosa, eo neglecto, quaerantur; vel etiam alia officia, quibus impossibile erit ut satisfiat, acceptentur? Quid de Sacerdotibus, qui invitati pro Missa, dicunt: *Quantum mihi dabis?* Quid de Missis ob

solum stipendium celebratis, et forsan sacrilege? Quid de Missis acceptatis et non celebratis? Quid de simonia? Quid de sorditie in vestibus, et de extrema avaritia ostensa in omnibus? Quid de studio illo febrili multiplicandi (ex eleemosynis receptis ut plurimum a mulierculis pauperrimis) innumera festa, non equidem amore Sanctorum, sed amore pecuniae? Quid, uno verbo, de signis illis manifestissimis, quibus a non paucis palam fit quod totum sacerdotale ministerium accipitur pro arte quaerendi pecuniam, perinde ac esset de aliis artibus quibuslibet?

Loquendo autem speciatim de parochis, effectus evaritiae possunt esse speciatim sequentes:

I. Ecclesia male servata; sacra supellex sordida; fundi ecclesiae dissipati; capitalia in discrimine relicta; iura non defensa etc.

II. Nepotismus: magis scilicet nepotes quam decorem domus Dei, miserias pauperum, et salutem animarum, cordi habendo; et fructus beneficii aliter ac fieri deberet erogando.

III. Ad pias institutiones, quae forte in paroecia sint et solis oblationibus sustineantur, ne uno quidem centesimo concurrere; et forsan (prae rubore non concurrendi) eas persequi.

IV. Parasitatione (*con scrocconerie*) parochianis molestiam afferre; maxime vero, intuitu alicuius lucri sive directi sive indirecti, fiducias haereditarias (non sponte oblatas) sibi procurare.

V. Accumulandi capitalia studium ostendere, et speciatim emendo possessiones.

VI. In exigendis emolumentis pro funeribus iustos limites excedere; maxime vero etiam a pauperibus taxam exigere.

VII. Erga fundorum Ecclesiae colonos; vel alios operarios, vel aedituos etc. iniuste aut nimis stricte procedere; vel famulis, anno iam transacto, mercedis solutionem differre.

VIII. Sicut ex superbia (ut dixi supra), ita etiam ex avaritia contingere potest quod Parochus sine necessario servitio paroeciam relinquat. Paroecia, v. g., est vasta. Diebus festis plures Missae exiguntur; confessarii plures, et forte plures quoque capellani necessarii essent. Quid itaque si Parochus, praetextu quod Sacerdotes non inveniuntur, sed reapse quia nihil expendere vult, huiusmodi adiutores sibi non adsciscat? Quid si magnae inordinationes sacram Missionem reclament; sed Parochus ab illa advocanda abhorreat, et damnationem animarum pro nihilo habeat, dummodo crumenam salvet? Sed de avaritia iam satis.

2408. *Luxuria.* Ex luxuria (praeter amorem inordinatum erga aliquam personam, maxime diversi sexus) derivant imprimis peccata innumera, quae vel mere ad hanc speciem pertinent, vel circumstantiam speciem mutantem comitem habent; cuiusmodi sunt, v. g., mollities, fornicatio, sodomia, bestialitas, adulterium, stuprum, sacrilegium carnale, raptus, incestus, onanismus coniugalis, turpes sermones, turpes cogitationes, turpes tactus, turpes aspectus etc. etc. Adde concubinatum, adde meretricium, adde cynismum.

Alia quoque peccata prorsus diversae speciei ex luxuria non raro derivant. Huiusmodi sunt, v. g., non solum discordiae familiares, sevitiae, divortia, furta, calumniae, scandala etc.; sed etiam amissio fidei et alia delicta horribilissima, v. g., procurationes abortus, infanticidia, suicidia, homicidia (Exemplum habemus in Davide et Herode) etc. Fere semper autem coecitatem mentis, duritiem cordis, impoenitentiam finalem (quam damnatio aeterna consequitur) luxuria inducit.

Sed quid de luxuria in Sacerdotibus? Duo pessimi effectus in ipsis speciales sunt. Primus consistit in sacrilegiis. Votum solemne castitatis violant toties quoties, atque insuper, propter Sacramentorum administrationem et quotidianam Missae celebrationem, alia sacrilegia innumera committendi in continua occasione versantur. Secundus consistit in scandalo. Haec passio subinde adeo excoecat, ut miseri sacerdotes, nequidem attendentes ad effatum *si non caste saltem caute,* iam manifeste se prodant; ordinarie autem efficit ut, non obstante quavis cautela, ignis sui ignominiosi fumus appareat. Quantum autem huiusmodi scandalum sit perniciosum et nedum moribus sed etiam fidei (maxime his temporibus) detrimentum adducat, unusquisque videt.

Quid speciatim de Confessario, maxime vero de Parocho, hac pice infecto? Confessarius libidinosus a virorum confessionibus abhorret, et quoad eas omnes personas, in quibus audiendis libido pascuum aliquod non habet, perfunctorie et pessime se gerit. Immoratur libentissime cum solis mulieribus iuvenibus; sed qua edificatione, quo fructu? Conversationes geniales, dicteria, zelothypiae, scandalum publicum, peccata in ipso confessionali, sollicitationes: en edificatio: en fructus. Parochus autem libidinosus quomodo corrigere, quomodo praedicare poterit utiliter? Totum illius ministerium inutile reddetur. Imo eius scandalum parochianis positivum et magnum pec-

candi incentivum erit: dicent enim: Si sic facit Parochus, cur nos tantundem facere non poterimus?

2409. *Ira* specialissimo modo turbat usum rationis, atque efficit ut homo, quasi bestia (et quidem subinde ferox) se gerat. Iracundus ut plurimum contra proximum, saepe contra res insensatas vel contra semetipsum, et subinde contra Deum ipsum iram suam dirigit. Hinc passio ista effectus vere pessimos habet; non solum enim iurgia, contumelias, rixas, incommoda maxima in familiis, imprecationes, maledictiones, blasphemias, inimicitias. iudicia temeraria, detractiones, calumnias, modum agendi imprudentissimum erroresque innumeros, praepotentias, offensiones, damnificationes, turbationes et scandala producere solet; sed etiam interdum efficere potest ut homo ad delicta enormiora, v. g., vulnera, homicidia, suicidium, atque ad ipsum odium Dei, procedat.

Loquendo speciatim de Ecclesiasticis, Apostolus (*Epist. ad Titum I.* 7) postquam dixerit oportere Episcopum sine crimine esse, statim subiunxit: « Non iracundum... sed benignum ». Ira enim in Sacerdotibus quoque (nihil dico de Episcopis), et speciatim in Confessariis et Parochis, effectus valde malos habere potest.

Confessarius iracundus quomodo bene officium suum exercebit? Enimvero cum poenitentibus, et speciatim cum defectuosis, taediosis, scrupulosis, recidivis, aut conscientiam valde intricatam praeseferentibus, heu quanta patientia exigitur! Confessarius, qui miseros peccatores male tractet, eisque ex iracundia confessionalis ostiolum in faciem claudat, nonne in causa esse poterit, ut iidem nunquam in posterum ad confessionem accedant et misere damnentur? Nunquid conversio peccatorum et solus animarum est negotium, quod cum ira pertractari utiliter possit?

Quomodo bene officium suum exercebit Parochus iracundus, dum ad pueros instruendos, ad visitationes valde incommodas pro infirmis multiplicandas, ad offensas sustinendas etc. ei quoque tanta patientia necessaria est? Quemnam influxum habere poterit, si propter correctiones excessivas vel etiam omnino iniustas, propter contumelias et convicia, propter vindictas, propter rixas continuas etc., iam nedum existimationem amiserit; sed etiam odium omnium contra se concitaverit? Nonne eo usque res procedere possunt, ut parochus nedum tamquam inutilis, sed tamquam persona magis malefica magisque scandalosa, quae in paroecia sit, illamque totam pessundet, iam iuxta sacros canones amoveri debeat?

2410. *Gula.* Immediati gulae effectus sunt intemperantia et ebrietas. Gulae autem comes indivisibilis est luxuria. Bene scripsit S. Hieronym: « Nunquam ego ebrium castum reputabo », et exemplum habemus in filiabus Lot, quae ope vini modum invenerunt concipiendi foetum ex patre suo. Veniunt deinde ruina familiae (expendendo quotidie ultra vires), furta, vitium cauponae et ludi, saevitiae cum uxoribus aliaeque turbationes maximae in familiis. Adde scurrilitates turpesque sermones, rixas, blasphemias, societatem cum facinorosis, violationes ieiunii, comestionem carnium diebus veneris et sabbati. Nihil dico de ruina sanitatis, dicente proverbio: « Plures occidit gula quam gladius ». Nihil dico de scandalo. Nihil dico quod gula saepe est occasio ut foeminae peccent aut se prostituant.

Gula habetne malos effectus in clero? Recolendum est exemplum et scandalum filiorum Levi, qui manducabant quod Domino debebatur. Quid itaque si quae pro pauperibus aut pro cultu divino (sive ex beneficiis ecclesiasticis sive ex oblationibus fidelium) insumi deberentur, in lautis prandiis insumeremus? Quid si Parochus, gratiâ vini generosi vacillando, (mane sequenti Missam celebraturus) dormitum iret? Quid si Confessarius semiebrius et libidine aestuans foeminarum confessiones audiret? Pluries accusatus fuit de sollicitatione; sed quid mirum?

2411. *Invidia.* Ex invidia odium boni, detractiones, calumniae, persecutiones, et studium incessans deprimendi alios per fas et nefas furore incredibili. Invidia ad horribilissimos ducere potest excessus. Exempla habemus in Cain, in fratribus Ioseph, in Saul, et in Pharisaeis qui ex invidia D. N. Iesum Christum cruci addixerunt. Quod autem invidia Sanctuarium quoque invadat, saepe dictum bellum clericale accendat, et pessimum sit canchrum Cleri, satis superque manifestum est.

2412. *Accedia* seu *pigritia.* Ex accedia orationis et aliarum rerum spiritualium; ex pigritia autem laboris corporalis taedium inducitur; et sic spiritualium et corporalium malorum fons amplissima aperitur.

Piger, si forte de operibus suscipiendis aliquam voluntatem concipiat, statim cogitat de labore eoque terretur (« Iter pigrorum quasi iter spinarum ». *Prov. XV.* 19); et sic a volendo desistit (« Vult et non vult piger ». *Prov. XIII.* 4). Hinc miseria (« Qui sectatur otium, replebitur egestate ». *Prov. XXVIII.* 19). Haec, utpote volita, compassionem non meretur (« Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo in aestate,

et non dabitur illi » *Prov. XX.* 4). Pro compassione despectum omnium inveniet (« De stercore boum lapidatus est piger » *Eccl. XXII.* 2).

Piger deficit muneribus proprii status. Agitur de filiisfamilias? Erunt inobedientes. Agitur de discipulis? Erunt negligentes. Agitur de patribus vel matribus ? Negligent educationem filiorum et in miseriam coniicient familiam, segnitiemque suam filiis et filiabus communicabunt. Agitur de famulis, operariis, colonis etc.? De his scriptum est: « Sicut acetum (res acerba) dentibus, et fumus oculis, sic piger his qui miserunt illum » (*Prov. X.* 26). Nihil dico de medicis conductis aliisque publicis officialibus, qui ex pigritia saepe saepius, non sine gravissimis damnis, muneribus propriis gravissime deficiunt.

Insuper qui laborare non vult, nonne furtis et fraudibus expositus erit, nisi sit dives? Nonne foeminae etiam hac de causa continuis periculis et peccatis expositae erunt? Etsi autem ageretur de divitibus, nonne otium est pater omnium vitiorum? Hinc vitium ludi, vitium cauponae, vitium (ut vulgo dicitur) *del caffé*. Hinc desiderium continuum solatiorum. Hinc malae lectiones. Hinc malae conversationes. Hinc denique lapsus turpissimi; et exemplum habemus in Davide. Periculum autem peccandi, etiam ex neglectu orationis aliorumque subsidiorum spiritualium, nonne magis magisque adaugebitur?

Quid speciatim de accedia et pigritia in Sacerdotibus?

Efficit 1° ut orationi non dediti, otio torpescentes, dissipati, et fere solum de solatiis et vita commoda solliciti, perpetuum quo devinciuntur castitatis votum non servent, atque aliis peccatis habenas laxent.

Efficit 2° ut a studio abhorreant; et sic probrosissima laborent ignorantia.

Efficit 3° ut nedum ministeria onerosiora, sed quemlibet minimum laborem declinent. Eccur enim, v. g., occasione novendialium, Sacramentum retinetur in duobus altaribus (contra rubricas. *Decr.* 16 *mart.* 1861)? Eccur quidam Sacerdotes in Missa difficultatem habent distribuendi Eucharistiam, speciatim bis? Eccur multi genuflexiones non complent? Eccur plurimi non altare sed aerem osculantur etc. etc.? Incredibilia sunt ista, sed heu nimis verum est quod pigritia ad haec et plura alia similia inducit.

Efficit 4° ut Confessarii, neque interrogando neque admonendo, perfunctorie se gerant, et sic in malo statu poenitentes relinquant. Adde quod, speciatim quando maior est populi

necessitas magisque esset laborandum (v. g. in quindena paschali), operam suam praestare, quantum possunt declinant. Bonum autem summi momenti, scilicet frequentia Sacramentorum, impeditur. Christifideles enim, et speciatim viri, maxima ex parte solum summo mane ad confessionem accedere possunt; sed quomodo accedent, si tunc Confessarii dormiant? Quomodo accedent, si Confessarii non sint assidui, et modo adsint modo non adsint?

Efficit 5° ut Parochi catechismum puerorum, sermonem ad populum, assistentiam infirmorum etc. negligant, et sic male vel pessime munere suo fungantur, adeo ut res eo usque procedant ut subinde parochiani nedum sine commendatione animae sed etiam sine Sacramentis moriantur.

Nihil dico de Sacerdotibus iuvenibus, qui ab acceptandis capellaniis aut paroeciis paullo incommodioribus abhorrent, et patiuntur ut paroeciae ipsae, non sine maximo animarum detrimento, nullatenus aut pessime provideantur, dummodo ipsi propriis commodis prospiciant et laborem declinent.

Nihil dico de aliis Sacerdotibus innumeris, qui, satis instructi et sufficienti ingenio praediti, concionatoris et confessarii officia exercere atque in vinea Domini utiliter laborare possent ; et nihilominus in tanta populi christiani necessitate, otium labori praeferunt, atque inutiles se reddendo nihili faciunt illa Christi Domini verba : « Quid hic statis tota die « otiosi ?.... Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores ».

2413. Ex hucusque dictis manifestissime patet quod passiones vere sunt fontes et radices omnium peccatorum ; mentem insuper excoecant, et, nisi refraenentur, habitum peccandi horribilemque stabilitatem in vitiis usque ad mortem et damnationem aeternam, inducunt. Nec peccatis tantummodo, sed etiam innumeris aliis malis, atque cuiuslibet generis perturbationibus, familias, societatem, clerum, et uno verbo universum mundum, replent.

Maxima est ergo necessitas 1° ut omnes, et speciatim qui ex proprio statu aliis exemplo praefulgere debent, suas passiones in se ipsis cohibere studeant; 2° ut confessarii, concionatores, iuventutis institutores, genitores etc. in iis, quorum curam habere tenentur, passionum vim imminuere omni nisu procurent. Quid enim proderit recidere ramos, si radix intacta remaneat ?

2414. Sed *quomodo passionum vim in nobismetipsis atque in aliis imminuere poterimus ?*

Loquendo prius de nobismetipsis, contra nostras passiones media praecipua sunt sequentia:

I. Eas cognoscere. Quaedam passiones (speciatim superbia et avaritia) ordinarie efficiunt, ut, quamvis sint praedominantes et iam personae characterem notorie efforment, persona ipsa laxitate conscientiae falsisque dictaminibus se illudere, atque ab eo vitio se esse immunem sibi suadere conetur. Huic illusioni expositi sumus praecipue nos Sacerdotes, maxime vero si aliquam dignitatem habeamus. Quisnam enim personas gradu aliquo eminentes admonere audet? Quisnam erit ut Paulus qui in faciem restitit Petro quia reprehensibilis erat? (*Ad Gal. II.* 11). Quisnam erit ut Iethro qui Moysi rotunde dixit: « Stulto labore « consumeris... ultra vires tuas est negotium, solus illud non « poteris sustinere? » (*Exod. XVIII.* 18). Equidem multi obloquentur a longe; multi adulabuntur in faciem; sed (heu tristissima conditio huiusmodi personarum!) nemo corriget. Nemo profecto; nequidem confessarius. Attamen, his non obstantibus, conscientia non est tranquilla, conscientia remordet, conscientia clamat. Illusiones itaque sunt abiiciendae, et passiones nostrae praedominantes sunt recognoscendae (« Nosce te ipsum »).

Oportet II. Considerare necessitatem eas mortificandi. Cur? 1° Quia Deus sic exigit; 2° propter poenas; 3° propter praemium; (quibus motiva quoque temporalia addi possunt). Item (quatenus opus sit) consideranda venit huius mortificationis possibilitas, etsi forte vehementes essent et longo usu valde effraenatae evasissent. Contra difficultates autem necesse est energicam reddere voluntatem, non parcendo labori ob praedicta motiva.

Oportet III. destruere deceptiones a passionibus ipsis inductas. Monitum istud ab Auctoribus clare et explicite non indicatur, sed summi momenti est. Cur peccamus? Quia passiones repraesentant ut bonum quod est malum, atque ut malum quod est bonum. Aristoteles dicebat, *omnem peccantem esse quodammodo ignorantem*. Destruamus igitur illusiones istas; et, si perfecte id fecerimus, iam non peccabimus. Exemplum sit in ira. Irascimur inordinate contra res adversas, quia illas ut malum magnum accipimus. Sed reflectamus paullisper. Nunquid mala adeo transitoria huius mundi sunt revera mala magna? Nunquid merentur ut sic irascamur? Nonne sic essemus sicut pueruli qui de ioculo ablato vehementissime irascuntur, dum, si domum flammis destrui videant, indifferentes sunt? Insuper res adversae nonne sunt occasio pretiosissima merendi praemia aeterna? Nonne efficiunt ut poenas peccatis nostris debitas, in

hac vita solvere possimus? Nonne sic sunt bona maxima? Hoc modo ablata erit illusio. Quod malum et infortunium videbatur, iam bonum et fortuna apparebit, et sic ira cessabit. Quis enim contra bonum et fortunam irascitur? Aliud exemplum dari potest in foemina amore capta erga virum cum quo peccat. Cur illum amat? Quia tamquam bonum, beneficum et sibi convenientem illum considerat. Fac itaque ut reflectat illum esse scelestissimum, maleficentissimum, causam suae damnationis etc.; et, si funditus et vivide haec intelligat, iam bonitas, beneficentia et convenientia illa disparebit, et amor cessabit. Pulchritudo quoque solet esse causa amoris. Sed quid magis illusorium? Qui hodie tam pulcher tibi esse videtur, nonne cito senex deformis, nonne cito cadaver horribile, nonne cito massa putredinis erit?

Oportet IV. curare ut passiones ipsae non excitentur, cavendo ne habeant incentiva, cuiusmodi sunt praecipue occasiones, sensuum libertas, et cogitationes.

Oportet V. passionibus iam excitatis non satisfacere; praeterquamquod enim haec satisfactio ordinarie peccatum includeret, passio est ad instar lupae, quae (ut verbis Poetae utar) « *dopo il pasto ha più fame che pria* ». Hinc optimum factu erit ut passiones fraenentur etiam in licitis; secus enim (maxime in iuventute) futurum esset ut, septo saltato, a licitis ad illicita gressus fieret. Quaedam autem passiones sunt ita vehementes ut subinde oporteat efficere ut homo iam versetur in impossibilitate iisdem satisfaciendi. Peccant, v. g., adamantes etc.? Effice ut aliqua persona semper sit praesens. Fertur, v. g., quis vi quasi irresistibili ad cauponam, ludum etc.? Effice ut pecunia prorsus destituatur.

Oportet VI. ut homo gloriam Dei et salutem animae suae pro regula suarum actionum firmissime sumat.

Adsunt denique remedia particularia iuxta diversas passiones. Sic, v. g., in passione amoris, oportet ut aliud pascuum cordi detur; cor hominis enim indiget amare, et quaedam personae ut ament et redamentur praepotentissime indigent. Effice ergo ut loco creaturae, Deum adeo magis bonum, adeo magis pulchrum, adeo magis beneficum, adeo magis amantem etc. ament et toto corde diligant.

2415. Nunc dicendum est aliquid de procuranda mortificatione passionum in aliis. Hoc (ut supra innui) ad concionatores, confessarios et iuventutis institutores praecipue spectat.

Ut tamen bonus effectus obtineatur, non sufficit ut peccata corrigantur, et nequidem ut aliquando et obiter dicatur pas-

siones esse mortificandas; sed oportet imprimis ut modo qui magnam faciat impressionem, huius mortificationis necessitas ostendatur: unde unusquisque pro suo bono non coacte (et quasi ad modum disciplinae militaris) sed ex corde et libenter eidem mortificationi serio, efficaciter et constanter attendat. Ostensa autem necessitate ista, aliae quoque curae, speciatim in confessariis et educatoribus, necessariae erunt, ut illa prima impressio perduret et effectum intentum facilius producat.

2416. Sed haec omnia praestanturne reapse? Concionem ex professo de passionibus humanis ego nunquam audivi, neque didici unquam quod populo, aut clero, aut iuvenibus (quibus adeo necessaria esset) facta fuerit. Ipsae personae piae in propriis defectibus sine ulla emendatione adeo perseverant, ut palam fiat quod ut plurimum confessarii securim ad radicem minime iniiciunt. De locis autem educationis loquendo in genere, non vero quidquam dicere intendendo praecise de Dioecesi nostra, exeunt puellae a monasteriis in quibus educatae fuerunt; erunt instructae in litteris et operibus acus; habebunt etiam aliquam pietatem superficialem atque (ut ita dicam) materialem. Sed quid de virtutibus? Deberent esse humiles, patientes, obedientes, laboriosae, sincerae, plenae charitate erga proximum et speciatim erga pauperes etc. Sed nunquid tales sunt? Heu quam saepe domum redeunt superbae, iracundae, desidiosae, mendaces, inobedientes, arrogantes, maledicae, gulosae, de pomposis vestibus et solatiis (etiam periculosis), non vero de pauperibus sollicitae etc. etc.; ita scilicet ut de seria passionum mortificatione, et solidarum virtutum exercitio circa ipsas in monasterio nihil vel fere nihil actum fuerit, et forte meliores extitissent si a propria matre domi educatae fuissent.

2417. Quid de educatione clericorum? Haec eiusmodi esse deberet ut ad Presbyteratum provehendi valde mortificati iam nedum virtuosi sed senes in virtutibus essent. Sed ordinarie suntne tales? Responsio ex splendidis prandiis, quae (plurimum ultra vires expendendo) occasione primae Missae parari solent; responsio ex defectu devotionis in Missa et sacris functionibus; responsio ex neglectu studii et vita otiosa quae praesbyteratum ordinarie subsequitur; responsio ex dissipationibus et perpetua tendentia ad quaestus et solatia, sine ullo gloriae Dei et salutis animarum veri zeli indicio; responsio ex fuga laboris, ea semper officia declinando in quibus labores lucro aut alia humana satisfactione non compensantur; responsio ex malo exitu qui in iis, quibus officia tradita sunt, nimis frequenter lamentandus venit; re-

sponsio uno verbo ex vita valde defectuosa et parum exemplari quae in multis Sacerdotibus inspici solet, haberi poterit.

2418. Quid igitur concludendum?

Oportet 1. ut rem istam modo specialissimo prae oculis habeant concionatores, sive ad populum, sive ad Clerum, sive ad Moniales concionentur; maxime vero si ad iuvenes (speciatim clericos) sermones habere debeant.

Oportet 2. ut confessarii perpendant quaenam sint passiones ex quibus, tamquam ex radice, peccata poenitentium oriuntur; et sedulam sapientemque adhibeant curam ut passionum ipsarum vis imminuatur, et sic, obtruncatis pravis habitibus, virtutes energice et libenter exerceantur.

Oportet 3. ut ii omnes quibus iuventutis educatio commissa est, principalem sui officii partem esse censeant, omnem curam adhibere ut iuvenes ipsi assiduo exercitio passionibus non cedere; bene vero virtutes exercere (et quidem libenti animo) assueti evadant. Hoc autem obtinere poterunt superiores mediis multis sive generalibus, sive particularibus, sive directis, sive indirectis. Loquendo speciatim de Seminariis, media huiusmodi sunt praecipue sequentia:

2419. I. *Constitutio et observatio bonarum regularum;* inter quas adsit quoque illa ut alumni rebus necessariis contenti, a superfluis (etsi licitis) abstineant, et magnam modicitatem in omnibus servent. Vellent, v. g., absque necessitate assuesci fumo tabaci; aut facile desiderant quidquid prodit novi, vel obiecta magis ornata etc. In his et similibus eis satisfaciendum minime est.

II. *Idoneitas in Praefectis.* Quum hi quoque sint iuvenes atque inter alumnos ipsos seligi soleant, officium adeo momentosum bene exercere nequeunt, nisi prius a Rectore instruantur, et quidem saepius et quidem plenissime atque accuratissime.

III. *Publicae ad alumnos instructiones et exhortationes.* Hae debent esse efficaces; tales scilicet ut persuasionem inducant et magnam impressionem faciant; et nedum in monitis generalibus consistant, sed etiam ad particularia descendant; de diversis scilicet virtutibus Clero magis necessariis ex professo sermonem habendo.

IV. *Vigilantia.* Haec non solum ut regulae observentur, sed etiam ut inclinationes et mores uniuscuiusque cognoscantur, exigitur. Si autem alumni in vacationibus autumnalibus e Seminario dimittantur (quod, etsi magis damnum, tamen aliquid quoque lucri habet; tunc enim quales sint revera iuvenes, facilius

dignosci poterit); oportet rogare Parochos ut circa illos modo speciali vigilent, et quomodo se gesserint in fine sincere referant.

V. *Correctiones et punitiones*. Dicit Tridentinum: « Discolos « et incorrigibiles ac malorum morum seminatores acriter pu- « nient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo » (*Sess. XXIII* XVIII).

VI. *Bonum exemplum*. Quid enim si Praefecti, v. g., humilitatem, patientiam, temperantiam, liberalitatem etc. commendarent; et ipsi superbi, iracundi, gulosi, avari etc. essent? Nec sufficit ut in Praefectis, bene vero oportet ut in rebus omnibus, v. g., in orationibus, in cantu sacro, in sacris functionibus, maxime vero in modo tenendi Ecclesiam, alumni semper ante se optima exemplaria habeant. Nunquid enim sperari poterit ut, quando paroeciam obtinebunt, Ecclesiae et sacrae supellectilis munditiem et ornatum procuraturi sint, si in Seminario Ecclesiam deformem, apparatus laceros, lintea lurida, et uno verbo miseriam et sorditiem in omnibus videre fuerint assueti?

Si haec omnia serventur fieri non poterit quin Clerum exemplarem, operosum, zelantem et valde utilem habeamus; secus, Sacerdotes desides, passionibus suis obsequentes, quae sua sunt non quae Iesu Christi quaerentes, ad nihil valentes atque facile potius noxios quam utiles habebimus; ita scilicet ut, non obstante magno alumnorum numero, sit casus dicendi: « Messis « quidem multa; operarii autem pauci.... Multiplicasti gentem; « non magnificasti laetitiam ».

Ut autem hic malus exitus deplorari non debeat, et recte omnia procedant, maxime observanda erit lex Concilii Tridentini (*l. c.*) dicentis: « Quae omnia, atque alia ad hanc rem « opportuna et necessaria, Episcopi singuli cum consilio duo- « rum Canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elege- « rint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent; eaque « ut semper observentur, saepius visitando, operam dabunt ».

NOTA.

Sic praemissis principiis generalibus de legibus, de actibus humanis, de conscientia et de peccatis, atque adeo expleta prima parte theologiae quae dicitur *fundamentalis*; nunc veniendum est ad secundam, quae ad particularia descendit, et Theologia *specialis* nuncupatur.

Pro ista mihi placet servare ordinem cl. Matharan, atque adeo dividere theologiam specialem in duas partes. In prima de Christifidelium *officiis*: in secunda de *subsidiis* agam.

Officia, alia omnibus, et alia aliquibus iniunguntur. *Omnibus* iniunguntur officia *a Deo* qui exercitium virtutum Theologarum et observantiam praece-

ptorum Decalogi exigit. Item omnibus iniunguntur officia *ab Ecclesia*, quae pariter exigit ut sua praecepta observentur. *Aliquibus* autem specialia praecepta iniunguntur, quatenus status particulares obligationibus particularibus aditum praebent.

Subsidia, alia sunt *adiuvantia*, ut Sacramenta et indulgentiae; alia vero *coercitiva*, ut censurae et irregularitates.

Agam itaque de virtutibus theologicis, de decalogo, de praeceptis Ecclesiae, de Statibus particularibus, de Sacramentis, de Indulgentiis, de Censuris, et de Irregularitatibus.

Agam (inquam) de his omnibus, sed solum per summa capita et maxima brevitate; scholarum enim cursus nimis brevis est. Effatum: *brevis esse laboro, obscurus fio* vix ac ne vix quidem declinare potero. Quod mihi possibile erit faciam.

CAPUT IV.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

ARTICULUS I.

DE FIDE

PUNCTUM I.

De fidei essentia.

2420. *Quid est fides?* Virtus qua, auxilio gratiae Dei, ab eo (teste Ecclesia) revelata, vera esse firmiter credimus propter auctoritatem ipsius Dei revelantis.

Explicatio. 1. Agitur de fide *actuali;* fides enim habitualis quae infunditur in baptismo est dispositio ad habendam suo tempore fidem actualem. 2. Agitur de fide *catholica*, qua creduntur ea omnia quae sive solemni definitione, sive consensu universali ab Ecclesia credenda proponuntur (*Praxis 78*); non vero de fide simpliciter divina, qua quis de aliqua revelatione divina aliter certus esse posset; et multo minus de persuasione naturali et philosophica. (*l. c. 85*). 3. Credendi autem quod Deus haec vel illa vere revelaverit, et quod Ecclesia divinae revelationis testis verax sit, maximum quidem habemus fundamentum in motivis credibilitatis, et Ecclesiae ipsius notis, quae omne dubium prudens prorsus excludunt (*l. c. 81*); sed haec motiva nec sunt unicuique necessaria, nec dubiis imprudentibus aditum necessario praecludunt (et ex hoc meritum fidei), nec (uno verbo) ex se solis causa fidei sunt. Gratia Dei et lumen fidei exigitur et sufficit. (*l. c. 82-84*).

2421. *Quo sensu oportet ut fides in auctoritate Dei revelantis fundetur?* Non est necessarium ut Christifidelis de motivo isto clare et explicite cogitet, sed sufficit si dogmata fidei ab

aliis doctrinis naturalibus et mere humano magisterio traditis et prophanis distinguat, in iisque quid supra humanum introspiciat, eaque firmiter credat (*l. c.* 86).

PUNCTUM II.

De fidei necessitate, et de articulis quorum cognitionem explicitam habere oportet.

2422. *Quomodo ostenditur fidei necessitas?* 1° Ex obligatione praestandi Deo debitum cultum per veram Religionem. 2° Ex praecepto divino positivo (*Io. I.* III. 23): « Hoc est mandatum « eius; ut credamus in nomine Filii eius Iesu Christi ». 3° Quia secus nec iustificatio, nec salus aeterna haberi posset; naturalia enim ad supernaturalia non habent proportionem; 4° Quia scriptum est (*Hebr. XI.* 6): « Sine fide impossibile est placere Deo »; et (*Marc. ult.*): « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; « qui vero non crediderit, condemnabitur ». 5° Quia denique Concil. Vaticanum dicit (*C. III.*): « Nemini unquam sine illa « (fide) contingit iustificatio; nec ullus, nisi in ea perseve- « raverit usque in finem, vitam aeternam assequitur ».

2423. *Dogmata fidei suntne credenda omnia et singula?*

Implicite credenda sunt omnia; ita scilicet ut unusquisque debeat esse dispositus ad credendum quidquid a Deo revelatum fuerit statim ac revelatio ei sufficienter proponatur.

Non vero est necesse ut omnia credantur *explicite.* Sic autem explicite plura credenda sunt *necessitate praecepti*, et horum aliqua etiam *necessitate medii.*

2424. *Quaenam credenda sunt explicite de necessitate praecepti?* 1° Symbolum Apostolorum quoad omnes et singulos eius articulos. 2° Sacramenta Baptismi, Poenitentiae et Eucharistiae quoad praesentiam realem et Sacrificium Missae. Alia autem Sacramenta quando recipienda sunt. 3° Decalogum. 4° Necessitas orandi.

Explicatio. 1. Non sufficit scire formulas sed oportet intelligere sensum; 2. Hoc praeceptum est divinum et obligat sub gravi; ita tamen ut quaedam leviora obligent solum sub levi (v. g. quod Christus descenderit ad limbum). 3. Sufficit si praedicta sciantur modo proportionato et convenienti personis: unde minor intelligentia sufficit pro pueris et rudibus, et quaedam (v. g. circa sensum sexti praecepti et virginitatis Deiparae) licite a quibusdam ignorari possunt.

2425. *Quid significant verba de necessitate medii?* Significant aliqua esse medium necessarium ad salutem: sed distin-

guendum est inter *primam salutem* quae in iustificationis, et *ultimam salutem* quae in vitae aeternae assecutione consistit.

2426. *Quaenam itaque credi debent explicite de necessitate medii?* 1° Existentia Dei; 2° Praemium bonorum in Paradiso et poena malorum in inferno.

Patet 1. ex Apostolo (*Hebr. XI. 6*) dicente: « Sine fide impossibile est « placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inqui- « rentibus se remunerator est ». 2. Ex prop. damn. quae dicebat: « Nonnisi « fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii; non autem explicita « Remuneratoris ». Sub nomine autem Dei *remuneratoris* intelligitur etiam *Deus vindex*, ut passim Theologi notant. 3. Ex ratione; quomodo enim homo post peccatum posset primam et secundam salutem assequi, scilicet ad Deum converti et attritionis vel contritionis sensus concipere, tentationibus resistere et in bono perseverare, si praedicta nesciret? Dixi *post peccatum*. Donec enim puer, baptismo recepto, gratiam Dei non amiserit; etsi inculpatim eadem ignorasset, non damnaretur si in tali statu moreretur. (*Prax, 100-101*).

2427. *An praeter Dei atque Paradisi et Inferni existentiam, alia credenda sint explicite de necessitate medii?* Quaestionem faciunt Theologi circa mysteria SS.mae Trinitatis et Incarnationis (scilicet Redemptionis). Sed practice standum est a parte tuta; et certe ad secundam saltem salutem necessaria sunt; quibus adde cognitionem Sacramenti poenitentiae, necessitatis orationis etc. (*Prax.* 102. 103).

Quod mysterium Redemptionis D. N. I. C. omnino credendum sit explicite de necessitate medii, maxime insinuatur sacris litteris. Sic, v. g., Act. IV. legitur: « Neque enim est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos « salvos fieri ». Mysterium autem Incarnationis ita coniungitur cum mysterio Sanctissimae Trinitatis, ut illud sine isto probe intelligi nequeat. Sanchez (*Dec. II. n. 6*).

PUNCTUM III

De negatione fidei.

2428. *Negatio fidei quotuplex esse potest?* 1° *Totalis*, excludendo prorsus revelationem; et haec est duplex, scilicet infidelitas et apostasia. 2° *Partialis,* negando solum aliquos fidei articulos, et dicitur haeresis. 3° *Interna;* et haec etiam est duplex, scilicet absoluta et sub dubio. 4° *Externa.* 5° *Formalis* (scilicet mala fide). 6° *Materialis* (scilicet bona fide). *Praxis* (104-106).

§ I.

De fidei negatione interna.

2429. *Peccatum internae negationis fidei in quo consistit formaliter?*

Quoad Catholicos (saltem si fuerint sufficienter instructi) consistit in veritatis cognitae negatione, quae utique perniciosissima et Deo revelanti iniuriosissima est. Potest quippe homo, etiam post cognitam veritatem imprudentibus sophismatibus aditum relinquentem, sive ex passionibus sive ex incautela, intellectum suum voluntarie ita obnubilare, ut contra eandem veritatem dubia concipiat, vel etiam falsa iudicia efformet. (*l. c.* 112. *et* 121. 2).

Quoad infideles et haereticos ex secta, peccatum formale interveniret non curando de Religione Catholica 1. cognitâ eiusdem veritate; 2. suborto dubio simulque contra conscientiam sive negligendo inquirere, sive praeferendo propriam religionem Religioni Catholicae cognitae ut tutiori (*l. c. 115. 116*).

2430. *An quodlibet dubium fidem destruat?* Si dubium sit voluntarium, affirmative, unde effatum: *Dubius in fide infidelis est;* si vero sit involuntarium, (quod scilicet voluntas aegre ferat atque Religionis amore quantum potest reiiciat), negative. (*l. c.* 124 - 127).

2431. *An examen circa religionis veritatem Catholicis liceat?* Si sit dubitativum (ita ut scilicet dubium voluntarium includat) negative; si vero sit confirmativum dumtaxat et cautum, affirmative (*l. c.* 121. 122).

2432. *An in personis circa Religionis veritatem, et fidei firmissimae necessitatem atque obligationem, parum vel nihil instructis, contingere possint dubia contra fidem, quibus ex ignorantia non resistant?* Affirmative (*l, c.* 130).

2433. *An dubium inculpabile contra fidem, fidem ipsam destruat?* Fidem habitualem, negative; dona enim Dei sunt sine poenitentia et Deus non deserit nisi deseratur (*l. c.* 126). Quoad fidem actualem, subdistinguo. Dubium inculpabile vel respicit solum aliquos articulos, vel respicit ipsam revelationem. In primo casu fides remanet, et, salvis articulis necessariis necessitate medii, homo salvari potest. In secundo autem fides actualis cessat. Remanere tamen potest aliquod veluti initium et crepusculum fidei, de quo vide dicta (*l. c.* 119. 136. 138).

§ II.

De fide actibus internis exercenda.

2434. *Quot modis urget obligatio exercendi fidem actibus internis?* Aliquando *per se,* scilicet ratione fidei ipsius et ex ipso praecepto fidei: aliquando *per accidens,* scilicet aliis rationibus aliisve praeceptis.

2435. *Quandonam urget per se?*

Per se urget 1° statim ac accipitur notitia rivelationis et cognoscitur obligatio credendi. 2° Dum quis novae definitionis vel articuli prius ignorati notitiam acquirit. 3° Saepius in vita; Deus enim non est magister cuius doctrina possit oblivioni tradi. Determinare autem frequentiam difficile est. Multi censent quod saltem singulis annis aliquis actus fidei elici debeat sub gravi. 4° Insurgente contra fidem tentatione, nisi forte contemptu vel distractione melius vinci possit. 5° Si quis in haeresim vel apostasiam iam lapsus fuerit. 6. Communius dicunt actum fidei cadere sub obligatione etiam instante morte; sed aliqui (v. g. Sanchez, D'Annibale etc.) censent de hoc non constare. (*Praxis* 139 - 141).

2436. *Quandonam urget per accidens?* Urget 1° quando adsit necessitas vivificandi fidem ad vincendas tentationes contra alia praecepta; 2° quando satisfaciendum sit praeceptis v. g. audiendi Missam, recipiendi sacramenta, orandi, sperandi, Deum amandi etc., quae sine fide actuali adimpleri nequeunt. Idem dic si ex devotione aliquid huiusmodi fieri velit. (*l. c.* 142. 143).

2437. *Qui omittit actum fidei, quando ad fidem excitandam tenetur per accidens, (v. g. ad vincendam tentationem fornicationis), peccatne contra fidem?* Negative; sed solum contra illam virtutem, cuius offendendae periculo exponitur. (*l. c.* 144)

2438. *An praecepto exercendi fidem satisfiat etiam illam exercendo per accidens, et quin ad id reflexio fiat?* Affirmative, et proinde circa obligationem specialem exercendi fidem, bonis fidelibus scrupuli non sunt iniiciendi. (*l. c.* 144-147).

§ III.

De fide exterius ostendenda.

2439. *Fidei ostensio externa caditne sub praecepto?* Affirmative: Enimvero 1° Apostolus (*Rom. X.*) « Corde creditur ad « iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem ». 2° Christus

voluit Ecclesiam suam esse visibilem. 3° Exercitium externum deservit ad internum atque ad bonum exemplum. 4° Si occultatio fidei fieret ex erubescentia, Christus dixit: « Qui me « erubuerit coram hominibus, erubescam et ego eum coram « Patre meo ».

2440. *Quot modis urget obligatio huius externi exercitii fidei?* Aliquando per se, et aliquando per accidens.

2441. *Quandonam urget per se?* 1° Identidem in vita. 2° Si quis in gravi versaretur periculo deficiendi in fide (v. g., transeundi ad haereticos), nisi adaucter hic et nunc catholicum se ostenderet. 3° Si fidei occultatio scandalum contra fidem ipsam in aliis produceret. Scandalum istud potest esse tale ac tantum, ut etiam cum sacrificio vitae fides aperte profitenda sit. Casum habes tempore persecutionis, si quis a tyranno in tribunali de sua fide interrogaretur; tunc enim neque dissimulare, neque verbis ambiguis uti liceret, quod patet etiam ex propositione damnata, quae dicebat: « Si a potestate publica « quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei « gloriosum consulo: tacere autem ut peccaminosum per se « non damno ». (*l. c.* 150).

2442. *Quandonam urget per accidens?* 1° Ex lege positiva (v. g., occasione canonicae institutionis pro beneficio). 2° Quando quis teneatur docere alios, ut in parochis, genitoribus etc. 3° Occasione satisfaciendi actibus externis cultus catholici, v. g., audiendo Missa, adorando Eucharistiam etc. (*l. c.* 151).

2443. *An liceat aliquando occultare fidem?* Affirmative, dummodo id fiat non ex inani respectu humano, sed iustis de causis, cuiusmodi sunt 1° Si haec occultatio ad maiorem animarum et religionis ipsius utilitatem deserviret. 2° Si ex manifestatione nulla utilitas proximo obveniret. 3° Si incommodum proportionatum externum fidei exercitium impediret, nec rationes praeponderantes illud exigerent. Casus esse posset si catholicus degeret inter infideles tempore persecutionis. (*l. c.* 152).

§ IV.

De fidei negatione externa.

2444. *Quid exigitur ut fidei denegatio externa locum habeat?* Exigitur aliquid quod communi sensu pro aperta fidei denegatione habeatur.

2445. *Quot modis fides externe negari potest?*

I. Verbis aut factis. *Verbis;* dum scilicet quis aut viva voce aut scriptis fidei veritates negat vel in dubium revocat, aut declarat se non esse catholicum, vel se esse protestantem, liberum cogitatorem etc. *Factis;* dum scilicet quis vel 1° ponit actus qui suapte natura apostasiam aut cultus falsi exercitium iam aperte et communi sensu significant (v. g., thus idolis adolere, coerimonias haereticorum aut infidelium proprias adhibere etc.); vel 2° adhibet vestes aut signa, vexilla etc., quae non iam nationis, sed religionis falsae significativa sint.

II. Negatio fidei contingere potest cum errore interno, et sine errore interno; quod ultimum contingeret si quis non ex animo Religioni adverso, sed solum ex verecundia, vel fine lucri, vel timore poenarum ad praedicta procederet.

2446. *Qui fidem externe denegat quantum peccat?* Per se loquendo, gravissime. Ratio autem huius gravitatis ab iniuria erga Deum, a scandalo, et a damno Religionis oritur. Gradus tamen diversissimi contingere possunt; aliud enim est si a Sacerdote et aliud si a laico; aliud si ubi populus in fide integer est, et aliud ubi multi vel omnes sunt increduli; aliud si publice et aliud si privatim fides denegetur. Aliud quoque est si quis ex animo religioni contrario vel ex respectu humano etc. fidem deneget; et aliud si quis sola causa petendi consilium se esse haereticum manifestet, vel si quis de sua religione (quam publice iam profitetur) simpliciter interrogatus veritatem respondeat dicendo se esse Ebraeum, Protestantem etc. Imo in his postremis casibus iam nulla culpa adesset (*Praxis* 157).

2447. *Quid si quis non iam fidem aperte denegaret, sed dictis vel factis se de haeresi suspectum redderet?* Per se loquendo tunc quoque peccatum interveniret. Dixi *per se loquendo;* si enim quis ex bona intentione et cum causa proportionata ita se gereret, minime peccaret. Casus esset si quis inter infideles carnes diebus vetitis comederet, ne tamquam catholicus haberetur et persecutionibus exponeretur; dummodo tamen in signum fidei denegandae vel in contemptum religionis talis comestio ab eo non peteretur (*l. c.* 183).

2448. *Quid si quis non dogma fidei praecise, sed doctrinam sive probabilissime et morali certitudine revelatam, sive a S. Sede per damnationem alicuius propositionis aut alio quovis modo ad tollendas e medio quaestiones definitam, denegaret?* Praecise fidem non negaret et tamquam certe haereticus haberi nequiret. Attamen graviter peccaret et interdum de haeresi suspectus esse posset.

2449. Enimvero esset de haeresi suspectus si veritas denegata cum dogmate fidei adeo connecteretur, ut, illam denegando, iam de dogmate ipso difficile bene sentire possit; ut puta, si quis sustineret propositionem a Summo Pontifice loquente ex cathedra non tamquam haereticam, sed solum tamquam falsam, damnatam; vel diceret, Christum in coelo non esse visibilem; in primo casu enim de dogmate infallibilitatis pontificiae; et in secundo de dogmate humanitatis Christi in coelum ascensi, vix bene sentire posset.

Sed, praescindendo etiam a suspicione de haeresi; quod sit peccatum sustinere propositiones damnatas, quamvis tamquam haereticae damnatae non fuerint, patet tum ex poena excommunicationis quae adnecti solet, semperque Romano Pontifice reservatur (ut videre est in Const. *Apostolicae Sedis*); tum ex syllabo, in quo pariter damnata fuit sequens propositio: « Obligatio, qua « Chatolici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, « quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda « proponuntur ».

2450. Quod autem graviter peccet qui negat doctrinam iam morali certitudine revelatam, patet ex novissimo responso S. Poenitentiariae (30 *Apr.* 1890) circa illos qui opinantur quod ignis inferni non sit verus et materialis.

En quaesitum. « Poenitens se sistit coram Confessario et inter alia decla« rat opinari quod in inferno ignis non sit realis sed metaphoricus, scilicet « quod inferni poenae, quaecumque illae sint, sunt vocatae ignis aliquo di« cendi modo; nam sicut ignis dolorem omnium intensiorem producit, ita ad « indicandas atrocissimas inferni poenas nulla adest imago aptior ad ideam « inferni efformandam. Hinc Parochus quaerit an liceat relinquere poenitentes « in hac opinione, et an liceat eos absolutione donare? Notat autem Parochus « quod non agitur de opinione alicuius individui, sed est opinio generaliter « admissa in quodam pago ubi dici solet: infantes solum persuade, si potes, « quod sit ignis in inferno ».

Responsio. « Sacra Poenitentiaria ad praemissa respondet: Huiusmodi « poenitentes diligenter instruendos esse; et pertinaces non esse absolvendos ».

2451. Quod denique peccent qui negant doctrinas a S. Sede (etsi non a Romano Pontifice, sed solum a Romanis Congregationibus) definitas, patet ex Litteris Pii IX relatis supra (*n.* 1662) in quibus dicitur: « Opus esse ut (Catholici) se « subiiciant decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pon« tificiis Congregationibus proferentur ».

§ V.

De quibusdam aliis fidei offensionibus.

2452. *Quaenam sunt offensiones huiusmodi?* Sunt illae omnes actiones ex quibus damnum Religioni certe vel facile obvenire potest. Exemplum habes 1° in scandalo Sacerdotum; 2° in impressione et divulgatione librorum et diariorum impiorum; 3° in comoediis impiis; 4° in praebendo auxilium vel favorem haereticis; 5° in electione deputatorum aut municipalium impiorum, qui Religionem persecuturi sint, etc.

§ VI.

De fide custodienda.

2453. *Custodia fidei in quo consistit?* In cavendo a periculis pro se et personis subiectis. Huiusmodi pericula sunt cogitationes contra fidem; socii impii, et saepe scholae, officinae, libri, diaria, theatra etc.

2454. *Obligatio custodiendi fidem estne gravis?* Utique, imo gravissima. Videndum tamen an pericula sint voluntaria, an vero necessaria etc. (*Praxis* 164-166).

2455. *Quid de hodierno liberalismo?*

Aliqui dicuntur liberales solum quia Gubernium costitutionale vel Rempublicam Gubernio absoluto, aut unitatem nationalem plurium statuum divisionibus praeferunt; ita tamen ut haec desiderent solum sub conditione quod licite obtineri possint. Hoc sensu liberalismus nihil mali continet.

At vero liberales communissime hos angustos limites valde praetergrediuntur, et libertatem adeo effraenatam sibi vindicant, ut vel fidem ipsam aperte reiiciant (prout ordinarie contingit), vel doctrinas sive variis modis ab Ecclesia reprobatas, sive utcumque valde perniciosas, profiteantur. Enimvero liberales plurimi profitentur libertatem cogitationis (ita ut unusquisque possit etiam esse materialista, atheus etc.), libertatem cultus (ita ut unusquisque possit esse Protestans, Turcha, Idololatra etc.), libertatem conscientiae (ita ut unusquisque possit esse epicureus, communista, anarchicus etc.) libertatem praeli (ita ut unusquisque sensus suos, etiam impiissimos et perniciosissimos, libere manifestare et publicare possit), libertatem

associationis (ita ut associationes quoque contra Ecclesiam et quaslibet alias legitimas auctoritates machinantes, aut alios fines perversissimos et ruinosissimos habentes licitae existimentur), libertatem educationis (ita ut educationem etiam impiissimam et undequaque pessimam genitores filiis suis dare valeant), libertatem instructionis (ita ut Magistri atheismum, materialismum, communismum etc. docere possint). Adde doctrinas de principatu populari, de iure rebellionis, de matrimonio civili sufficienti sine ecclesiastico, de iure divortii, de factis completis (scilicet de iure maiorem vim aut maiorem fortunam habentis), de non interventu (scilicet de iure praetensionis ne quis in debilioris oppressi auxilium occurrat), de separatione Status ab Ecclesia, (imo quod Status imperare possit Ecclesiae, et Ecclesia Statui servire ab eoque dependere debeat), de privilegiis omnibus Clero auferendis, de Religiosis communitatibus supprimendis suisque bonis spoliandis, de dominio temporali Ecclesiae auferendo etc. etc. (Vide Syllabum et Encyclicam Pii IX *Quanta Cura*).

ARTICULUS II.

DE SPE.

2456. *Quid est spes?* Virtus supernaturalis, qua aeternam beatitudinem atque media ad illam assequendam, necessaria (cuiusmodi sunt gratia Dei, remissio peccatorum etc.) propter summam Dei bonitatem, potentiam et fidelitatem, ponendo cooperationem nostram, certa fiducia expectamus.

2457. *Adestne obligatio exercendi spem?* Utique, quia spes est necessaria de necessitate medii ad iustificationem obtinendam, ad tentationes atque difficultates superandas, et denique ad perseverandum.

2458. *Quandonam adsit obligatio actum spei eliciendi?* 1° Adveniente tentatione contra spem; 2° Identidem in vita. Qua frequentia praecise hic actus elici debeat, impossibile est determinare; sed et inutile; sufficit enim si spes implicite et sine advertentia formali exerceatur. Sic autem exercetur quando Christifideles culparum suarum veniam petunt, quando orant, quando tentationibus resistunt, quando opera bona exercent etc.

2459. *Quot modis peccari potest contra spem?* Duobus: 1° desperatione; 2° praesumptione.

2460. *Quot modis contingit peccatum desperationis?* Quando quis non sperat aut 1° auxilium Dei ad abstinendum a peccatis; aut 2° veniam peccatorum; aut 3° salutem aeternam. Non sperat (inquam) etsi a parte sua cooperationem et actus necessarios praestet aut praestiturus sit.

2461. Insuper aliud est desperare propter consuetudinem peccandi, vitam habitualiter scelestissimam, et negligentiam in non apponendis mediis salutis, sine seria emendationis voluntate; aliud vero desperare ex scrupulis, melancholia, pusillanimitate, recordatione peccatorum, et mera tentatione diabolica. Diversi hi modi diversam directionem exigunt. In primo casu quam maxime insistendum est ut cum spe veniae peccatis finis apponatur. In secundo Confessarius totus erit in suggerendis sequentibus remediis: 1° consideratio bonitatis et misericordiae infinitae Dei; 2° frequens recordatio eorum hominum, qui post plurima et gravissima peccata veniam consecuti sunt; 3° meditatio parabolarum *ovis perditae, filii prodigi* etc. 4° devotio specialis erga B. Virginem, refugium peccatorum; 5° Fiducia in Christum pro nobis in cruce affixum etc.

2462. *Quid de timore damnationis et de tentatione desperationis?* Haec non sunt confundenda cum desperatione. Attamen 1° timor damnationis provenire debet solum a timore non ponendi propriam cooperationem: et potest esse excessivus; 2° tentatio desperationis, tamquam periculosissima et perniciosissima considerari, et contra illam actus spei fieri debent.

2463. *Quot modis contingit peccatum praesumptionis?* Quando quis sperat 1° Auxilium Dei ad abstinendum a peccatis quamvis non oret, aut quamvis in pericula voluntaria se coniiciat; 2° Veniam peccatorum, quamvis necessarios verae poenitentiae actus non ponat; 3° Gratiam conversionis aequaliter obtinendam, quamvis peccata peccatis superaddantur, aut conversio ipsa diu vel usque ad mortem differatur; 4° Salutem aeternam sine meritis, aut solis propriis viribus assequendam.

2464. *An desperatio et praesumptio sint peccatum mortale?* Desperatio et praesumptio, si sit habituales, sunt ambae periculosissimae, atque (quod de desperatione maxime verum est) Deo iniuriosae; et proinde peccatum grave certe includunt, supposita tamen advertentia, quae practice deesse solet. Si vero sint transitoriae, tunc desperatio, et facilius praesumptio, (ex imperfectione actus, et aliquando etiam ex obiecto) veniales esse possunt. Gury (*n.* 213).

ARTICULUS III.

DE CHARITATE.

2465. *Quotuplex est charitas?* Triplex : 1° Erga Deum, 2° erga nosmetipsos, 3° erga proximum.

PUNCTUM I.

De charitate erga Deum.

2466. *Charitas erga Deum in quo consistit?* In amore *filiali* seu *perfecto*, quo Deum amamus super omnia propter illius infinitam amabilitatem, non vero solum propter nosmetipsos.

2467. *Charitas distinguiturne ab amore Dei?* Utique. Possemus enim etiam amare Deum solum propter nosmetipsos, attendendo scilicet solum quod Deus nobis beneficentissimus est: qui amor non filialis sed *servilis* aut *imperfectus* dicitur, et charitatem non constituit.

2468. *Amor Dei, etsi foret solum servilis, estne bonus?* Affirmative (ut patet ex doctrina de attritione: *Gury* 31); dummodo tamen homo non diceret : Si Deus mihi beneficus non esset, illum non amarem ; quo casu amor diceretur *serviliter servilis*, et certe malus esset. Praxis (*n.* 191. 192).

2469. *Si amor filialis cum amore servili immisceatur, amando Deum non solum propter infinitam suam amabilitatem, sed etiam propter nosmetipsos, haec mixtio destruitne charitatem?* Illam neque destruit, neque ullo modo corrumpit; ex una parte enim nihil mali immiscetur, et ex alia (in doctrina contraria) praeceptum charitatis erga Deum (quod est omnium primum) nimis difficile et (pene dixerim) moraliter impossibile redderetur (*l. c.* 194).

2470. *An, ad constituendum actum charitatis, oporteat ut amor Dei sit summus?* Non oportet ut sit summus *intensive*, (seu fervore sensibili), bene vero oportet ut sit summus *appretiative;* ut scilicet homo bene velit Deo super omnia, quatenus, existimando illum tamquam bonum summum (sicut est), omnibus aliis bonis illum praeferat, atque adeo paratus sit mortem ipsam pati, potiusquam illum offendere graviter. Dico *graviter;* exiguae enim offensae charitatem Dei minuunt quidem sed non destruunt, eiusque amicitiam non rumpunt.

2471. *Quaenam sunt vitia charitati Dei opposita?* Opposita directe sunt 1° Odium Dei, quod interdum concipi solet ab iis qui magnis infortuniis et calamitatibus subiiciuntur; 2° Incuria eliciendi actus charitatis erga Deum. Indirecte autem, quodlibet peccatum mortale charitati Dei opponitur, illamque destruit.

2472. *Quandonam urget praeceptum huiusmodi charitatis actum eliciendi? Per se* urget 1° statim ac infinita Dei bonitas cognita fuerit; 2° Saepius in vita (Sed qua frequentia? Hoc determinari nequit. Propositio tamen, quae dicebat ne singulis quidem quinquenniis actum charitatis obligare, damnata fuit). An per se obliget in morte, non conveniunt. Certe *per accidens* tunc obligaret si moribundus esset in mortali et copiam confessarii non haberet. Idem dic si quis versaretur in tentatione aliquod peccatum committendi, quam sine actu charitatis repellere nequiret.

Practice autem non sunt hac de re iniiciendi scrupuli in iis qui iam habitualiter diligunt Deum amore filiali; et defectus contingere potest solum in iis qui vel vitam in peccatis mortalibus ducunt, vel ex solo damnationis timore a peccatis abstinent, et cum sola attritione ad confessionem accedunt.

2473. *Quid de dicentibus quod homo semper ex motivo charitatis agere debet; ita ut, si secus agat, peccet?* Error iste iam damnatus fuit in pluribus propositionibus (Alex. VIII. 7ª et 8ª), et est contrarius doctrinae catholicae de honestate et sanctitate attritionis (*Trid. sess. VI.* 31 *et XIV.* 4).

2474. *An ad satisfaciendum praecepto charitatis sufficiant actus interni?* Negative; sed amor Dei externe quoque manifestari, atque operibus comprobari debet: iuxta illud: « Probatio dilectionis exhibitio est operis ».

PUNCTUM II.

De charitate et amore quem homo sibi ipsi debet.

2475. *Quot modis potest homo peccare contra charitatem, et amorem quem sibi ipsi debet?* Peccare potest 1° quoad bona spiritualia; 2° quoad bona temporalia. Idque sive facto sive animo.

2476. *Quomodo peccare potest quoad bona spiritualia?* Dum se exponit periculo peccandi; dum aliquod peccatum reapse committit; dum differt poenitentiam; dum malas consuetudines contrahit; dum negligit addiscere vel adhibere ea quae necessaria sunt ad salutem. Idem dic si absque bona ratione eligeret

statum aeternae suae saluti valde periculosum; maxime vero si morti proximus et in mortali existens, de reconciliatione cum Deo non curaret.

2477. *Quomodo peccaret quoad bona temporalia?* 1° Si seipsum occideret aut mutilaret (At vero tunc peccaret etiam contra iustitiam erga Deum); 2° Si, absque causa sufficienti, mortis, aut gravis morbi, aut vitae abbreviationis, periculo positive se exponeret; 3° Si ad vitam sibi conservandam media non adhiberet; ita tamen ut in hunc finem unusquisque teneatur quidem uti mediis ordinariis, non vero extraordinariis et valde arduis, v. g. ad expendendum in medicis et medicinis ultra vires proprii status, vel ad subeundas operationes valde dolorosas aut horribiles, vel ad tolerandam nimiam verecundiam, prout contingere posset in virgine (quae ideo medici inspectionem recusaret) etc.; 4° Si ex corde aliquod malum sibi imprecaretur (Sed de his omnibus in tract. de V Dec. praec. sermo redibit); 5° Si honorem et famam propriam discrimini exponeret; 6° Si, laborem declinando, aut bona sua vitiose dilapidando, se in miseriam coniiceret etc.

§ III.

De charitate erga proximum.

A.

Exponuntur quaedam principia generalia.

2478. *An et quomodo proximum diligere debeamus?*

I. Utique proximum nostrum diligere tenemur; dicente Domino. « Diliges proximum tuum sicut te ipsum » (*Matt.* 12); et Iohanne (*I. Io. IV*): « Hoc mandatum habemus a Deo, ut « qui diligit Deum, diligat et proximum suum ».

II. Proximum autem diligere debemus tum *positive,* scilicet 1. actu interno, 2. actibus externis, 3. sine ulla exceptione, 4. propter Deum, 5. modo ordinato: tum *negative* abstinendo ab odio proximi, a scandalo et cooperatione eiusdem peccatis, ab iniuriis eidem inferendis etc.

2479. *Quinam est proximus noster?* Quisquis pertinet vel pertinere potest ad familiam Dei, atque adeo quisquis sit capax vel iam particeps aeternae beatitudinis; cuiusmodi sunt 1.

Sancti et Angeli in coelo; 2. animae piacularibus poenis addictae; 3. iusti in hoc mundo viatores; 4. peccatores; 5. etiam haeretici et infideles. Soli daemones et damnati proximus noster minime sunt.

2480. *Quid significat amandum esse proximum actu interno?* Significat non sufficere si solum externae amoris significationes ei dentur, v. g., ex hypochrysi, respectu humano, vana gloria etc. Patet ex Prop. X et XI damn. ab Innoc. XI., quarum secunda dicit: « Praecepto proximum diligendi satisfacere « possumus per solos actus externos ».

2481. *Quomodo probatur amandum esse proximum etiam actibus externis?* 1. Quia *probatio dilectionis exhibitio est operis;* 2. Quia *I. Io. III.* dicitur: « Qui habuerit substantiam « huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere et « clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet « in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed « opere et veritate ».

2482. *Quinam sunt huiusmodi actus externi?* Sunt imprimis consueta signa dilectionis et urbanitatis: stante autem proximi necessitate, eleemosyna (aliaque opera misericordiae corporalis); et correctio fraterna (aliaque opera misericordiae spiritualis).

2483. *Cur dicitur; sine ulla exceptione?* Quia excludi nequeunt inimici et persecutores, dicente Domino (*Matth. V.*): « Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros; et benefa- « cite iis, qui oderunt vos ».

2484. *Cur dicitur: propter Deum?* Quia, si proximus amaretur solum quatenus lumine rationis et propensioue naturali amabilis est, huiusmodi amor neque charitatem, quatenus est virtus theologica, constitueret, neque ad homines malos, et maxime inimicos, extenderetur. Amari ergo debet proximus propter mandatum Dei, amorem Dei etc.; unde (*Rom. XIII.* 8) dicitur: « Implesse legem qui diligit proximum », et (1. *Io. l. c.*) de non adiuvante proximum indigentem subditur (ut supra vidimus): « Quomodo charitas *Dei* manet in eo? ».

2485. *Cur dicitur quod proximus amari debet modo ordinato?* 1. Quia homo saepe versatur in conflictu inter amorem proximi et amorem sui ipsius; unde stante ex una parte indigentia proximi, et ex alia incommodo proprio, homo in quibusdam casibns se ipsum proximo, et in aliis proximum sibi ipsi praeferre debet vel potest. 2. Quia non omnes personas eodem modo diligere debemus.

Sed haec magis declaranda sunt, unde dicendum est aliquid enucleatius, 1. De ordine charitatis; 2. de odio et malevolentia; 3. de eleemosyna; 4. de correctione fraterna; 5. de scandalo; 6. de cooperatione.

De aliis autem peccatis contra charitatem, quae cum iniuria et violatione iustitiae coniunguntur, cuiusmodi sunt furta, homicidia etc., aliis locis opportunius sermo habebitur.

B.

De ordine charitatis.

2486. *Quaenam prae oculis habenda sunt, ut in ferenda ope proximo rectus ordo servetur?* 1. Gradus necessitatis proximi; 2. Gradus incommodi nostri; 3. Gradus coniunctionis inter nos et personam indigentem.

2487. *Quotuplex potest esse necessitas proximi?*

1. Communis, 2. extrema, 3. quasi extrema, 4. gravis. Hae omnes necessitates possunt esse spirituales et corporales.

Communis est illa in qua versantur peccatores ordinarii (qui sat facile converti et sibi ipsis providere possunt), et pauperes ordinarii, qui (attenta eorum assuefactione) vitam non adeo miseram et infelicem ducunt.

Extrema spiritualis contingeret quando quis versaretur in limine damnationis aeternae; corporalis vero quando quis iam certe vitam esset amissurus. Sed casus debet esse ita strictus, ut ex una parte neque per se ipsum ullo modo salvari possit, neque adsit aliquis qui illum salvet; et ex alia ego illum salvare valeam.

Quasi extrema contingeret quando quis a praedictis aut aliis malis gravissimis, me non occurrente, valde difficile evadere possit.

Gravis contingeret, quando nec de gravissimis nec de ordinariis malis ageretur: attamen malum sive spirituale sive corporale specialem gravitatem praeseferret, quod, me non adiuvante, persisteret.

2488. *An ordo charitatis sinere possit ut quis patiatur damna spiritualia ut proximo succurrat?*

I. Si agatur de peccato, etsi levissimo, negative. Hinc, si unico mendacio omnes mundi homines salvari possent, mendacium dici nequiret.

II. Si agatur de periculo peccati, homo *ordinarie* nequit illud adire, vel in illo permanere, si sit grave.

Pro his duobus casibus valet principium: *Charitas bene ordinata incipit a semetipso.*

Dixi *ordinarie;* dantur enim casus, in quibus homo (cum debitis cautelis) in periculo, etiam gravi, remanere potest, dummodo iusta et proportionata causa interveniat, qualis subinde erit quoque necessitas proximi sive spiritualis (v. g., ne secus magnum scandalum sequatur, aut ne Christifideles sine Sacramentis relinquantur etc.), sive etiam corporalis (ut potest contingere in medicis et chirurgis foeminas medentibus). Imo res eo usque procedere possunt, ut vera adsit obligatio in periculo permanendi; unde dixit S. Lig. (*VI.* 453) « In neces« sitate extrema spirituali proximi non solum potes, sed teneris « illi succurere cum tali periculo probabili ».

III. Multo magis potest homo (et subinde debet) pro salute spirituali, aut pro exercendo aliquo opere misericordiae, se privare bonis spiritualibus minime praeceptis, v. g., non ingrediendo religionum, deserendo contemplationem, psalmodiam etc.

IV. Paucis, firmo principio quod homo nequit se subiicere peccato, aut (ordinarie) occasioni proximae peccandi, de caetero potest maiorem Dei gloriam quaerere, et sibi ipsi adeo renuntiare, ut S. Ignatius dixerit: « Si optio daretur, malle se « beatitudinis incertum vivere et interim Deo inservire et pro« ximorum saluti, quam certum eiusdem gloriae statim mori » (*Brev. Rom. in fest. S. Ignatii*).

2489. *An et quomodo ordo charitatis exigat, ut homo patiatur damna temporalia, ut proximo succurrat?*

I. Homo non tenetur damna temporalia subire, si omnia sint paria, si nempe tam ipse quam proximus in eadem conditione, omnibus perpensis, versentur. Tunc enim iterum valere potest principium quod charitas bene ordinata incipit a semetipso « Dixi *non tenetur;* non vero dixi: non potest. Licitum est enim unicuique sacrificiis se subiicere ad succurrendum proximo suo in aequali vel etiam in minori necessitate constituto. Hoc certe verum est si agatur de bonis fortunae (quorum unusquisque est dominus), unde nihil vetat quin pauper pauperem eleemosyna sublevet. Multi docent tantundem dici non posse de bono vitae (cuius homo non est dominus); sed alii censent vitam quoque in periculum poni posse pro bono proximi vita periclitantis, etsi vita illius non sit pretiosior; unde aiunt licitum esse proximo peste laboranti inservire, cum aeque certo mortis periculo, et in communi naufragio tabulam socio cedere. Doctrinam istam nedum probabilis sed verissima

mihi videtur, et censeo id non solum licere, sed heroicum virtutis actum includere: Atque ita sensit quoque S. Io. Chrisostomus, qui etiam de vita corporali intelligit ea Iesu Christi verba (Io. XV); « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut « animam suam ponat quis pro amicis suis ». Cf. Laymann (*II.* III *III.* 9).

II. Si omnia non sit paria, si nempe proximus versetur in necessitate sive altioris ordinis (v. g. spirituali, aut vitae etc.); sive eiusdem quidem ordinis sed in gradu maiori; sive eiusdem quidem gradus sed ita ut rationes speciales superaddantur (v. g. quia vita illius sit pretiosior, vel quia tu delictuose in illam necessitatem proximum conieceris, vel quia ex pietate, gratitudine, officio etc. debeas illi subvenire; vel denique quia non de uno sed de pluribus aut multis indigentibus agatur); utique tunc vera, et subinde gravis, urgere potest obligatio cum incommodis aut damnis temporalibus subsidium ferendi. Patet ex instinctu naturali et ex divino praecepto eleemosynae (de quo infra).

2490. Quaer. I. *Aderitne obligatio aliquem subveniendi cum gravi incommodo, v. g., cum magna iactura bonorum fortunae, si versetur in extrema* NECESSITATE TEMPORALI, *scilicet ad liberandum illum a morte?* Respondet Scavini (*II.* 894 3): « Etsi vita proximi excellat omnibus divitiis, attamen notant « Viva et alii, quod neque in extrema necessitate pauperis » teneatur dives magnam pecuniam erogare ». Enimvero ne vitam quidem propriam tenetur quis mediis extraordinariis conservare (iuxta dicta *n.* 2477). Hinc dici solet quod charitas non obligat cum gravi incommodo.

Hoc tamen intellige seclusa obligatione speciali (ex officio vel delicto), et nisi agatur de avertendo aliquo magno damno publico, et salva obligatione eleemosynae, quae nedum in extremis sed etiam in communibus necessitatibus urget, ut infra videbimus.

2491. Quaer. II. *Daturne obligatio etiam cum periculo et sacrificio vitae subveniendi proximo in extrema* NECESSITATE SPIRITUALI *constituto?* Affirmant communiter; nisi maiora mala sequerentur, v. g., si te moriente, ea de causa plurium aliorum salus periclitaretur. Casus tamen ita strictus in quo quis, ex officio (v. g. Parochi) non obligatus, pro necessitate spirituali proximi vere et effective morti se exponere debeat, rarissimus et vix practicus erit. Eo autem contingente, cautissime procedere debebit Confessarius in huiusmodi obligatione impo-

nenda, si poenitens sit in bona fide, et maxime si talis obligatio prorsus evidens minime sit.

Explicatio. Fundamenta huius obligationis sunt praecipue sequentia: 1. Ioannis (I. Ep. III. 16) legitur: « *Quoniam ille* (Christus) *animam suam* « (scilicet vitam suam) *pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus ani-* « *mam ponere »;* quod praeceptum nunquam locum haberet si ne in extrema quidem necessitate spirituali vitam pro proximo dare deberemus. 2. Augustinus (*De mend. VI*) dixit: « Temporalem vitam pro aeterna vita proximi « non dubitabit christianus amittere ». 3. D. Th. (2. 2. *XXVI.* v), scripsit: « Proximum quantum ad salutem animae magis debemus diligere quam pro- « prium corpus »; et in responsione ad tertium explicat hoc verificari non solum in iis qui ex officio curam spiritualem aliorum habere debent, sed etiam forte in casu necessitatis. Quo tamen verbo *forte* subdubitare significat.

Huius autem extremae necessitatis a Theologis varia dantur exempla.

Primum est pueri sine baptismate morituri. Sed Sotus (apud Laymann *l. c. III.* 3) id negat; et reapse quis scit puerorum sine baptismate decedentium sortem futuram esse valde infelicem? Ballerini (*Op. th. V.* III. 48) dicit quod « mater non tenetur vitae periculum subire (*per operationem caesaream*) ut « proles possit baptizari ». Et pariter dicendum videtur quod Parochus cum periculo carceris et indecentia iam ab hoc actu inseparabili non teneatur demortuae matris ventrem secare, ut prolem (secus certe sine baptismo morituram) baptizet. Nonne insuper contingere posset quod puer sic extractus postea vivat et propter peccata sua (quod utique valde peius esset) damnetur?

Secundum est hominis qui *certe* existens in peccato mortali sine absolutione esset moriturus. Sed nonne posset per contritionem perfectam, divina gratia in tali necessitate adiutus, sibi providere? Hinc ne in hoc quidem casu talem ac tantam obligationem admittunt Ballerini (*l. c.* 51) post plures alios apud S. Lig. (*VI.* 624) et Lugo (*De Poenit. XXII.* 12).

Tertium est hominis quem dormientem vel phreneticum et certe in mortali existentem alius esset occisurus. Sed nonne contingere posset quod meae vitae sacrificio salvatus postea in infernum esset ruiturus?

Quartum est si peste grassante et, deficientibus Parochis (qui certe etiam cum periculo vitae occurrere tenerentur), unicus adesset Sacerdos. Hic mihi videtur verus casus practicus in quo vitae periculum non sit considerandum.

Moveor non tam quia (ut aiunt) in multitudine morientium deesse nequeant plures, qui contritione perfecta sibi prospicere nequeant et sic in necessitate vere extrema versentur; quam quia in tali casu superadduntur aliae rationes, quarum praecipua est quod, si in tali gravissima necessitate Sacerdos esset praesens in illo loco et nollet propter vilem timorem se praestare, id maximam conturbationem, dedecus religionis, odium contra Sacerdotes, et scandalum magnum excitaret. Adde quod ipsa necessitas efficit ut, deficientibus Parochis, alii Sacerdotes illorum partes ex munere ipso sacerdotali, non vero ex sola charitate, adimplere et sic non obstante vitae periculo se praestare debeant. Lugo (*l. c.* 13), S. Lig. (*II.* 27) aliique omnes.

Laymann (*l. c.* 3) addit casum in quo necessitas extrema aut quasi extrema causata fuisset delictuose, ut puta, si impia obstetrix infantes multos in nomine Daemonis baptizasset, neque remedium apponere posset nisi iudici se accusando et proinde extremum supplicium (prout iis temporibus contingebat) subeundo. Obligationem remedium tunc apponendi non obstante vitae sacrificio recognoscit idem Laymann nedum ex charitate sed etiam ex iustitia; sed dicit

rem non esse evidentem; et subdit valde caute et pedetentim procedendum esse antequam indicentur obligationes huiusmodi in casibus adeo difficilibus, et non omnino evidentibus, dum poenitens in bona fide sit et de illis non cogitet. Dicit Confessarium interdum posse absolutionem concedere, dummodo poenitens promittat se adimpleturum esse ea, quae in posterum re bene perpensa ei indicabuntur. Dein proponendam esse rem exequendam tempore opportuniori, sed ita ut absoluta obligatio non urgeatur, dicendo aliter salvum fieri non posse, nisi Confessarius de bono effectu iam satis certus sit.

2492. Quar. III. *Quid si proximi necessitas spiritualis sit gravis vel communis tantummodo?*

Si sit *communis*, obligatio alicui peccatori auxilium spirituale praebendi aderit, sed sub levi dumtaxat et sub duabus conditionibus 1. quod bona spes fructus adsit; 2. quod sine gravi incommodo auxilium ipsum dari possit.

Si sit *gravis*, tunc obligatio urgere potest sub gravi, sed non cum gravi incommodo. Attamen incommodum grave non excusaret si ex officio, vel delicto (utpote si quis haeresim docuisset) obligatio prodiret; aut (addunt) si necessitas gravis publica esset. Scavini (*II.* 894).

2493. *Sacerdos, qui degit in oppido, ubi talis sit penuria Confessariorum ut incolae gravi laborent necessitate spirituali, eritne tutus in conscientia si negligat confessiones audire; aut, cum possit, ad eas excipiendas se habilem reddere?* Certe a peccato (et quidem gravi) non excusaretur si solum ad indulgendum otio aut solatiis aut negotiis temporalibus non necessariis, vel ad declinandum incommodum huic ministerio intrinsecum, ab audiendis confessionibus, vel a praeparatione pro examine, refugeret. Secus vero si iam valde occupatus in aliis ministeriis (v. g. praedicationis, scholae etc.) iam aliis gravibus Christifidelium necessitatibus satisfaceret; et aliunde iam non grave dumtaxat, sed gravissimum viresque excedens incommodum subiturus esset si insuper confessionali (et maxime multum) attendere deberet. Nunquid enim populi necessitatibus melius consuleretur, si Sacerdotes qui iam multum laborant, novis oneribus adeo gravarentur, ut oppressi citius mori cogerentur? Cf. S. Lig. (*VI.* 625).

2494. *An adsit obligatio indigentes sive corporaliter sive spiritualiter inquirendi?* Seclusa obligatione ex officio, negative; sed sufficit si in casibus qui se praesentant auxilium feratur.

2495. *Si necessitas sit communis pluribus personis, qui uni vel aliquibus tantummodo subvenire potest, quid exigitur ab ordine charitatis quoad praeferentiam?*

In pari necessitate debemus extraneis praeferre consanguineos aut alia ratione coniunctos (v. g. concives), quia (ut dicit D. Th. 3. *dist. q.* 29. *a.* 7), « charitas ordinem naturae non « mutat, sed perficit ». Nota quod dixi *in pari necessitate;* nam obligatio charitatis ex gradu necessitatis praecipue pendet.

Inter coniunctos autem ordinarie praeferendi sunt coniun-

ctiores secundum varios gradus et naturae inclinationem. Hinc in necessitate gravi 1. est praeferenda uxor, quia est una caro cum viro et filiorum principium; 2. filii; 3. parentes; 4. fratres, sorores, propinqui, domestici, consodales, concives etc. Dixi *in necessitate gravi;* nam si necessitas esset extrema, tunc inclinatio naturalis imprimis parentes, et (quoad istos) patrem ante matrem respiceret. Venirent postea uxor, filii etc. Scavini (*l. c. Reg.* 5ª).

C.

De odio et malevolentia.

2496. *Quid est odium et malevolentia?* Odium est animi aversio inordinata contra proximum. Malevolentia autem est voluntas aut complacentia inordinata de malo proximi. Dixi *inordinata;* si enim iusta de causa, intra iustos limites et quanto minus fieri potest, quis aliquam aversionem contra proximum haberet, aut aliquod malum ei desideraret vel etiam de facto inferret; tunc nec de odio nec de malevolentia; sed solum de iusta indignatione, de iusta repressione, de iusta correctione, de rationabili iurium nostrorum tuitione etc. ageretur.

2497. *Malevolentia quotuplex esse potest et estne semper mortalis?*

Potest esse totalis et partialis. *Totalis* est quando quis proximum nulla ratione amat et nullum bonum sed tantummodo malum ei vult. *Partialis* est quando quis malum aliquod quidem proximo vult inordinate, sed nihilominus illum adhuc amat, et bonum aliquod ei exoptat.

Malevolentia totalis (quae proprie dici solet *odium*) est semper peccatum mortale; idque verum esset quamvis viros scelestissimos nobisque inimicos respiceret. Partialis autem, modo mortalis et modo venialis esse potest.

2498. *Eccur malevolentia totalis potest esse peccatum, si viros scelestissimos aut nobis inique inimicos respiciat? Quomodo possibile erit amare personas huiusmodi? Qua de causa iisdem bene velle poterimus?*

Quod sit peccatum, certissimum et notissimum est ex verbis D. N. I. C. (*Matt.* V. 44): « Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros: benefacite « his qui oderunt vos..., ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est: qui solem « suum oriri facit super bonos et malos; et pluit super iustos et iniustos ».

Quod autem eosdem diligere eisque pro malo bonum reddere possibile sit, patet quia 1. Non ratione mali sed ratione boni quod in iis adhuc remanet illos diligere possumus atque debemus; sunt enim et ipsi filii Dei et fratres nostri qui nobiscum ad aeternam beatitudinem pervenire possunt. 2. Amore

Dei, ad obsequendum Deo, atque ad praemium aeternum assequendum (non vero quia ipsi meritum habeant) iisdem pro malo bonum reddere vel exoptare possumus, pariterque debemus.

2499. *Quomodo haec duo componuntur, quod scilicet interdum aversionem aliquam contra proximum habere eique mala exoptare vel etiam inferre; simulque eum diligere eique bonum exoptare possimus?* Quia nihil impedit quominus una eademque persona eodem tempore propter diversos respectus nobis placeat et displiceat, eique bonum et malum facere velimus. Nonne pater filium simul verberat et amat? Sic nihil vetat quominus in proximo peccata et vitia odio habeamus, simulque propter bonas qualitates, aut saltem quia frater noster in Christo est (ut supra dicebam), illum amemus. Pariter nihil vetat quominus ex iusto motivo mala (et etiam mortem ipsam) ex iusta defensione ei inferamus, et nihilominus bona (saltem salutem aeternam) ei exoptemus.

Tota itaque difficultas reducitur in determinandis limitibus, quibus aversio aut vindicta ordinata ab inordinata distinguitur. Hoc autem sequenti modo declaratur.

2500. *Quaenam servanda sunt, ut possimus proximo malum desiderare vel inferre absque laesione charitatis?* Oportet I. Ut hoc fiat sub ratione boni, ut scilicet adsit finis boni maioris aut talis quod iuxta rectum ordinem malo proximi praeferre possimus; II. Ut nullo modo excedatur, et benevolentia erga proximum tum interno animo, tum externis actibus, quantum fieri poterit, servetur; III. Ut, si forte, inferendo iuste malum proximo, scandalum sequeretur, ab eo (saltem rem declarando) caveatur.

2501. Explicatio. Ad I. Ratio boni esset 1. *Maius bonum proximi ipsius.* Exempla. Correctio vel punitio salutaris. Desiderium infortunii temporalis quod ad emendationem deserviat. Genitores qui potius exoptant ut filii moriantur, si mali evasuri essent, vel etiam ne vitam nimis miseram diutius producant. 2. *Bonum publicum.* Exemplum. Publicis grassatoribus, vel Religionis persecutoribus punitionem et subinde etiam mortem exoptare. 3. *Bonum familiae.* Exempla. Pater qui filio familiam scandalizanti et in ruinam coniicienti carcerem vel quid simile exoptaret. Mater pauperrima, quae prole iam nimis numerosa onusta, desideraret ut puer recens natus ad paradisum advolaret. Gury (*Cas. n.* 213). 4. *Iusta defensio* vitae vel aliorum bonorum. Ad iustam defensionem autem tum exigentia *reparationis damnorum* vel restitutionis honoris, tum *iusta punitio* (seu legitima vindicta) ne malefactor ad novas offensas procedere audeat (dum tamen in vindicta ipsa boni effectus spes collocari possit), tum denique *iustae indignationis ostensio* pertinent. 5. *Adimpletio proprii muneris;* si nempe quis ex officio (v. g. iudicis, patris etc.) alios punire deberet.

2502. E contra ratio boni maioris et finis rectus deficeret si proximus sive verbis sive factis iniuste offenderetur, aut si ex invidia, avaritia, ira iniusta, impatientia aut alia passione malum ei desideraretur. Exemplum invidiae habemus in Cain; avaritiae in filio qui ad assequendam haereditatem mortem patri exoptaret; irae iniustae in eo qui iuste correctus malum corrigenti imprecaretur; impatientiae in iis qui propriis coniunctis querulis, fastidiosis, infirmis mala exoptant.

2503. Ad II. Quod, supposita etiam rectitudine in facti substantia, sive in punitione, sive in defensione, sive in vindicta, sive in indignationis ostensione etc., excessus, atque adeo peccatum contra charitatem (et subinde etiam contra iustitiam) intervenire possit, res est per se manifesta. Observari potest quod passiones (et speciatim ira) huiusmodi excessus periculum semper secum ferunt.

2504. Denique dum malum proximo recte et rationabiliter desideramus vel facimus, benevolentiam erga illum servare debemus, quatenus animo simus ita comparati, ut nullum afferremus malum, si absque illo finem obtinere, scilicet nocumenta a nobis avertere possemus; unde in malo afferendo veluti aegre procedamus.

2505. *An, salva charitate, quis petere possit vindictam ab auctoritate publica pro se vel aliis? Et quid de vindictis privatis?*

I. Vindictam, scilicet iustam punitionem, petere posset, ne offensor impunitus ad novas iniurias procedat. Si tamen offensor veniam peteret, de eiusque vera resipiscentia fidendum esset, et damnorum (si quae attulisset) reparationem offerret, neque consanguinei personae offensae processuri essent ad vindictam privatam contra offensorem impunitum; tunc persona ipsa offensa veniam concedere deberet; valde enim difficile esset quod solum ex sincera voluntate prospiciendi publico bono (quae tunc esset unica ratio vindictam petendi) veniam concedere nollet. S. Lig. (*Prax.* 38).

II. Non solum ad tuendum se ipsum, sed etiam ad tuendum proximum, iusta punitio quaeri potest. *Praxis* (*n.* 486).

III. Vindictae privatae sunt contra bonum commune, et legibus omnibus semper prohibitae fuerunt (unde non omnia quae desiderari, etiam effici possunt). Excipe vindictas parvi momenti (quae novas iniurias non sint provocaturae), speciatim contra pueros, filios, uxores etc. (ad correctionem). *Praxis* (*n.* 485).

2506. *Quid de imprecationibus seu maledictionibus?*

Qui imprecantur, quandoque mortaliter, quandoque venialiter, quandoque nihil peccant.

Peccatum mortale contingere potest dupliciter: 1. Si ex animo malum grave, absque fine cohonestante, proximo exoptetur deliberate seu cum sufficienti reflexione ad gravem huius actus malitiam (prout contingere solet in iis qui contra aliquam personam habitualiter, aut etiam propter offensam recenter receptam, magno odio aestuant); nec valet si poenitens dicat eo solo momento exoptasse ut malum vere accideret, et postea statim poenituisse (*S. Lig. Prax.* 36). 2. Si, imprecationes sine quidem animo graviter malevolo proferantur, sed graviter

iniuriosae vel turbativae sint; ut puta, si filius patri praesenti, vel etiam si pater, imprecationibus non assuetus, filio praesenti iam adulto grave malum imprecaretur etc.

Peccatum veniale contingeret 1. Si imprecationes essent de malo levi; 2. Si ore tantummodo et sine gravi offensa proferrentur; 3. Si ex ignorantia vel cum defectu plenae advertentiae, propter turbationem passionis, ex ore elaberentur. Notandum quod imprecationes in rudibus, ut plurimum communissimae, veniales esse, aut saltem tamquam veniales ab iisdem haberi, solent. 4. Si non contra proximum, sed contra alias creaturas sive animatas sive inanimatas ex ira vel impatientia (prout pariter inter rudes saepissime contingit) proferrentur. S. Lig. (*III.* 129), Scavini (*II.* 123) etc.

Nullum denique peccatum aderit si ex fine boni maioris, vel utcumque satis cohonestante, imprecationes iaciantur. Hinc (2. *Reg. I.* 21) legitur: « Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant « super vos.... ; quia ibi abiectus est clypeus fortium etc. ». Vide dicta *n.* 2389.

2507. Quaer. 1. *An sit peccatum maledicere Diabolo?* Aliqua culpa adesse potest propter impatientiam; sed non eo quod maledicatur Diabolus tamquam Dei inimicus et ruina nostra etc.

2508. Quaer. 2. *An imprecationes sint diversae speciei iuxta diversa mala quae in ipsis exprimuntur?* Negative ordinarie, quia animus esse solet exoptandi malum in genere, et per accidens est quod hoc vel illud malum exprimatur. Si tamen affectus esset revera ad malum expressum, praeferendo illud aliis, tunc differentia specifica formaliter interveniret, aliud est enim v. g. caecitatem, aliud mortem, aliud infernum etc. alicui exoptare.

2509. *Quid de verbis aut factis proximi praesentis honori detrahentibus?*

I. Huiusmodi sunt verba pungentia et offensiva, quibus proximo praesenti facinora aut defectus naturales quis exprobrat. Item facta sive positiva sive negativa quae despectum aut irreverentiam significant.

II. Interdum possunt esse immunia a quavis culpa; si nempe, v. g., ad iustam correctionem (prout facilius contingere potest in Superioribus), ad salutarem et necessariam humiliationem, ad iustae et moderatae indignationis ostensionem, vel etiam ad obtinendam alicuius momentosi iuris proprii satisfactionem (si alia media deficerent, et dummodo discretio, attento etiam scandalo, servetur) dirigerentur.

III. Sed ut plurimum haec sunt excessiva vel etiam iniusta prorsus; unde in verbis et factis huiusmodi ordinarie contra charitatem, imo etiam contra iustitiam, delinquitur.

IV. Ad aestimandum gradum culpae, considerari debet an agatur de re quae graviter pungat gravemque turbationem et afflictionem in proximo productura sit, attentis circumstantiis; cuiusmodi sunt speciatim 1. Res ipsa in se considerata (aliud enim est si furem vel adulterum, et aliud si mendacem aliquem dixeris); 2. An aliis praesentibus exprobratio facta fuerit (quo casu nedum contra honorem sed etiam contra famam iniuria contingeret); 3. An res exprobrata sit vera et publica, an vero calumniosa vel secreta; 4. An exprobretur perversitas in genere, an vero facta particularia cum circumstantiis indicentur; 5. Consideranda est praecipue conditio personarum; nonnulla enim verba, quae si contra personam civilem dicerentur gravissimam iniuriam continerent, fere nihil considerantur inter rudes; imo interdum sensum proprium nullatenus habent (unde matres filiis suis passim exprobrant esse filios meretricis).

V. Iniusta honoris laesio per se est reparanda. Sed quomodo? Si laesio fuit negativa, tunc ut plurimum sufficit si in posterum reverentiae signa praebeantur. Si vero laesio fuit positiva, tunc ordinarie aliquid amplius exigitur; nec familiaris allocutio, quae forte inter offensum et offensorem subsequeretur, reparationis debitum facile extingueret vel a parte offensi condonationem (si de re gravi ageretur) facile significaret. Si laesio honoris fuit publica, reparatio quoque publica esse, aut saltem publice innotescere, debet. Si Superior inferiorem dehonoravit, sufficere potest si illum amice salutet, honorifico nomine appellet etc. Inter aequales sufficere potest invitatio ad mensam, locum honorificum cedere etc. Si autem offensa fuit gravior, vel si inferior superiorem dehonoravit, tunc petitio veniae plerumque necessaria est. Haec petitio per litteras aut per intermediam personam peragi potest; sed iniuria potuit esse adeo gravis, ut offensus (et maxime superior) personalem veniae petitionem iure exigere possit. Attamen quoad irreverentias filiorum erga parentes, condonatio a parte parentum ipsorum (seclusa quoque veniae petitione) facilius praesumitur, nisi forte de re gravissima et valde extraordinaria ageretur. Idem dic de iniuriis satis frequentibus inter coniuges, fratres etc. Notari potest demum quod si cum honore fama quoque laesa fuisset; tunc non solum honor, sed etiam fama reparari deberet. Lhemkuhl (*I.* 1195).

2510. *Quid generatim de signis et officiis benevolentiae et obsequii proximo debitis?*

I. Alia sunt signa et officia *communia,* cuiusmodi censentur

resalutatio; responsio; preces quae fiant pro proximo in genere; salutatio anticipata erga Superiores, coniunctos, vicinos etc.; eleemosynae communes; venditio aperta omnibus; visitatio patris vel fratris infirmi; obsequia consueta erga Snperiores etc.

Alia sunt signa *specialia* seu amicabilia, ut inire amicitiam cum aliquo, eumque, v. g., anticipate vel festive salutare; ad convivium invitare etc.

II. A signis et officiis communibus nemo, non obstante offensa recepta, excludi potest; nisi iusta causa subsistat.

Iustae causae (ad tempus) esse possunt speciatim 1. Finis iustae (et maxime exemplaris) punitionis vel correctionis; 2. Iustae indignationis ostensio (cavendo tamen ne scandalum obstet); 3. Horror magnae iniuriae recentis; 4. Timor maioris mali, v. g., si salutatio odium vel rancorem esset renovatura, vel novas rixas provocatura, aut si de non obtinenda resalutatione timeri deberet etc.

Quod autem, praescindendo a legitimis excusationibus, signa communia praeberi debeant omnibus, atque etiam inimicis, patet quia eorundem omissio semper rancorem foveret; ordinarie offensorem pungeret et sic inimicitiam reciprocam in longum produceret; saepe denique scandalo locum daret.

III. Quoad signa specialia, Theologi dicunt nullam adesse obligationem ea praebendi. Sed haec doctrina cum mica salis accipi debet. Contingere enim potest 1. quod quis quaerere debeat inimicum pro reconciliatione; 2. quod amicus non debeat contristare amicum privando illum sua amicitia et salutatione, v. g., propter levissimam offensam vel amicabilem admonitionem, et quin (uno verbo) id meritus fuerit.

IV. Non facile iudicandum est de peccato mortali propter solam omissionem salutationis vel etiam resalutationis; facile enim vindicta illicita erit, sed non facile gravis. Attendendae sunt itaque circumstantiae, et speciatim 1. animi dispositio (et si ex iniuria vel rixa levi, discordia evenerit, non facile animi dispositio erit mala graviter); 2. temporis diuturnitas; 3. personarum qualitas; 4. scandalum (generatim quoad mulieres saeculares scandalum non erit grave).

2511. *Quot sunt media externis discordiis finem apponendi?* Aliquando exigitur reconciliatio formalis (it. *far le paci*); idque contingere solet si iniuriae atroces intercesserint, vel utcumque si odium (quavis abrupta relatione) fuerit profundum et diuturnum. Aliquando autem media minora sufficiunt, v. g.,

cessare ab iniuriis, litigiis etc.; aut aliquod ostendere reconciliationis desiderium, v. g., aliquid mutuum ab inimico ope filiorum petendo etc. Id autem contingere solet quando offensae non adeo magnae fuerint, aut reconciliatio formalis propter probabilem repetitionem offensarum (prout in litigiis foeminarum ordinarie accidit) inutilis futura esset.

2512. *Quotuplici ratione reconciliatio potest esse necessaria?* 1. Ad cessandum a rancoribus et offensis praesentibus; 2. ad praecavenda pericula futura; 3. ut cesset scandalum; 4. ut satisfiat personae offensae.

2513. *Quis debet esse prior in reconciliatione quaerenda?* Offensor. Si autem offensae fuerint mutuae, tunc qui magis; et, si fuerint aequales, tunc qui prior offendit; et, si non distinguatur quisnam ex aequaliter offendentibus prior offenderit, tunc eodem modo tenentur ambo.

Sed quid si offensor, aut qui utcumque deberet esse prior, reconciliationem non quaereret? Tunc (ob primas tres rationes praedictas) tenebitur alter, nisi gravi et proportionato incommodo excusetur; prout forte contingeret si ex una parte offensa recepta fuisset atrox, et ex alia ipse quasi reus pacem petendo nimis se humiliare deberet; quod tamen incommodum facile declinari solet curando ut tertia persona (quae motu proprio procedere fingat) se interponat.

2514. *Quid si offensus ab offensore veniae petitionem exigeret?*

Offensor sic etiam deberet offenso satisfacere, nisi iam alio modo aequivalenti (v. g., se humiliando, se retractando, poenam luendo etc.) ei satisfecisset; aut nisi veniae petitio eius gradui (cum detrimento auctoritatis) conveniens non esset, ut puta, si de Superiore, qui ad offensam atrocem non processerit, ageretur.

Etsi autem offensor ad veniam petendam induci nequiret, contingere posset quod offensus, ad evitanda mala quae ex inimicitiae continuatione oriri possent, nihilominus ad reconciliationem devenire debeat (Charitas non quaerit quae sua sunt).

D.

De operibus misericordiae corporalis, et speciatim de eleemosyna.

2515. *In quo consistunt opera misericordiae corporalis?* In subsidiis gratuitis, quae proximo corporaliter indigenti ex motivo christianae charitatis suppeditantur. Ut plurimum consistunt in eleemosyna; sed consistere possunt etiam in aliis rebus; ut puta, dum quis procuret ut pauperes subsidia habeant ab aliis personis. vel dum medicus vel advocatus gratis operam suam praestet etc.

2516. *Eleemosyna (et in genere sublevatio indigentium) caditne sub vera obligatione?* Utique.

Patet 1. ex praecepto diligendi proximum; nunquid enim amaret proximum, qui illum indigentem commode sublevare posset neque sublevaret? Patet 2. ex pluribus textibus Sacrae Scripturae. « Qui habuerit substantiam huius mundi, « et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, « quomodo charitas Dei manet in eo? » (*I. Io. III*). « Divitibus huius saeculi « praecipe facile tribuere » (*I. Tim. VI*). « Qui habet duas tunicas, det non « habenti; et qui habet escas, similiter faciat » (*Luc. III*). « Quod superest, « date eleemosynam » (*Luc. XI;* sed hunc textum habere alium sensum censet Caietanus in h. l.). « Vestra abundantia illorum inopiam suppleat » (2. *Cor. VIII*). « Eleemosynam pauperis ne defraudes » (*Eccl. IV*). « Discedite « a me maledicti in ignem aeternum....; esurivi enim, et non dedistis mihi « manducare etc. » (*Matth. XXV*). Patet 3. ex scandalo et infamia divitum qui eleemosynas non faciunt. Patet 4. ex peccatis innumeris, quibus (miserias non sublevando) occasio datur. Patet 5. ex prop. damnata ab Innoc. XI. (*n. XII*) quae dicebat: « Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, super« fluum statui; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tan« tum ex superfluo statui ». Patet denique ex Patribus. S. Ambrosius, v. g., (*De Off. I.* 31) dixit: « Grandis culpa est, si, te sciente, fidelis egeat; si scias « eum fame laborare, aerumnam pati, praesertim si mendicare erubescat ».

2517. *An adsint personae, quae pauperum curam specialem habere teneantur?* Affirmative; scilicet Sacerdotes; maxime vero Episcopi, Parochi et Concionatores.

De Episcopis et Pasochis dicit Tridentinum (*XXIII. I*) « Cum praecepto « divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est,.... pau« perum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere etc. ». Et Caeremoniale Episcoporum de Episcopo moribundo dicit: « Convocet Ca» nonicos, Parochos et Curatos omnes.... et..... commendet illis pauperes, vi« duas, orphanos et loca pia ».

Sanctissimus autem D. N. Leo XIII in sua novissima et celeberrima encyclica *Rerum novarum* in memoriam revocat Diaconos, quibus ab Apostolis datum fuit negotium ut quotidianae beneficentiae exercerent munia, quaerendo

pauperes eisque distribuendo pecunias a christianis in unoquoque conventu ultro collatas, quas Tertullianus *deposita pietatis* nuncupat; unde tunc nullus *egens erat inter illos* (Act. IV. 34). Imo subdit Summus Pontifex quod Paulus Apostolus, etsi sollicitudine districtus omnium Ecclesiarum, nihilominus dare se in laboriosa itinera non dubitavit, quo ad tenuiores christianos stipem praesens efferret. Loquens autem de Sacerdotibus omnibus et speciatim de Concionatoribus, dixit: « Intendant omnes animi industriaeque vires ministri « sacrorum. vobisque, Venerabiles Fratres, auctoritate praeeuntlbus et exem- « plo,..... omni qua possunt ope pro salute populorum contendant, potissi- « mumque studeant et tueri iu se, et excitare in aliis, summis iuxta atque « infimis, omnium dominam ac reginam virtutum, charitatem ».

2518. *Quid exigitur ut eleemosynae obligatio subsistere possit?* 1. Possibilitas in dante, 2. Necessitas in recipiente: quae (ut declaravi *n.* 2487) extrema, vel quasi extrema, vel gravis, vel communis esse potest.

2519. *Quandonam aderit possibilitas in dante?* Quando sat commode dare possit. Equidem si de magnis et extraordinariis malis publicis (nostri loci) ageretur, contingere posset quod etiam cum gravi vel gravissimo incommodo (si opera nostra necessaria et utilis futura esset) eis occurrere teneremur; sed, loquendo de necessitatibus huic vel illi particularibus, iam vidimus (*n.* 2490) quod nemo (et nequidem si esset dives) tenetur pro alio (etiam extreme indigenti) subire incommodum valde grave (v. g., erogare magnam pecuniae summam), quod ne pro sua quidem vita conservanda subire teneretur. Pro malis autem publicis, sed non extraordinariis, aderit quidem obligatio contribuendi ultra id quod pro uno dumtaxat (etiam extreme indigente) contribuere deberemus; sed non ita ut onera intolerabilia quisquam sustinere debeat, prout communi sensu (et ex necessitate quod in societate adsint divites et pauperes) manifeste patet. Ex hoc autem duae sequuntur consequentiae:

I. Ordinarie (ut supra innui *n.* 2494) non adest obligatio inquirendi pauperes et indigentes; sed potest expectari petitio. Dixi *ordinarie;* excipi debet enim 1.° Casus Episcopi et speciatim Parochi, qui pauperum curam paternam habere debent, ut supra vidimus, atque adeo (speciatim si de magna indigentia familiae verecundae suspectum habeant) inquirere tenentur. 2.° Casus in quo quis de necessitate vere extrema certus sit vel grave dubium habeat. (Cf. Ballerini *Op. Th. l. c. n.* 127. *et seqq.*) 3.° Casus divitis, a quo, propter notissimam avaritiam et firmum usum denegandi eleemosynam, iam nemo illam petere audeat.

II. Non cuilibet eleemosynam vel subsidium petenti subvenire tenemur.

Scripsit D. Th. (*Quodl. VIII.* 12) ; « Si non appareant (signa extremae « necessitatis), tunc non tenetur (dives) dare pauperi petenti ; quia, quamvis « teneatur dare superfluum (*intellige partem superflui, ut statim videbimus*) « pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare, sed tenetur di- « stribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum ».

2520. *An qui non est dives, ad subveniendum proximo, etiam ope eleemosynae, teneri possit?* Affirmative. Sed, ut bene hoc intelligatur, praenotandum est quod alia sunt bona stricte necessaria vitae (quibus scilicet ad alendum se ipsum et familiam quis prorsus indigeat); alia vero sunt bona superflua vitae, sed necessaria statui praesenti (quibus scilicet nedum utcumque sed decenter iuxta praesentem suam conditionem quis vivere possit); alia denique sunt superflua etiam statui praesenti, etsi ad comparandum statum altiorem deservire possint. Qui autem non est dives posset habere 1. sola bona necessaria vitae; 2. sola bona necessaria vitae et statui; 3. etiam bona superflua statui. His praemissis, sic dico:

I. Si proximus versetur in necessitate extrema, tunc (dicente S. Ambrosio : *Pasce fame morientem ; si non paveris occidisti*) adest obligatio (etiam in non divite) eidem succurrendi, non equidem ex bonis necessariis vitae (omitto quaestionem si persona a morte salvanda esset necessaria aut quam maxime utilis Religioni vel Societati. *Baller. Op. th. V.* 110); sed ex bonis necessariis statui; ita tamen ut quis non iam a statu suo prorsus decidere (v. g. artifex ad mendicitatem se reducere ; ad quod nequidem pro se aut filiis quisquam teneretur *); bene vero alicui non magno detrimento circa res statui suo necessarias (si id oporteat) se subiicere teneatur ; ut optime explicat Viva (*Pr. XII. Innoc. XI. n.* 6). Casus esset si ad redimendam personam a latronibus illam occisuris, quis deberet solvere aliquam non magnam summam, qua caeteroquin indigeret ad novas vestes iuxta suum statum sibi comparandas, unde vestibus detritis per plures menses vel annum cum aliquo dedecore adhuc uti cogeretur.

II. Quod de necessitate extrema dictum est, de necessitate quoque gravissima et quasi extrema dici debet. Ita communius cum Viva (*l. c.* 8).

III. In necessitate gravi dumtaxat, et a fortiori in necessi-

* Nec valet ratio boni maioris ; quod scilicet vita alterius praevalet nostris bonis fortunae ; in contrarium enim est quod charitas incipit a semetipso, et quod nemo tenetur recidere sibi brachium ad salvandam suam vitam ; ut bene arguit Viva.

tate communi, succurrendi cuiquam ex bonis necessariis statui non datur obligatio. Viva (*l. c.*). Si tamen quis (etsi non dives) superflua statui haberet, et gravem aliquam proximi sui necessitatem conspiceret, dicerem quod (deficientibus aliis) eidem subsidium (si quid minimum sufficeret) praebere deberet.

2521. *An et quando obligatio faciendi eleemosynam urgeat sub gravi quoad divites?*

Hoc in puncto confusio magna invenitur apud Theologos, quorum plures dicunt non constare de obligatione gravi in communibus vel etiam in gravibus pauperum necessitatibus; sed sufficere (ad evitandum peccatum mortale) si divites solis necessitatibus extremis prospiciant. Auctores qui ita sentiunt citantur a S. Lig. (*II. 31. Resp. 2. et 32*) et a Ballerinio apud Gury (*I. 228*). Sed haec doctrina tamquam falsa et perniciosissima reiici debet.

Ego censeo divites omnes, qui habeant superflua statui praesenti, teneri sub gravi eorundem superfluorum partem (prout infra explicabitur) quotannis distribuere pauperibus; ita tamen ut possint negligere necessitates communes, et vel praeferre illis necessitates graves (et multo magis extremas vel quasi extremas); vel accumulare capitalia ad fundanda opera pia sive pro pauperibus, sive etiam (discretione servata) pro cultu divino, dummodo a scandalo praesenti caveant, atque ita tuto procedant ut haec opera suo tempore vere fundentur.

Rationes sunt seqnentes: 1. Sola conscientia gravis obligationis efficere potest ut divites eleemosynae oneri (quod utique per se est satis incommodum) se subiiciant; patet enim ex facto, quod pari passu quo talis evanescit conscientia, charitas quoque evanescit, et miseria horribiliori modo semper adaugetur. Sic autem (ut bene notat Viva *l. c. IV*) nonne pauperes innumeri ex ordinariis in gravissimas et quasi extremas necessitates prolaberentur? 2. Doctrina de restringenda obligatione ad necessitates extremas (qui casus est vix practicus) quomodo componi potest cum verbis supra citatis Apostoli dicentis: « Divitibus praecipe *facile* tribuere? »: et si obligatio non esset gravis, eccur dixisset Ioannes (*l. c.*): « Quomodo charitas Dei manet in eo? ». Imo qua ratione Iesus Christus supposuit denegationem eleemosynae esse peccatum valde commune et dignum damnatione aeterna, dicendo: « Ite maledicti in ignem aeternum; esurivi enim etc. »?

II. Quod autem divites non teneantur dare pauperibus superfluum totum, patet tum communi sensu theologorum; tum quia, sublata facultate adaugendi propria capitalia, ipsi animo deiicerentur, fundorum melioramenta negligerent, et otio vitiisque magis magisque indulgerent. Adde scrupulos et conscientiae angustias, si meticulosi et mediocriter divites essent.

III. Probabile autem est sufficere si quinquagesimam partem, scilicet 2 per 0/0, ex superfluis annuatim elargiantur, et interdum etiam minus; dicente S. Lig. (*Hom. Ap. IV.* 19): « Sufficit si detur quinquagesima pars annuorum proventuum, qui

« supersunt, ut probabiliter dicunt multi Doctores ... ; et, si « redditus sint pinguiores.... minus quinquagesima parte ».

IV. Ad determinandam partem reddituum quae ad decentiam status conservandam necessaria est, valent sequentes advertentiae: 1. Ad hanc decentiam conservandam pertinent ea omnia quae requiruntur non solum ad filios et famulos decenter sustendandos, sed etiam ad hospites excipiendos, atque ad convenientes donationes, convivia, et moderatas magnificentias exhibendas (*S. Lig. II.* 32). 2. Ea autem quae in fastu excessivo, vel in vitiis insumerentur, certe non essent computanda, et perinde foret ac si adhuc extarent. 3. Item nihil vel parum sunt computanda infortunia quae facile statim vel tractu temporis resarciri possint (Ballerini *Op. th. V.* 109); et similiter non erit computandum aes alienum quod in emendis novis possessionibus contractum fuisset; et solum ea pars possessionum ipsarum quae aeri alieno correspondet, tamquam non existens considerari poterit. 4. Praecise determinare summam necessariam ad decentiam status (eo quod res ista magnam et subinde maximam latitudinem habere possit) impossibile est; et proinde arbitrio et discretioni viri prudentis iudicium remitti debebit. Cf. Ballerini (*l. c.* 108).

V. Piae matronae quae manu propria laborant pro pauperibus (v. g., ad vestes eis conficiendas), certe hunc laborem inter eleemosynas computare poterunt.

VI. Dixi supra permitti posse (secluso scandalo) ut, loco faciendi minutas eleemosynas, accumulentur capitalia ad pium benificentiae opus instituendum; idque docet etiam S. Lig. (*l. c.*) cum aliis. Sed quid si quis crederet se excusari ab eleemosynis faciendis, eo quod cogitet de aedificando templo vel collegio etc.? Suarez (*De Char. VII.* III. 9) illum vere excusari censet; sed addit limitationem, nisi occurrant graves necessitates. Certe ego dicerem non excusari divites qui pauperibus eleemosynas non praebent, dicendo quod pecuniam, quam illis dare possent, in piis confraternitatibus, missis, festis etc. insumunt.

2522. *Regula quod sufficiat dare pauperibus praedictam exiguam partem superfluorum, valetne etiam quoad beneficiatos?* Negative. Ipsi superflua omnia; scilicet quidquid de fructibus beneficii superest honestae sustentationi, erogare tenentur ex toto in usus pios. Episcopi autem et Parochi non in quemcumque usum pium, sed, saltem in parte, in levamen pauperum sibi subditorum ea erogare debent; prout suo loco melius videbimus.

2523. *An aliqui pauperes ab eleemosynis sint excludendi?* Affirmative; si nempe eleemosyna in malum redundet; prout contingere solet in fictis pauperibus qui, ut otio et vitiis indulgeant, elemosynam quaerunt; aut in quibusdam mulieribus quae sinistris intentionibus vel certe cum magno periculo in gyrum se conferunt etc. Scrupuli tamen non essent iniiciendi si ex eleemosynae recusatione molestiae sequerentur et nihil boni obtineretur.

2524. *An quis ab eleemosynis excludere possit inimicum suum?* Ex vindicta excessiva (prout certe contingeret si inimicus in extrema necessitate versaretur), negative. Ex fine rationabili (v. g., ad correctionem salutarem vel ad ostendendam iustam indignationem per aliquod tempus), affirmative.

2525. *Quaenam sunt rationes praeferendi pauperem alteri pauperi?*

Per se praeferri deberent pauperes magis indigentes (quales praecipue esse solent qui verecundantur). Dixi *per se;* interdum enim praeferri possunt minus indigentes propter maiorem coniunctionem (v g., si pauper esset consanguineus, benefactor, amicus etc.); vel propter maiorem bonitatem; vel propter motiva spiritualia (v. g., ne pauper subiiciatur periculo peccandi); vel denique propter maius meritum, si nempe pauper esset noster inimicus; tunc enim maior difficultas, et pura ratio illum sublevandi ex solo amore Dei, utique efficiunt ut meritum adaugeatur (*D. Th.* 2. 2. *XXVII.* VII).

2526. *Quid de pauperibus voluntariis?*

I. Si hic et nunc proprio labore possunt victum sibi procurare, et ex solo fine laborem declinandi, vagabundos se constituendo, eleemosynas quaererent, etsi caeteroquin vitiis non indulgerent, subsidio indigni essent.

II. Si hic et nunc proprio labore sibi providere nequeant, eleemosyna digni sunt, etsi ex propria culpa in huiusmodi circumstantias se coniecerint.

III. Religiosi qui ad sequendum Christi consilium omnibus suis rebus renuntiant, et paupertatis voluntariae votum emittunt; non solum ex motivo gratitudinis (quia scilicet pro populo orant vel alia spiritualia ei ministrant), sed etiam ex motivo christianae charitatis (quia scilicet revera sunt pauperes, eorumque paupertas nullatenus est reprobanda) eleemosynas merentur (*Ballerini l. c. n.* 143).

2527. *Ex quibus bonis eleemosynae fieri possunt?* 1° Ex bonis propriis, quorum libera habeatur administratio, atque in

hunc finem sint ita disponibilia, ut alia officia graviora non laedantur; 2° Etiam ex bonis alienis in duobus casibus. Primus est si praesumptus domini consensus interveniat. Secundus est si proximus in extrema necessitate versetur. In hoc postremo casu omnes (qui rem animadvertunt) tenentur pro rata. Cf. Gury (*I.* 228. *q.* 4. *c*).

2528. Hinc *uxores, filii familias* et quandoque etiam *famuli*, ex bonis mariti, patris, et heri, facere poterunt eleemosynas iuxta expressum, vel tacitum, vel praesumptum eorundem consensum; sed non ultra; ita tamen ut excipienda sit uxor, quae ad faciendas aliquas eleemosynas omnino convenientes (non obstante irrationabili contradictione mariti) ius haberet (*Prax. n. 1259*). Idem dic de uxoribus quoad bona dotalia, et de filiis familias quoad bona adventitia; administratio enim illorum ad maritum, et istorum ad patrem spectat (*Prax. n. 1460. 1461*). Uxores tamen ex fructibus bonorum extradotalium, nec non ex pensione (si illam habeant) quae it. dici solet *spillatico* (si post expensas necessarias, v. g., pro vestitu, aliquid supersit), eleemosynas libere facere poterunt. Idem dic de filiis familias, si habeant bona profectitia (*Prax. l. c.*).

Tutores et *Curatores* possunt facere solum modicas eleemosynas ex bonis pupillorum vel minorum, quae administrant, quales nimirum ex stricta obligatione pupilli vel minores ipsi facere tenerentur; non vero abundantius.

Administratores locorum piorum, conventuum, collegiorum etc., quorum bona non ad eleemosynas faciendas, sed ad alios fines stabilita sunt, nullas ex iisdem bonis eleemosynas facere possunt. Baller. (*Op. th. V. 144*).

2529. Dixi quod bona in eleemosynis elargienda debent esse *ita disponibilia ut alia officia graviora non laedantur*. Tobias dicebat: « Quo modo poteris esto misericors »; quid enim v. g. si quis, ultra vires eleemosynas faceret, vel propter illas ad restitutiones exequendas, ad debita solvenda, ad familiam alendam etc. se impotentem redderet?

2530. *Quo modo eleemosynae fieri debent. ut vere fiant ex christiana charitate et pariant meritum?* 1° Amore Dei (non vero ex respectu humano, aut vanagloria etc.); 2° Libenter (non vero aegre atque solum ad vitandam molestiam); 3° Occulte (scilicet quoad eleemosynas momentosas vel pauperes verecundos); *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* 4° Caute. Intellige si aliquod inconveniens sequi posset; v. g., ne subveniendo mulieri suboriatur scandalum, aut ne eleemosynae momentosae evadant inutiles vel noxiae etc.

2531. *Quid si parochus quamdam summam (v. g., relictam a divite defuncto) omnibus paroeciae suae pauperibus in eleemosynam distribuere debeat?* Invitet pauperes, eorumque advenientium nomina scribat. Deinde scribat etiam nomina pauperum verecundorum (si adsint) qui se non praesentaverint. Faciat divisionem, et sine differentiis (quae nimiis contentionibus locum darent) suam quotam unicuique tribuat.

2532. *Quomodo dimittendi sunt pauperes, quibus petentibus eleemosyna fieri non possit?* Non dure, sed bonis modis proce-

dendum est. Cum ipsis pauperibus fictis obiurgationes ordinarie non sunt faciendae. Ut plurimum expedire solet ut prima vice aliquid tribuatur; et postea diminutio ita fiat, ut ille, cui amplius subsidium dari non vult, per se ipsum cesset.

2533. *Quid de locis, ubi in hospitiis mendicitatis pauperes publicis stipendiis aluntur; atque pauperibus eleemosynae petitio interdicitur?*

I. Illuc pauperes imminuentur; sed miseriae plurimae remanebunt; imo aliquae valde graviores evadent. Non obstante autem interdictione petendi eleemosynam, miseriae ipsae patebunt.

II. Exercitio itaque christianae charitatis adhuc locus remanere, et adhuc sub obligatione illa cadere poterit.

III. Sed taxae, quas Gubernium vel Municipium in hunc finem coacte exigit, possuntne tenere locum eleemosynarum, quae ex christiana charitate fieri debent? Ballerini (apud Gury *n.* 229. *a*) dicit illas in hunc finem plus vel minus valere posse. Idque mihi quoque verum videtur, dummodo 1° hac bona intentione solvantur; 2° pauperibus detur reliquum, si quod pro taxa solvitur non pertingat ad summam, quae in eleemosynis impendi debet. In dubio (si nempe ignoretur qualis summa pro pauperibus in taxis solvatur) in favorem pauperum (maxime in necessitatibus non communibus) iudicandum erit.

2534. *Quid de collectis, quae in pauperum levamen non ex charitate christiana, sed ex moderno naturalismo, seu fine phylantropico, variis modis ab hodiernis liberalibus fieri solent? Licetne ad collectas huiusmodi concurrere?* Praenotandum quod Phylantropi isti ut plurimum in operibus suapte natura bonis mala (et quidem saepe magna) immiscere solent. Unde sic dico:

I. Si Catholici habeant opera ad eundem finem talis vel talis miseriae sublevandae directa: tunc ad sua, non vero ad vitiata illa opera, concurrant. (Nefas enim est concurrere ad malum, nisi excusatio legitima subsistat).

II. Si Catholici opera similia non habeant, tunc vel malum commixtum est tale ac tantum ut melius esset quod opus illud (pro quo collecta fit) non subsisteret; vel e contra (non obstante commixtione mali) melius est ut opus ipsum adsit. In primo casu concurrere non licet; in secundo licet.

2535. *Quid de concursu ad publica solatia (v g. comoedias, choreas, cantum, musicam, lotheriam, etc.), quae* Beneficentiae *dicuntur; in quibus scilicet quod solvitur pro interventu, ad subveniendum alicui hamanae miseriae, in toto vel in parte erogabitur?* In hoc quoque casu vix concipitur quomodo charitas christiana locum habere possit. Ubinam amor Dei? Ubinam tristitia de malo proximi? Ubinam sacrificium in rebus huiusmodi? Non nego tamen quod, si de simplici lotheria aut aliis rebus innoxiis agatur, charitas christiana locum habere posset, speciatim quoad promotores, maxime si alia media necessitati vel pio operi nullatenus vel non ita copiose deservirent.

2536. *Qui ex vanagloria, vel quadam coactione, vel ex*

fine phylantropico seu (uno verbo) absque fine christianae charitatis, pauperibus subsidia tribuerit, tenebiturne ad novas eleemosynas elargiendas perinde ac si nihil hucusque pauperibus tribuisset? Mihi videtur quod meritum quidem non habuerit; sed, si miserias levamine dignas sublevaverit, ad repetenda subsidia (perinde ac esset de eo qui restitutiones coacte adimplevisset) non teneatur. Dixi si miserias levamine dignas sublevaverit; aliud enim esset si subsidia illa ad aleudos otiosos vel ad provocandas aut tuendas iniquitates, erogata, vel si ex toto vel ex parte direptionibus exposita fuissent.

E.

De correctione fraterna.

2537. *Quid est correctio fraterna?* Est veluti eleemosyna spiritualis, et definiri potest: *Monitio qua quis christiana charitate peccatorem a peccato avertere conatur.*

2538. *Potestne cadere sub obligatione?* Affirmative. 1° ex lege naturali; si enim proximo temporaliter indigenti succurrere tenemur, quanto magis si spiritualiter indigeat? 2° ex praecepto positivo: « Corripe amicum..... ne iterum addat facere..... « Corripe proximum,... ne forte iteret » (*Eccl XIX.* 13).

Adducitur textus Matth. XVIII. 15: « Si peccaverit in te frater tuus, « vade et corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris « fratrem tuum. Si autem te non audierit adhibe tecum adhuc unum vel duos « etc. ». Equidem his et sequentibus verbis Iesus Christus loquitur de modo reconciliationis efficiendae et iustae iniuriarum reparationis obtinendae. Attamen interpretes communiter ad probandam quoque obligationem correctionis fraternae faciendae hoc textu utuntur.

2539. *Quotuplex potest esse correctio?* 1° Expressa et aperta; 2° tacita (scilicet facto aliquo, v. g., turbatione vultus, manifestata); 3° indirecta (v. g., fingendo loqui de aliis, vel impellendo ad confessionem, concionem etc.); 4° secreta; 5° publica vel coram aliis.

2540. *Quinam teneri possunt ad aliquem corrigendum?* 1° Superiores; qui nedum propter rationes praedictas, sed etiam ex officio ad corrigendum tenentur; 2° Personae privatae; quae tamen modo per se et modo per Superiores (eis rem denuntiando) proximi emendationem procurare possunt.

2541. *Loquendo de personis privatis, quid exigitur ut quis ad correctionem expressam et apertam faciendam teneri possit?* Exigitur 1° ut non debeat formidari quod correctio futura

sit noxia (tunc enim potius ex charitate omitti debet); 2° ut existimari non debeat inutilis; 3° ut sit necessaria; 4° opportuna ; 5° sat facilis (saltem ordinarie). Ad iudicandum autem de huiusmodi, deservire poterunt circumstantiae.

2542. *Quaenam circumstantiae suppeditare poterunt motivum formidandi quod correctio futura sit noxia?* 1° Delicti exprobrati gravitas, vel incertitudo ; 2° Personae corrigendae dignitas, maxime vero indoles superba, iracunda, perversa, aut prorsus ignota ; 3° Personae corrigentis inferior conditio, vel nulla familiaritas, nulla amicitia ; maxime vero positiva discordia ; 4° Correctionis publicitas vel durities.

Haec omnia facile efficere possunt ut correctio in malam partem accipiatur, atque id unum accidat quod correctus contra corrigentem et delatores (sive cognitos sive suspectos) odium concipiat, et non iam se emendet (quod enim offendit non convertit), sed forsan peius faciat. Tunc autem correctio omitti nedum poterit, sed debebit, ut dixi.

Correctio tamen ut noxia consideranda non esset, si nocumentum quod timetur (v. g., momentanea excandescentia) in comparatione boni quod speratur, parum foret aestimandum ; maxime vero si ageretur de casu magnae necessitatis, v. g., de morituro in evidenti peccato mortali.

2543. *Cur dixisti correctionem (ut illam peragendi obligatio subsistat) existimari non debere inutilem ; et quandonam ut inutilis habenda erit?*

Iam per se patet quod ad correctionem inutilem (quamvis non noxiam) nemo teneri potest; unde (loquendo semper de solis personis privatis) oportet ut evitatio delicti et emendatio delinquentis saltem ad tempus speretur.

Inutilis autem ut plurimum censenda est, si de iis agatur, qui aut 1° non iam ex fragilitate vel ignorantia, sed ex profunda malitia peccant (*Perversi difficile corriguntur.* Eccl. I. 15); aut 2° vitio antiquo laborent ; aut 3° iam alias inutiliter correcti fuerint; aut 4° multas conciones frustra audierint; aut 5° superbi et praepotentes sint. Idem dic 6° si qui corrigit eodem vitio notorie laboraret ; vel 7° a delinquente nihil aestimaretur, vel 8° si utcumque esset ad corrigendum ineptus.

Perinde ac inutilis censenda esset quoque correctio, si aeque sperandum et timendum foret. Dixi *aeque;* supposita enim praeponderantia manifesta, si spes boni effectus excedat timorem mali maioris, tunc correctio tamquam utilis ; et in casu contrario tamquam noxia (et proinde omittenda) haberi debebit.

2544. *Cur dixisti correctionem debere esse necessariam?*

Quia obligatio correctionis adesse nequit, si proximus aequale vel maius auxilium habebit ab aliis, vel si per se ipsum sibi prospiciet. Si autem futurum sit ut sibi non prospiciat, hoc duplici modo accidere potest; vel enim (v. g., propter magnam vim tentationum, difficultatem accedendi ad Sacramenta, ignorantiam etc.) difficile, vel e contra facile sibi prospicere posset. In primo casu obligatio correctionis valde urgere potest sed in secundo multo minus.

2545. *Cur dixisti correctionem debere esse opportunam?* Quia, si futurum sit ut correctio alio tempore (v. g. quando ira erit sedata), alio loco, vel ab alia persona, cum maiori efficacia et securitate peragatur; tunc nequit adesse obligatio illam peragendi; imo interdum differri deberet, quamvis relapsus praeviderentur. Exemplum habes in marito vel hero, qui expectent reperire uxorem vel famulum in flagranti etc.

2546. *Cur denique dixisti correctionem* (*ut sub obligatione cadat*) *ordinarie debere esse satis facilem?* Quia exceptis casibus gravissimis (v. g. magni scandali, aut imminentis periculi damnationis aeternae) charitas non obligat cum gravi incommodo. Hoc valet speciatim 1° si fructus parum speretur; 2° si peccator facile et cum minori incommodo sibi prospicere posset. Notandum quod inter graves difficultates recensenda est etiam magna verecundia vel naturalis repugnantia, maxime si ageretur de inferiore qui Superiorem corrigere deberet.

2547. *Obligatio correctionis fraternae potestne urgere frequenter?* Negative; ut plurimum enim esset vel noxia, vel inutilis, vel non necessaria, vel non opportuna, vel nimis incommoda; imo, si frequenter urgeret, iam ex hoc ipso nedum nimis incommoda, sed iam prorsus intolerabilis evaderet.

Hinc I. propter sola peccata venialia ordinarie sub obligatione (secluso officio, de quo infra) cadere nequit. Dixi *ordinarie;* aliquando enim, stante magna familiaritate et confidentia, aliqua levis obligatio in casibus rarissimis intervenire posset. Ballerini (*Op. th. V. 156*).

II. Scrupulosi (qui, si ad correctiones faciendas obligarentur, infinitis angustiis subiicerentur, et innumeras imprudentias committerent) ab hac obligatione (excepto casu evidentissimo) eximuntur.

III. In personis privatis non adest obligatio inquirendi peccatores, et indagandi facta aliena. Imo talis exploratio vitiosa est, quia odia et dissensiones provocat; homines enim moleste ferunt sua alios facta scrutari; imo suapte natura talis inquisitio iniuriam infert proximo, cuius pacem turbat atque illius honori et aestimationi adversatur, quam de se optimam omnes haberi cupiunt. S. August. (*De Verb. Dom. XVI*) dixit: « Admonet nos Dominus noster non « negligere invicem peccata nostra, non quaerendo quid reprehendas, sed « videndo quid corrigas ». Et *Prov. XXIV. 15* legitur: « Ne quaeras impieta- « tem in domo iusti, et non vastes requiem eius ».

2548. *Quinam itaque essent casus practici, in quibus fraternae correctionis obligatio vere occurrat?* Casus huiusmodi occurrunt speciatim inter consanguineos et amicos, v. g., ut magnum aliquod delictum impediatur; ut pax aliqua concludatur; ut matrimonium ecclesiasticum (civili iam contracto) celebretur; ut in paschate, maxime vero in morte, Sacramenta recipiantur etc. Dixi *speciatim inter consanguineos et amicos;* interdum enim casus huiusmodi verificantur etiam in aliis, v. g., data opportunitate, sermone casu introducto etc.

2549. *An inferior teneri possit ad corrigendum Superiorem?* Affirmative, etsi rarius, atque adhibito speciali respectu. Casus contingere potest speciatim in uxoribus, et filiis.

2550. *An adesse possit obligatio correctionem iterandi?* Affirmative, si speretur fructus. Chrysostomus scripsit: « Dixisti semel et non audivit: dic « bis et ter et toties donec persuaseris ».

2551. *An obligatio correctionis in re gravi urgeat sub gravi?* Loquendo semper de personis quae non ex officio sed ex sola charitate corrigere tenentur, raro vel rarissime urget sub gravi. Enimvero 1° iam vidimus quod obligatio corrigendi raro urget; 2° Homo sub gravi teneri quidem poterit ad corrigendum si haberet magnam spem obtinendi emendationem mali habitus; non vero solum ad impediendum aliquod peccatum, mortale, nisi gravissimum, vel multorum malorum causa esset (Cf. *Praxis n.* 804. 590); 3° Contingere potest quod incommodum correctionis faciendae sit tale, ut non a culpa totaliter sed ab eius gravitate excuset; 4° Contingere potest etiam quod quis paratus ad corrigendum, quando sub gravi ad id teneretur, aliquantulum lente procedat et sic venialiter peccet (Cf. D. Th. 2. 2. *XXIII.* II); 5° Auctores sic communiter docent, inter quos Sà dixit: « Omittere correptionem fere semper veniale pecca- « tum est ».

2552. *Correctio habetne pro obiecto solum bonum delinquentis?* Saepe respicit etiam bonum aliorum; si nempe delinquens scandalum inferat, vel alia mala contra proximum vel Religionem machinetur. Hinc tria consequuntur: 1° Correctio tunc gravius obligat; 2° Contingere potest quod fieri debeat non obstante exigua spe fructus; imo 3° quamvis delinquenti prorsus inutilis futura esset, si nihilominus scandalum destruere vel imminuere apta foret, ut puta, si quis impiis sermonibus Religionem impeteret magnumque audientibus scandalum inferret, et tu cum triumpho illum confutare, obiurgare et plene confundere posses.

2553. *Quid de denuntiatione ad Superiores?* Haec cadit sub

obligatione I° Si leges positivae (ut in casu sollicitationis), vel regulae Communitatis illam exigant; II° Si lege naturali praecipiatur.

Ut autem ex lege naturali fieri debeat, oportet 1° ut non sit censenda inutilis (prout si praesumendum esset quod Superior iam rem sciat, vel nullum remedium apponere possit); 2° ut sit necessaria vel saltem magis utilis; si enim correctio fraterna aeque deserviret, tunc denuntiatio evitari nedum posset sed deberet. (Notandum quod si res certum et promptum remedium omnino exigeret, et correctio fraterna dubii exitus foret; tunc illa non esset tentanda, sed directus recursus ad Superiorem fieri deberet). Oportet 3° ut denuntiatio nimio incommodo aliisve malis consequentiis non excusetur. Ad iudicandum autem an tale vel tale incommodum excuset, quanta sit tum rei gravitas et urgentia, tum spes remedii a Superiore apponendi, considerari debebit. Quia autem denuntiationes, si deberent esse frequentes, nedum ex hoc ipso valde incommodae essent, sed etiam malas consequentias (scilicet odia, vindictas, persecutiones etc.) et saepe sine ullo fructu provocarent; ideo earundem obligatio nonnisi in casibus raris urgere potest.

Casus, in quibus haec obligatio communiter recognoscitur, verificari solent speciatim in collegiis et seminariis, et aliquando etiam in scholis, familiis et paroeciis, si forte aliquid occulte machinetur vel perpetretur, de quo rector, magister, pater, aut parochus nullo modo aut non ita cito notitiam habere possit, et res eiusmodi sit, ut promptum validumque remedium exigat. Haec autem obligatio sub mortali atque adeo sub poena denegandi absolutionem facile urgebit. Alius casus esset si Sacerdos quoad mores aut fidem petra scandali foret, et coniici posset quod Episcopus nihil sciat, atque admonitus remedium apponere possit.

In his tamen casibus caute procedendum, ne forte innocens, vel ex fragilitate semel aut raro lapsus, vel iam emendatus, cum gravissimo suo damno apud Superiorem infametur, maxime vero si Superior non multa prudentiae laude gauderet. Et ratio est quia charitas, si nos obligat ad procurandum bonum proximi, nos obligat etiam ad vitanda eius damna, quantum fieri potest.

255I. *An correctio fieri possit vel debeat etiam propter peccata materialia, quae quis ex mera ignorantia committit?*

Correctio huiusmodi (quae potius dici deberet instructio) speciali modo potest esse noxia propter periculum ne subiectus ex peccato materiali in for-

male coniiciatur. Quatenus autem id tantummodo expectandum esset, vel timor huius mali magis aestimandus foret quam spes fructus; tunc, ex ipsa lege charitatis, admonitio non iam fieri sed omitti deberet. Exemplum datur in coniugibus, qui matrimonium invalidum contraxissent, eoque bona fide uterentur, credendo esse validum.

At vero in multis casibus, quando scilicet vel nihil mali timeatur, vel bonum quod speratur malo quod timetur praevaleat, correctio tamquam utilis haberi debet; illiusque obligatio, attenta maiori vel minori rei gravitate, et attento maiori vel minori incommodo, modo aderit et modo non aderit, et modo sub gravi, modo sub levi urgebit.

Agi potest de re magnae gravitatis speciatim in sequentibus casibus: 1. Si sequatur scandalum aut damnum commune (ut puta, si quis distribuere vellet libros impios, credendo esse sanos; vel si Superior ex ignorantia muneribus suis non satisfaceret). 2. Si sequatur aliquod magnum damnum tertii (ut puta, si quis de homicidio accusaturus esset innocentem, credendo esse reum: aut daturus esset venenum, credendo esse medicinam). 3. Si sequatur magnum damnum subiecti ipsius (ut puta, si quis ignoraret res necessarias ad salutem; vel daturus esset nomen sectae impiae cuius impietatem ignoraret; vel contraheret habitudinem, v. g., se polluendi, quam postea, cognita malitia, difficile rumpere poterit). In his et similibus circumstantiis admonitionem faciendi ex charitate sive erga materialiter peccantem (ut in 3. casu), sive erga alios (ut in primis duobus casibus) ordinarie obligatio aderit, et quidem 1. sub gravi; 2. cum incommodo plus vel minus notabili; 3. quamvis non magna esset spes fructus; spes enim, etiam levis, avertendi mala magna, valde aestimatur, et timori coniiciendi personam ex peccato materiali in formale, atque ita ei damnum inferendi, facile praevalet.

Ageretur autem de re non magnae gravitatis, v. g., si quis, non reflectendo hunc diem esse festivum vel esurialem, missam non esset auditurus, aut carnes (sine scandalo) esset commesturus. Tunc admonitionis obligatio adesse quidem poterit, sed solum sub levi, et secluso quovis incommodo, atque supposita nedum spe sed certitudine fructus.

2555. *An possit adesse obligatio impediendi ruinam spiritualem proximi non solum correctione, sed etiam aliis mediis?* Utique, et casus sunt praecipue sequentes: 1. Destruere conscientiam erroneam in eo qui peccat credendo esse peccatum quod non est, vel credendo esse mortale quod veniale tantummodo est (Praxis *n.* 807). 2. Subtrahere peccatori media (v. g. complicem, arma, pecuniam, vinum, libros, vestes etc.), quibus subtractis iam amplius peccare non possit. Interdum aliqua quoque momentanea violentia (v. g., vi detinendo volentem occidere) licita et obligatoria esse poterit (Praxis *l. c.*). 3. Auferre pericula et occasiones, v. g., mittendo puerum ad alium locum ne a turpiter loquentibus in malitiam coniiciatur. 4. Adhibendo patientiam, ne alter irascatur vel blasphemet etc.

2556. *Quid de correctione in Superioribus, qui ex officio ad illam tenentur?*

I. Huiusmodi sunt patres familias, episcopi, parochi, rectores communitatum, confessarii, tutores, mariti, heri, magistri etc.

II. Isti quoque debent abstinere a correctionibus noxiis et inopportunis, nec tenentur procedere ad correctiones inutiles aut non necessarias.

III. Differentiae tamen adsunt, et sunt sequentes: 1° Tenentur vigilare et inquirere (non tamen excessive, et excepto confessario); 2° Facilius possunt sperare fructum; quum plus vel minus ad obtemperandum subditos poenis cogere possint. Quamvis autem fructum non sperent, interdum corrigere debent ad terrorem aliorum; et ne partiales aut conniventes videantur. 4ª Ipsa correctio solet esse magis facilis et minus incommoda (speciatim quoad patres familias, rectores communitatum etc., qui sunt cum subditis in eadem domo). 5° Ad correctionem tenentur strictius, quia nedum ex charitate, sed etiam ex munere speciali ad illam obligantur; 6° Rectores communitatum teneri possunt sub gravi ad corrigenda etiam peccata levia aut solum materialia, si exinde relaxationes et turbationes notabiles secuturae essent. 7° Confessarii etiam strictius tenentur edocere poenitentes si ex conscientia erronea credant esse peccatum quod non est, aut viceversa.

Dixi *Confessarium excipiendum esse ab onere faciendi inquisitiones.* Confessarius poterit quidem inquirere a poenitente ea quae pertinent ad poenitentem ipsum ut illum corrigat; non vero ea quae pertinent ad alios, ut alios corrigat. Hinc Confessariis vetitum est non solum a poenitente exquirere nomen complicis, sed etiam exquirere ea quae ad alios suos poenitentes spectant. Sic enim (ut rectissime scripsit Ballerini *Op. th. V. 185*) « viderentur potius « exploratores, qui non modo per os poenitentis sed per alios vellent rescire » statum illius, quasi de illius fidelitate et sinceritate dubitarent. Atqui hoc « vel maxime exosam redderet confessionem; et, cum facile ad indagines per« moveri viderentur ex auditis in confessione, peccarent etiam contra legem ve« tantem ne Confessarius utatur notitia confessionis in gravamen poenitentis ».

§ VI.

De Scandalo.

A.

De natura scandali.

2557. *Quid est scandalum?* Distinguitur inter *activum* (seu *datum*), et *passivum* (seu *acceptum*).

Activum est — Dictum, vel factum (quo nomine intelligitur etiam omissio) sive malum sive minus rectum, praebens proximo occasionem spiritualis ruinae (praebens scilicet tentationem peccati formalis redundantis in animae ruinam) —.

Dicta vel facta *mala* essent, v. g., blasphemiae, turpes sermones, nuditates etc.; *minus recta* essent imprudentiae et incautelae, ut puta si quis ex causa occulta excusatus comederet carnes diebus vetitis coram aliis, non manifestando se esse excusatum.

Passivum est tentatio quae occasione alicuius dicti vel facti, in proximo exoritur. Sed hoc non est peccatum scandali; bene vero effectus illius.

Imo aliquando scandalum passivum accidere potest, quin activum ullo modo subsistat; ut puta, si quis scandalizetur propter mulierem quae nullam occasionem ei praebeat, in qua scilicet nihil mali aut minus recti deprehendatur. Hoc autem in casu scandalum dicitur *acceptum et non datum*.

Interdum etiam scandalum activum potest esse sine passivo; si nempe actio de se fuisset nata apta ad alium scandalizandum prout praesumi debebat; sed ille casu aliquo nullam tentationem passus fuerit; et tunc scandalum *datum et non acceptum* appellatur.

2558. *Ad scandalum activum constituendum sufficitne peccare coram aliis?* Negative, sed oportet ut vel peccatum proximi intendatur, vel saltem eiusdem periculum praevideatur. Hinc peccare coram valde vitiosis (qui ex malitia propria, non vero ex malo exemplo ad peccandum inducantur) scandalum non est. Idem dic si quis peccaret coram valde virtuosis (de quibus timeri nequeat quod ob malum exemplum peccaturi sint). *Praxis* (*n.* 559). Scandalum itaque a simplici admiratione distingui debet.

2559. *Ad peccatum scandali constituendum, sufficitne quod propter actionem a me positam proximus peccet?* Negative, sed exigitur ut actio mea fuerit mala, aut saltem minus recta. Interdum tamen, etsi ego nullum scandalum praebeam, aliquam obligationem habere possem si proximus scandalizaretur, ut infra videbimus. *Praxis* (*n.* 560).

2560. *Quotuplex potest esse scandalum activum et passivum?*

Activum potest esse directum et indirectum, ut statim explicabitur.

Passivum interdum *pusillorum*, interdum *pharisaicum* appellatur; et interdum simpliciter retinet nomen *passivi*.

Est pusillorum 1° Quando oritur ex ignorantia; ut puta, si rudes audiendo Sacerdotes loqui de casibus in confessionibus obventis, scandalizarentur putando eos frangere sigillum. 2° Quando oritur ex quadam speciali fragilitate seu debilitate subiecti, prout accidit, v. g., in quibusdam sermonibus, qui,

dum adultis nullam impressionem facerent, pueros valde scandalizarent.

Est pharisaicum quando neque ex ignorantia neque ex fragilitate, sed ex mera malitia animique perversitate oritur; prout contingebat in Pharisaeis, qui de D. N. I. C. scandalizabantur.

Denique simpliciter retinet nomen passivi, quando neque ex ignorantia neque ex speciali fragilitate neque ex mera malitia, sed ex magna vi scandali activi (v. g. ex nuditatibus) oritur.

B.

De scandalo directo.

2561. *Quandonam accidit scandalum directum, et quomodo distinguitur ab indirecto?* Directum accidit quando quis peccatum proximi quaerit ac intendit (Hoc autem intellige de peccato formali quod mala intentione quaeratur). Distinguitur ab indirecto, quia in isto peccatum praevidetur quidem, sed non intenditur. Sic expressa provocatio ad peccatum est scandalum directum. Solum autem malum exemplum est indirectum. Praxis (*n.* 563).

2562. *Quid si quis simpathiam periculosam, non vero peccatum, intenderet?* Si adsit iusta causa simpathiam quaerendi (v. g. ex fine honesti matrimonii) tunc nihil mali. Secus, scandalum erit directum quoad simpathiam, et indirectum quoad peccata forte exinde subsecutura.

2563. *Quot modis quis peccatum alienum quaerere ac intendere potest?* Duobus : 1° ad satisfaciendum propriis aut alienis passionibus; 2° ex mero desiderio proximum pervertendi, quo casu scandalum dicitur *diabolicum.*

2564. *Cur dixisti quod peccatum intentum debet esse formale?* Quia peccatum materiale per se nequit esse obiectum scandali; unde qui dementem inducit ad peccatum, peccat quidem; sed non in ratione scandali, deficiente ruina spirituali. Dixi *per se*, si enim ex causa illius peccati materialis peccata formalia in posterum subsecutura praeviderentur (ut in casu inducentis ad peccatum puerum vel aliam personam simplicitate laborantem); tunc, propter haec ipsa peccata praevisa, scandalum subsisteret. An autem directum vel indirectum tunc dici debeat, parum refert.

2565. *Cur dixisti adesse debere malam intentionem?* Quia interdum ad evitanda mala maiora (et si alia media desint)

aliquod peccatum proximi potest desiderari, et aliquo modo quaeri. Scilicet 1° Absolute determinato ad malum perpetrandum, potest ei dari consilium conditionatum minoris mali, dicendo, v. g., si omnino vis peccare cum foeminis, declina honestas et vade ad meretrices. 2° Potest ex industria apponi occasio peccandi, ut peccator corrigatur, seu utcumque ut maiora mala impediantur. Exemplum habes in hero qui, ad famulum de furto suspectum efficaciter corrigendum, arcam pecuniae apertam relinqueret etc.

Attamen bona intentio non suffragaretur in aliis casibus; unde, v. g., non liceret foeminam ad peccandum expresse invitare, etsi qui invitat, consensu foeminae habito, non iam peccare, sed illam efficaciter corrigere intenderet. Quum tamen in hoc casu ruina minor quaereretur ad evitandam ruinam maiorem, videri posset quod peccatum quidem contra castitatem, sed non contra charitatem subsisteret, atque adeo quod malitia scandali (quia in substantia non ruina sed salus spiritualis quaereretur) non interveniret. Sed in hac quoque quaestione non refert immorari.

C.

De scandalo indirecto, nec non de scandalo accepto et non dato; scilicet de culpa in actione, quae praeter intentionem proximo occasio peccandi sit.

2566. *An et quando actio ex qua proximus accipit occasionem peccandi sit peccatum?*

Praemittendum quod huiusmodi actio potest in aliis occasio peccandi esse 1. *per se*, 2. *per accidens*:

Actio potest esse occasio *per se* duobus modis. Primus est si, secluso etiam scandalo, peccatum subsisteret (v. g. concubinatus). Secundus est si, secluso scandalo, peccatum quidem non subsisteret, attamen tentationem inducat generaliter. Haec inductio ex duplici causa contingere potest. Prima est si actio habeat speciem seu apparentiam mali, (v. g., publica comestio ciborum vetitorum cum occulta dispensatione). Secunda est si actio non propter apparentiam mali, sed ex vi propria generaliter tentationem plus vel minus inducat. Actio autem ex vi propria, tentationem generaliter inducere potest 1. excusante generali necessitate (v. g., ornatus foeminarum); 2. nulla generali necessitate excusante (v. g., turpis nuditas).

Denique actio potest esse occasio *per accidens*, quando generaliter tentationem minime afferat (v. g., cohabitare vel dormire cum persona eiusdem sexus, ius suum exigere etc.); et solum, propter alicuius specialem fragilitatem aut pharisaicam malitiam, peccandi occasionem praebeat.

His praenotatis statuuntur regulae sequentes.

2567. Regula I. Si, secluso etiam scandalo, actio peccaminosa esset, a fortiori peccaminosa erit si scandalum subsistat.

Hoc contingit non solum quando quis, delinquendo contra legem Dei vel Ecclesiae, ansam dat peccandi in eodem genere; sed etiam quando aliquo peccato dat aliis occasionem committendi peccata diversi generis. Casum habes in uxore quae debitum coniugale iniuste denegando dat marito occasionem adulterandi; in filio, qui inobediendo dat patri occasionem blasphemandi; in superiore qui officio suo non recte fungendo dat subditis occasionem murmurandi etc.

2568. Aliud tamen est scandalum dare, et aliud scandalum permittere. Interdum enim Superiores peccata et scandala tolerare possunt, ne mala maiora sequantur.

Exemplum habes in tolerantia lupanarium, falsorum cultuum etc. Videndum tamen an huiusmodi tolerantiae sint vere necessariae, atque insuper cautelae adhiberi debent ut scandala sic toleranda quanto minus fieri potest noceant. *Praxis* (*n.* 582).

2569. Regula II. Nulla datur obligatio abstinendi ab actionibus quae per se nullam tentationem inducunt, etsi quis ex mera malitia propter illas peccet, quamvis scilicet ex iisdem scandalum pharisaicum sequatur.

Hinc malitiose ingeminantibus blasphemias ut aliquid a te indebite extorqueant, obsequi non teneris; nec ab operibus tuis neque malis neque ullam mali speciem praeseferentibus, propter malignitatem eorum qui omnia transversim interpretantur, abstinere cogeris. *Praxis (n. 616).*

2570. Regula III. Ab actionibus quae per se nullam tentationem inducunt; aut, si aliqualiter inducunt, generali necessitate excusantur; generatim (scilicet propter possibilitatem, vel etiam confusam praevisionem peccatorum in aliis) nulla datur obligatio abstinendi. Si tamen conspiceretur in particulari quod aliquis ex sua speciali fragilitate scandalum subiret; tunc obligatio ab eodem praecavendi adesset, si commode fieri posset.

Hinc mulieres possunt decenter se ornare non obstante praevisione confusa peccatorum in viris. Si tamen aliqua mulier animadverteret se esse occasionem peccatorum alicui in particulari, aliquam cautelam habere teneretur, si haec ad scandalum istud eliminandum sufficeret et commode praestari posset. Hinc etiam genitores possunt quidem permittere ut filii eiusdem sexus in eodem lecto dormiant; sed si eos esse sibi invicem scandalo animadverterent, de separatione cogitare deberent. *Praxis* (*n. 616*)

2571. Regula IV. A scandalo pusillorum, atque adeo ab actionibus speciem mali habentibus, aut quasdam personas (v. g. pueros) ex speciali debilitate in peccatum inducentibus, vera datur obligatio praecavendi. Patet ex lege charitatis, atque ex Apostolo (*I. Cor. VIII.* 13) dicente: « Si esca scandalizat fratrem « meum, non manducabo carnem in aeternum ».

Duo tamen advertenda sunt.

I. Ad mali apparentiam avertendam saepe sufficit declarare quomodo res se habeant (v. g., quod carnes manducantur ex legitima dispensatione). Declaratione autem facta (dummodo sit credibilis et sufficienter notificata) scandalum aut cessabit, aut pharisaicum (atque adeo spernendum) evaderet. *Praxis* (*n.* 611).

II. In quovis casu (nisi forte de scandalo publico, eoque magno ageretur) grave incommodum excusat. Exemplum habes in matrimoniis conscientiae; in temporanea dilatione retractationis quae hic et nunc absque gravi incommodo fieri nequeat; in retinendis pueris ubi genitores dormiunt, quando aliter fieri non potest etc. *Praxis* (*l. c.*).

2572. Regula V. A fortiori adest obligatio abstinendi ab actionibus quae ex vi propria valde halliciunt et scandalum praebent (huiusmodi sunt v. g., nuditates, imagines inverecundae etc.).

Attamen ab his quoque excusat necessitas. Hinc licet 1. Agere de rebus turpibus in theologia morali. 2. Accusare Confessario peccata turpia. 3. Ostendere partes secretiores medico ad remedium habendum etc. Peccatum scandali deesset quoque si ageretur de personis, quae propter senilem aetatem, specialem frigiditatem, loci consuetudinem etc., de quibusdam rebus, quae aliis impressionem facerent, minime scandalizarentur.

2573. Regula VI. Ad aestimandum an talis vel talis necessitas aut causa a peccato scandali excuset, considerari debent circumstantiae; aliud enim est si multum (ut turpitudines), et aliud si parum vel minus (ut generatim choreae, spectacula, larvae, imagines paullo inverecundiores sed non obscoenae etc.) res sint ex se se natae aptae scandalizare; item aliud est si cautelae adhibeantur, et aliud si non adhibeantur. Ut plurimum regula tutior ex sensu communi habebitur.

2574. *Quaeritur an omitti possit vel debeat adimplementum alicuius praecepti, si hoc ad scandalum evitandum necessarium esset?* Sunt praecepta quae vel obligant in omni casu (v. g., praeceptum non mentiendi), vel tanti sunt momenti ut praecepto vitandi scandalum praevaleant (v. g., praeceptum non furandi). E contra aliqua praecepta minoris momenti esse, et in conspectu scandali cessare possunt. Exemplum habes in debito matrimoniali, si in circumstantiis peteretur in quibus scandalum interveniret; vel in Sacerdote qui in mortale incidisset neque copiam confessarii haberet, et Missam sine scandalo omittere nequiret. Interdum autem res possunt esse ita confusae ut

non appareat quid praevaleat, ut in muliere quae advertisset se esse alicui occasionem scandali dum ad Missam die festo se confert, quo casu Theologi disputant an una vel altera vice Missam ipsam omittere teneatur. Certe tamen non teneretur Missam omittere pluries, quia ex hoc ipso grave incommodum subitura esset. Gury (*n.* 236).

D.

De gradu culpae in scandalo.

2575. *Scandalum estne peccatum mortale?* Quamvis scandalum admittere possit parvitatem materiae, tamen ex genere suo (scilicet si materia sit gravis, et sufficiens advertentia subsistat) est peccatum mortale. Christus Dominus (*Matt. XVIII.*) dixit: « Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui « in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in « collo eius et demergatur in profundum maris. Vae mundo a « scandalis...... Vae homini illi per quem scandalum venit! ».

2576. *Quum scandalum, propter gravitatem vel levitatem materiae, modo sit peccatum mortale et modo veniale, quomodo practice casus a casu distinguitur?* Imprimis, si forte scandalum derivet a malo exemplo, quod, aliquod peccatum committendo, praebeatur, ad dimetiendam scandali gravitatem, regula non est sumenda a gravitate vel levitate peccati ipsius; contingere enim potest quod peccatum sit grave in se, et sit leve in ratione scandali; et viceversa quod in se sit leve vel etiam nullum (quatenus speciem tantum mali habeat), et nihilominus in ratione scandali grave sit. Ad vere cognoscendum an scandalum sit peccatum mortale vel veniale, tria inspicienda sunt: 1° Quantitas ruinae spiritualis in proximo; 2° Quantitas influxus in ipsam: 3° Qualitas causae. Sed haec sunt explicanda.

2577. *Quantitas influxus.* Si influxus peccatum veniale respiceret, utique tunc de scandalo graviter peccaminoso agi non posset. Si autem respiciat peccatum mortale, tunc distinguendum est inter influxum gravem, qui voluntati vim magnam; et levem qui voluntati vim parvam ex sese inferat.

Si influxus sit gravis, tunc certe scandalum est mortale. Exemplum habes in uxore quae magna atque intolerabili petulantia maritum, qui sat patiens sit et blasphemare non soleat, ad blasphemias quasi per vim impellat.

Si vero influxus sit levis, tunc ordinarie peccatum, in ratione scandali, veniale erit. Exempla. Uxor quae aliqua modica petulantia occasionem praebeat blasphemandi marito iam facillime pro nihilo blasphemanti. Mulier quae ornatu non equidem inverecundo sed superfluo desideria virorum praevideat. Sermones paullulum liberiores, vel si puella, audiendo turpes sermones,

subrideret et sic ad prosequendum in ipsis ansam praeberet. Huc pertinet doctrina multorum Theologorum; qui (ut videre est apud S. Lig. *II. 47*), contra alios, censent scandalum grave non subsistere, quando sive indirecte sive etiam directe peccandi ansa datur personis, quae ad peccandum iam sunt semper paratae habitualiter. Exemplum habes in dantibus eleemosynam pro Missa sacerdotibus in malo statu viventibus, vel in accedentibus ad illos pro confessione, vel in petentibus mutuum (ad habendam pecuniam pro ludo) ab usurario, vel etiam in accedentibus ad meretrices; quo postremo casu provocatio esset directa, et certe mortalis contra castitatem; sed (iuxta dictos Theologos) non mortalis in ratione scandali.

Hanc tamen doctrinam (de peccato levi propter influxum levem) veram esse censeo ordinarie, sed non absolute. Excipiendi enim sunt duo casus: 1. si obligatio correctionis fraternae erga personam sic habitualiter ad peccandum dispositam tunc urgeret sub gravi (quid enim si tunc, loco corrigendi, ad peccatum impelleres?), 2. si, non de aliquo ex ordinariis peccatis mortalibus, sed de maiori alia ruina ageretur; ut statim explico.

2578. *Quantitas ruinae spiritualis.* Propter magnitudinem ruinae spiritualis, scandalum esset semper mortale 1. Si in malitiam coniicerentur pueri vel aliae personae innocentes; 2. Si mulier (etsi non innocens) ad concubinatum vel prostitutionem pertraheretur; 3. Si ad delictum extraordinarium et enorme (v. g. homicidium, vel suicidium) perpetrandum ansa daretur; 4. Si de scandalo publico (eoque gravi) ageretur; 5. Si peccator ad conversionem inclinans ab illa deterreretur; vel iam conversus ad redeundum in pristinum statum impelleretur.

2579. *Qualitas causae.* Causa scandalum ex gravi potest reddere leve. Genitores retinent filios iam grandiusculos in proprio lecto cum periculo quod in malitiam coniiciantur. Si id faciant sine causa, peccatum erit grave; si vero ex causa notabili (etsi non prorsus excusante), peccatum poterit esse leve. E contra causa scandalum ex levi potest reddere grave. Mulier advertit se turpiter concupisci a quodam iuvene dyscolo propter aliquem superfluum ornatum, a quo causa vanitatis non abstinet. Sic peccabit leviter. Si vero rem advertens, causa iocum sumendi de illo, studiose variis modis se ornaret atque illius conspectui se offerret, tunc graviter peccaret; ex mero enim ioco peccata alterius (ut ut magni peccatoris) provocare, quaedam spiritualis crudelitas esset.

E.

De peccatis scandali quoad numerum et circumstantias speciem mutantes

2580. *Quid notandum circa numerum?*

I. Qui hodie unam et cras aliam personam graviter scandalizat; sufficit si dicat. *scandalum grave dedi bis;* nec oportet ut (quandoquidem speciem, numerum et gravitatem peccati sui iam accusavit) personas scandalizatas fuisse duas significet.

II. Qui unico actu (v. g., unico sermone) scandalum praebet v. g. duabus vel tribus personis, committit peccatum aequivalens duobus vel tribus, et perinde est ac si eandem personam

bis vel ter scandalizasset; unde (non secus ac ille qui unico ictu duos vel tres homines occidisset) hanc circumstantiam (si scandalum fuisset grave) in confessione exprimere deberet. Aliqui contradicunt; sed non videntur audiendi.

III. Qui unico actu scandalizant multitudinem confuse apprehensam ad modum unius, vel scandalum publicum dat, unicum quidem peccatum committit, sed aequivalens multiplici; unde in confessione hoc exprimere deberet, nec satis se accusaret dicendo se una vice scandalum dedisse.

2581. *Quid de circumstantiis speciem mutantibus?*

I. Hae oriri possunt tum ex diverso modo dandi scandalum, tum ex specialibus obligationibus, quae vetent ne scandalum detur.

II. Qui dat scandalum directum, reus est de peccatis quae sic scandalizatus commissurus erit. Qui vero dat scandalnm indirectum, ita ut scandalizatus non magnam pressionem subeat (prout in malo exemplo contingere solet) atque adeo sat facile a peccatis abstinere possit, si velit; de peccatis istis non nisi leviter reus erit. In casu itaque scandali indirecti dicere sufficiet: *scandalum dedi;* sed in casu scandali directi, species peccatorum, quae intenta et quaesita fuerunt, indicari debebunt. Imo addendae eruut circumstantiae, si forte persona, v. g., ad fornicationem incitata, fuisset coniugata, voto ligata etc.

III. Qui (prout in stupro) vi, aut metu, aut dolo personam scandalizat, nedum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam peccat.

2582. IV. Consanguineus, qui consanguineum, v. g. pater qui filium, scandalizat, nedum charitatem sed etiam pietatem laedit. Item Parochi aliique Superiores qui ex officio bonum exemplum praebere debent, si scandalum praeberent, contra iustitiam peccarent. Attamen si subditi sic indirecte scandalizati ad iniustitias procederent, non ideo Superiores ipsi (propter rationem indicatam n. 2501. II) ad restitutionem tenerentur.

2583. *Quando quis nedum cum alio peccavit, sed ipse prior illum seduxit, debetne in confessione seductionem istam indicare?* Hoc in puncto (ut videre est apud S. Lig. *II.* 46) Theologi non conveniunt. Plures cum Lugo negant, quia iam ambo sibi invicem scandalum inferunt, unde circumstantia seductionis non iam speciem mutans, sed solum aggravans (atque adeo non necessario accusanda) esse potest. Alii cum Sanchez affirmant, quia aliud est seducere et aliud seduci. Ego censeo inter seductorem et seductum differentiam posse esse ita ma-

gnam ut scandalum a parte seductoris sit magnum vel maximum, et a parte seducti sit parvum et vix perceptibile. Exemplum habes, si quis puellam innocentem aut foeminam honestam et valde reluctantem in peccatum induxerit. Etsi itaque dicamus circumstantiam seductionis esse solum aggravantem, recolendum est quod circumstantiae aggravantes (ut Theologi dicunt) *in infinitum*, seu reddentes peccatum ex veniali mortale, accusari debent.

F.

De obligatione eorum qui scandalum dederunt.

2584. *Qui scandalum dedit ad quid tenetur?* 1. Si scandalum provenerit a peccato, semper cessare debet ab illo; 2. Si proveniat ab actione speciem mali habente, debet vel cessare ab actione eadem, vel satagere ut ipsa speciem mali non amplius habeat; 3. Interdum procurare debet ut mali effectus scandali sui cessent vel minuantur.

2585. *Si scandalum proveniat ab actione speciem mali habente, quid de obligatione vel cessandi ab actione eadem, vel satagendi ut ipsa speciem mali non amplius habeat?*

I° Si ope declarationis vel aliorum signorum species mali ita destruatur, ut scandalum apud personas prudentes iam amplius non subsistat, tunc ab actione ipsa cessandi nulla aderit obligatio; nec de aliquibus, qui temere adhuc scandalizentur, curandum erit.

II° Si vero (v. g., quia declaratio credibilis fieri nequeat) scandalum subsistere pergat (prout contingere posset in hero de quo fama exierit quod cum ancilla peccaverit); tunc ab actione speciem mali habente cessandum erit. Excusat tamen incommodum, sub duabus conditionibus. Prima est quod sit proportionatum. Secunda est quod meliori modo possibili apparentia illa mali (v. g., frequentando Sacramenta) imminuatur.

Dixi incommodum debere esse proportionatum. Magna enim differentia fieri debet inter casum, in quo species quidem mali sed malum nunquam interfuerit, vel de solo suspectu, vel de persona saeculari agatur, vel causa excusans (a cessando ab illa actione) plus vel minus pateat; et casum in quo populus propter delicti evidentiam scandalizatus fuerit, nec emendationem (etsi de facto existentem) praesumere possit, nec ullam videat adesse causam, quae scandali remotionem impediat; maxime vero si de Sacerdote vel Parocho ageretur. In huiusmodi autem exigitur consilium viri prudentis, quia nemo iudex in causa propria. *Praxis (n. 612).*

2586. *Quid de obligatione procurandi ut mali effectus scandali dati cessent aut minuantur?* Si obligatio impediendi mala proximi in qualibet persona urgere potest, a fortiori urgere poterit in illo qui mala ipsa scandalis suis provocavit, cui etiam occasio opportunior id praestandi se offerre solet. Sed quomodo huic obligationi satisfaciet? Practice distinguendum est inter scandalum privatum et scandalum publicum.

Si scandalum fuerit privatum, videndum an de re antiqua, an vero de recenti agatur. In primo casu, ut plurimum nulla obligatio subsistit; nimis enim molestum est et ordinarie inutile de rebus antiquis huiusmodi sermonem instituere. Non ita est si de re recenti agatur; tunc enim satagere ut scandali influxus destruatur vel imminuatur utile et facile esse solet. Intellige si scandalum fuerit magni momenti. Modi magis practici sunt sequentes: 1° curare ut persona scandalizata ad Sacramenta accedat vel conciones audiat; 2° Eidem de scandalo dato veniam petere; 3° Si mandatum vel consilium pravum datum fuerit, cuius executio in futurum pendeat, illud retractare etc.

Si scandalum fuerit publicum; tunc videndum an in haeresibus, impietatibus, principiis immoralibus aut subversivis, calumniis etc.; an vero in sola morum perversitate consisterit.

In primo casu si haereses et impietates etc. vere influxum habiturae sint (prout accideret si typis impressae, aut a Sacerdote vel persona magnae existimationis prolatae et constanter defensae fuerint); tunc publica retractatio necessaria erit. Idque verum est quamvis liber iam fuisset ab Ecclesia damnatus; non obstante enim tali damnatione, impius liber magnam ruinam inferre poterit, et ruinam istam impedire vel saltem imminuere ad libri ipsius auctorem spectat, qui solus ope pubblicae retractationis ictum lethalem doctrinae suae infligere potest.

Modus huius retractationis, iuxta diversas circumstantias, diversus esse potest. Primus est si fiat in scriptis autographis, aut coram duobus testibus, exprimendo nominatim tales vel tales doctrinas etc. Secundus est si fiat coram solo confessario vel parocho, dando ei licentiam de publicatione. Fieri et publicari deberet sine mora; sed interdum causae gravissimae (v. g., timor mortis, aut amissionis officii necessarii) efficere possunt ut eiusdem publicatio licite differatur vel solum post mortem fiat. *(Praxis n. 604. et seq.)*.

In secundo casu, si nempe scandalum in sola morum notoria perversitate consisterit; tunc sin minus sola ab iniquis moribus cessatio sufficiet, saltem nihil aliud quam specialis bonorum operum ostensio (a discreto Confessario suggerenda, v. g., frequentando Ecclesiam et Sacramenta) exigi poterit.

Si autem ageretur de moribundo, qui in vita scandalum nun-

quam reparaverit et usque ad mortem in illo perseveraverit, tenebitur illud reparare in illo extremo momento prouti poterit; v. g. occasiones voluntarias removendo, obligationibus suis satisfaciendo, Sacramenta recipiendo, veniam (iuxta morem) a populo petendo, et ea omnia praestando quae necessaria sint ne ipsa Sacramentorum administratio scandalosa reddatur.

§ VII.

De cooperatione.

2587. *Quid est cooperatio?* Est participatio in opere pravo.

Attamen si in opere pravo adsit principalis agens, qui ad delictum qua tale alios provocet, ille cooperans minime dicitur.

2588. *Quotuplex potest esse cooperatio?* 1. *Provocativa indirecte*, scilicet petendo rem in se licitam, quae tamen cum peccato praestabitur (v. g., mutuum ab usurario); 2. *Immediata*, scilicet praestando ipsum opus pravum (v. g dum quis iussu alterius hominem occidit); aut praestando partem operis ipsius (v. g., dum plures hominem occidunt); 3. *Mediata*, scilicet praebendo medium (v. g., dando gladium, deferendo epistolas etc.); 4. *Proxima*, vel *remota*, secundum quod cooperatio magnam vel parvam cum opere pravo connexionem habet. Connexio erit magna et proinde cooperatio erit proxima, si medium vel sit suapte natura determinatum ad delictum (v. g., clavis falsa, pharmacum abortivum, pugio insidiosus etc.), vel sit expresse petitum ad hoc (v. g. gladium ad homicidium hic et nunc committendum). Connexio erit parva et proinde cooperatio erit remota, si medium nec suapte natura determinatum nec expresse petitum sit ad hoc (v. g., sartrix conficit vestes mulieri, quae iisdem abusura erit ad placendum concubinario suo). Datur etiam cooperatio *propinqua*, quae inter proximam et remotam mediat (v. g., si quis concubinam nocturno tempore ad domum concubinarii comitetur). Denique cooperatio potest esse 5. *Materialis* et *formalis*. Haec est distinctio principalissima et speciali explicatione indiget.

2589. *Quandonam cooperatio est materialis et quandonam est formalis?* Est materialis quando cooperans sola opera materiali; est vero formalis quando etiam intentione prava concurrit. Scilicet in materiali participatio est solum in opere: in formali autem est etiam in intentione.

Exemplum. Titius armorum venditor viro facinoroso (et proinde praevidendo abusum) sclopum vendit, sicut venditurus esset aliis (En cooperatio materialis). Caius dat sclopum Sempronio ut occidat Terentium communem inimicum (En cooperatio formalis).

2590. Notandum quod intentio prava (et proinde cooperatio formalis) aliquando contingere potest etiam in eo, qui aegro animo et metu coactus ad opus concurrit. Idque accidit si ex una parte cooperatio sit immediata, et ex alia opus vel pars operis (quam cooperans praestat) iam remaneat mala in iis quoque circumstantiis; quomodo enim quis dicere poterit se non habere intentionem faciendi malum, si iam facit malum? Hoc autem contingere potest duobus modis. Primus est si res a cooperante immediate perpetrata sit in se ita mala, ut nunquam sua malitia exui possit; ut puta, si cooperans sua manu occidat aut vulneret. Secundus est si eadem res posset quidem interdum reddi licita, sed in casu adhuc illicita remaneat; ut puta, si cooperans ex metu non magni momenti manu sua rem alienam surriperet.

2591. *An cooperatio formalis unquam sit licita?* Negative. Ratio patet. Quomodo enim intentio mala non erit mala?

2592. *Quid de cooperatione materiali?* Dantur casus in quibus expedit vel oportet ut praestetur. In quibusdam aliis casibus est illicita; et in quibusdam aliis est licita.

2593. *Quandonam expedit vel oportet ut praestetur?* Quando secus maiora mala secutura essent.

Exempla. Debent administrari Sacramenta peccatori occulto publice petenti. Si templum esset commune Catholicis et Haereticis, expediret ut Catholici ad aliud templum pro Haereticis aedificandum concurrerent. Parato ad me occidendum nisi ei dem ensem quo abuti vult, expediret ut ensem ei darem, si secus me occisurus simulque ensem obtenturus esset. ***Praxis*** (*n. 645*) et ***Frassinetti*** (***Diss.*** *V*).

2594. *Quandonam esset illicita?* 1° Si esset quidem materialis quoad delictum ab agente principali perpetrandnm, sed esset formaliter mala quoad medium a me praestandum; v. g., si parans insidias mulieri, metu mortis me compelleret ad mendacium dicendum mulieri ipsi, ut se conferat ad locum ubi insidiator illam expectat. 2° Si non adsit causa proportionata.

2595. *Quandonam erit licita?* Quando ex una parte nihil fiat quod sit intrinsece et absolute malum, et ex alia subsistat causa proportionata.

2596. *Quandonam causa erit proportionata vel non proportionata, ita ut proinde cooperatio liceat vel non liceat?*

I. Videndum an adsit aliqua decisio authentica S. Sedis

(*Praxis n.* 629); vel an casus a sensu communi (*l. c.* 630) vel unanimi sententia Theologorum iudicatus fuerit.

II. Si cum levi, vel etiam cum graviori aliquo incommodo, tenereris ex lege charitatis aut correctionis fraternae, impedire peccatum; tunc certe incommodum ipsum a cooperatione te non excusaret. Exemplum habes in famulo, qui, magnam habens confidentiam cum hero suo, obtinere posset ne ille committat peccatum, vel delictum pro quo famuli ipsius operam exposcit. Idem dic si quis ex officio (v. g. medici, pharmacopolae etc.) teneretur (non obstante tali vel tali incommodo) non suppeditare ea quae ad delictum perpetrandum peterentur (v. g. venenum, pharmacum abortivum etc.).

III. Si delictum ita impediri nequeat, ut principalis agens illud per se ipsum et sine alicuius cooperatione perpetraturus esset; tunc causa levis ad concurrendum sufficere solet. Exemplum habes in dante clavem ingressuro etiam sine clavi (v. g., per fenestram vel rumpendo ianuam).

IV. Si peccatum principalis agentis ad illum solum restringatur, ita ut nullatenus aut parum aliis noceat; tunc causa mediocris ordinarie est proportionata et sufficiens, ut praestari possit cooperatio, etiamsi proxima foret. Exemplum habes in famulo qui cibos vetitos hero suo illos exigenti coquat et porrigat. Idque verum est quamvis sine cooperatione peccatum compleri non posset. Exempla. Tradis pecuniam illam exigenti iniuste. Uxor petit debitum a viro onanista etc. Dixi *ordinarie;* si enim ageretur de suicidio, causa valde gravior exigeretur.

V. Si peccatum principalis agentis redundet in magnum damnum vel scandalum aliorum (ut puta, si ageretur de furto ingenti, de homicidio, de stupro violento, de bello iniusto, de aedificatione templi haeretici in locis catholicorum, de impressione librorum impiorum, de rebellione etc.); tunc distinguendum inter cooperationem proximam et valde influentem, et remotam vel parum influentem. Si sit proxima et valde influens, tunc sola causa gravis admodum et subinde gravissime (v. g. magnus timor mortis) sufficiens esse poterit; idque verum est quamvis, me non cooperante, alii cooperaturi essent (*Sanchez Dec. I.* VII. 16). Sic apud nos sola causa gravissima excusare potest Architectos pro aedificatione templi protestantici. Sic etiam milites ad bellum iniustum coacti timore mortis excusantur, dum multa faciunt quae ad necem innocentium proxime concurrunt. Si autem cooperatio sit remota vel parum influens, tunc causa mediocris, et subinde etiam levis, ordinarie

sufficit. Exemplum habes in operariis secundariis templum praedictum aedificantibus, in vendentibus chartam typographis impiis etc. Tunc autem utique valet ratio quod me non cooperante alii cooperaturi essent.

CAPUT V.

DE PRIMO DECALOGI PRAECEPTO.

2597. Hoc praeceptum dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus..... Non habebis Deos alienos.* Habet partem affirmativam seu praecipientem, qua praecipit actus cultus veri, qui sunt praecipue *adoratio* et *oratio*. Habet partem negativam, seu vetantem, qua vetat 1. *Superstitionem* seu cultum falsum, sive colendo creaturas cultu divino aut honore Deo iniurioso (unde idololatria, divinatio, vana observantia, magia, maleficium, magnetismus, spiritismus, ipnotismus etc.); sive colendo Deum modo non recto; 2. *Irreligiositatem*, seu irreverentias contra Deum vel in actibus qui spectant ad cultum verum (unde blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, et simonia). De his omnibus (excepta blasphemia, de qua agitur in 2. praec.) hic aliquid breviter.

ARTICULUS I.

DE ADORATIONE.

2598. *Quid est adoratio?* Proprie est actus externus honoris divini, quo scilicet supremam Dei excellentiam et nostram omnimodam submissionem ei testamur.

2599. *Quid de differentia inter adorationem et venerationem?* Proprie adoratio solum Deum; veneratio autem B. Virginem, Angelos et Sanctos respicit. Porro alios aeque ac Deum habere, iisque honores divinos tribuere, idololatria et maximum nefas esset.

2600. *Quid de differentia inter cultum latriae, duliae, et hyperduliae? Item inter cultum absolutum et relativum?* Cultus *latriae* est qui soli Deo, vel (quod in idem recidit) SS.mae Trinitati, vel Iesu Christo, vel SS.mae Eucharistiae, vel Pretiosissimo Sanguini, vel Sacratissimo Cordi Iesu etc., debetur. *Duliae*, qui Angelis et Sanctis; *hyperduliae* denique qui B. Virgini convenit.

Cultus latriae, duliae, et hyperduliae est *absolutus*, si Deus, Angeli, Sancti et B. Virgo honorentur directe et in se. Est autem *relativus*, si ipsorum imaginibus, nominibus, reliquiis etc. honor tribuatur. Idem dic de cultu SS.mae Crucis et Instrumentorum passionis, qui utique relativus est.

2601. *Circa Sanctorum et reliquiarum cultum estne aliquid aliud notandum?*

Circa *Sanctos*; alii in album Sanctorum, alii in album Beatorum iudicio Ecclesiae relati sunt; alii demum mortui quidem sunt in odore sanctitatis, sed Ecclesia de illis nihil adhuc statuit.

Relatis in album Sanctorum dari potest cultus publicus et generalis pro tota Ecclesia, prout iam notissimum est.

Relatis solum in album Beatorum dari quidem potest cultus publicus, sed cum quibusdam restrictionibus et moderationibus; unde, v. g., cum radiis quidem sed non cum diademate in capite pingi possunt; templa et altaria eis dicari nequeunt; eorumque imagines et reliquiae in iis tantum Ecclesiis possunt venerationi exponi, in quibus de eorum officio fieri permittitur etc.

Mortuos autem in odore sanctitatis, sed quin Ecclesia cultum ipsorum adhuc approbaverit, publicae venerationi exponere nullatenus licet. Hinc nequeunt v. g. lampades apponi aut alia lumina accendi ad eorum sepulchrum: et, si eorum imagines vel statuae in Ecclesia apponantur, id fieri poterit solum ita, ut manifeste appareat quod non ad exponendas illas publicae venerationi, sed ex alio motivo fiat. Attamen quaedam privata veneratio licebit; unde, v. g., eorum imagines et reliquias privatim asservare et reverenter osculari; eorum intercessionem postulare; ex speciali devotione Missam (attamen solum de die currenti et sine particulari oratione), in eorundem honorem vel pro gratiis obtentis aut obtinendis, celebrare etc.; haec, inquam, et similia permitti poterunt.

2602. Circa *Reliquias*; ut publicae venerationi exponi valeant, oportet ut nedum spectent ad aliquem relatum ab Ecclesia in album Sanctorum vel Beatorum, sed etiam tamquam tales authenticatae fuerint ab aliquo Episcopo, et quidem recognoscente Episcopo loci. Ut autem privatim tantummodo cultus eis praestetur, sufficit ut certitudo moralis habeatur quod ad aliquem Sanctum, vel Beatum, vel Venerabilem seu cum fama sanctitatis mortuum, spectent. Cf. Bucceroni (*De Dec.* 10-14).

ARTICULUS II.

DE ORATIONE

2603. *Quid est oratio?* Est pium colloquium cum Deo (unde definitur *elevatio mentis ad Deum*), et ordinarie consistit in deprecationibus et petitionibus (unde definitur etiam: *petitio decentium a Deo*). Est actus cultus et religionis; dum enim oramus, nostram insufficientiam, summamque Dei potentiam, bonitatem, fidelitatem etc. testamur. Dixi *colloquium cum Deo;* quod tamen ita intelligi debet, ut Angelos quoque, Sanctos, Coelites omnes, maxime vero Beatissimam Virginem, imo et ipsas Animas piacularibus poenis addictas (ut pro nobis apud Deum intercedant), deprecari possimus.

2604. *Quotuplex est oratio?* 1° *Mentalis* vel *vocalis;* 2° *Privata* vel *publica.* Publica dicitur, quae fit nomine Ecclesiae et modo ab illa praescripto ab eiusdem Ministris, prout Missa, Horae canonicae etc. Dixi *modo ab illa praescripto;* in oratione publica enim variationes privata auctoritate fieri nequeunt.

2605. *Oratio estne necessaria et obligatoria?* Affirmative: et haec obligatio alia est communis omnibus; et alia est propria quarumdem personarum particularium. De his postremis (qui sunt praecipue quotquot ex officio tenentur ad Horas canonicas, ad orandum pro populo etc.) non hic, sed alibi, sermo habebitur.

2606. *Quid de obligatione orandi quatenus est communis omnibus?* Certe Christifideles omnes orare tenentur. Patet 1° ex innumeris S. Scripturae locis, v. g., (*Matt. IV.*): « Vigilate et orate », (*Luc. XVIII.*) « Oportet semper orare et « non deficere ». Patet 2° quia oratio, est medium ordinarium a Deo statutum ad gratias pro aeterna nostra salute necessarias obtinendas, unde scriptum est (*Io. XVI.*): « Petite et « accipietis ». (*Iac. IV.*): « Non habetis propter quod non « postulatis ». Hinc communiter docent, orationem ordinarie necessariam esse necessitate nedum praecepti sed etiam medii. Cf. Ballerini (*Op. th. VI.* 31 *et seqq.*).

2607. *Obligatio orandi quandonam occurrit?* Occurrit certe in casibus urgentibus; v. g., si gravis tentatio urgeat, si communitas in magno versetur periculo, si res magni momenti ad Dei gloriam sit aggredienda, et in mortis propriae periculo. Idem dic si aliud praeceptum sit adimplendum, ad quod oratio sit necessaria, v. g., si Missa sit audienda, si Sacramentum sit

recipiendum etc. Quando autem adsit obligatio gravis orandi propter generalem necessitatem petendi gratiam Dei pro periculis futuris, vel propter obligationem praestandi cultum Deo, res est valde incerta et confusa (Cf. Baller. *Op. th. VI. I.* 36); unde in praxi expedit quidem adhortari Christifideles ad frequenter orandum; non vero (si iam in praedictis circumstantiis Deo se commendare soliti sint) peccati mortalis conscientia eis fieri potest. Dixi *mortalis:* practice enim elevandi mentem ad Deum aliquibus precibus matutinis et vespertinis sub levi obligationem adesse recognoscendum est. Patet ex sensu communi Christifidelium, qui preces istas cum aliis simplicibus devotionibus non confundunt, sed eas pro vera obligatione habent, unde passim de tali omissione se accusant; genitores magnam curam habent ut filii his precibus se assuescant; et poenitentes scandalizarentur si Confessarii dicerent quod illas omittere nihil mali sit. Neque dissentiunt Theologi, saltem si huiusmodi preces frequenter omitterentur. (vide Gury *n.* 261). Et ratio est non solum quia scriptum est: « Sine intermissione « orate », et « Oportet semper orare »; sed etiam quia preces matutinae et vespertinae practice sunt necessariae ad spiritum orationis, devotionis et timoris Dei conservandum, quo evanescente plura peccata quotidie committentur.

2608. *Quomodo orandum?* Dos praecipua, qua oratio praedita esse debet, est devotio seu reverentia.

Contra devotionem et reverentiam sunt evagationes et distractiones, de quibus sequentia statui debent.

I. Si sint involuntariae, nec culpam constituunt, nec (quamvis forent intensae) orationem invalidam reddunt; quae ideo, si esset obligatoria (prout sunt v. g. Horae canonicae), non obstantibus talibus distractionibus involuntariis, repeti non deberet. Ratio est quia, efformata in initio intentione orandi, haec nec retractatur nec destruitur, sed virtualiter permanet (*Cf. Baller. Op. th. VI. I.* 28); et aliunde, quum, attenta humanae mentis conditione, sit nimis facile distrahi, iam onus intolerabile hominibus imponeretur. Nec distinguerem inter distractiones internas et externas, nisi quatenus externae difficilius sunt involuntariae (*Cf. Prax. Ed. II.* 3370. *V.*).

II. Si distractiones sint voluntariae simulque ita intensae et protractae vel saepius repetitae, ut homo iam reflectat tali modo orationem graviter vitiari, aut se ad illam attendere non posse; tunc distractiones huiusmodi intentionem orandi implicite retractant, et sic orationem ipsam invalidam reddunt. In

hoc conveniunt omnes, si distractiones sint etiam externae, si nempe cum externa quoque sensuum evagatione coniungantur. Plures videntur non convenire si distractiones sint solum internae; sed, supposita intensitate et reflexione praedicta, tunc quoque oratio invalida censeri debet. Quid enim si quis, incoepta Horarum Canonicarum recitatione, statueret ad lectionem scholasticam mox discipulis suis habendam se praeparare, atque adeo illas modo mere machinali recitare? (*Cf. Praxis l. c. VI*).

III. Si distractiones sint quidem voluntariae, sed (ut ordinarie contingit) parum intensae, aut breves, aut rarae, ita ut homo attendat etiam (quamvis confuse) ad orationem, identidem reflectat se orare, identidem se recolligat et mentem ad Deum elevet, vel pios affectus concipiat etc.; tunc substantia orationis remanet. Venialis tamen culpa, deficiente excusatione proportionata, minime deerit; distractiones enim et evagationes devotionis et reverentiae internae, quae in eo qui cum Deo loquitur esse debet, defectum implicant. *

Dixi *deficiente excusatione proportionata.* Casus autem practici huius excusationis sunt speciatim 1° Si quis, dum preces recitat, necessitatem habeat parumper cogitandi de re aliqua, vel etiam aliquid dicendi vel respondendi vel faciendi; 2° Si quis recitet preces simplicis devotionis (v. g. ad satisfaciendum exercitiis piarum confraternitatum) dum laborat, quandoquidem alio tempore eas recitare commode non posset; 3° Si quis fere toto die precum recitationi incumberet. Dicit autem Lessius: (*II.* xxxvii. 62): « Si quis non tam intendat orare, « quam pio exercitio, recitando precum verba, se occupare; « non peccabit, etiamsi sponte alia cogitet, et saepe oratio- « nem interrumpat ».

2609. *Adestne obligatio orandi alios praeter Deum?* Respondet cl. Bucceroni (*De* 1° *Dec. praec. n.* 7): « Invocatio San- « ctorum est de consilio, non vero de praecepto, cum Trid.num « (*XXV*) dicat tantum esse *bonum* et *utile* eos invocare. Atta- « men aiunt communiter a peccato veniali non esse excusandum « qui nunquam B. Virginem invocaret ». Et sane illam parum existimare, de illa non curare, eique ingratus esse, videretur.

* An peccatum grave (v. g. turpis delectatio) tempore orationis commissum, reddat orationem ipsam graviter peccaminosam? Respondet Suarez (*De Rel. IV.* iii. iv. *13*) hoc esse incertum, sed timendum esse de peccato gravi, *quia videtur gravis Dei irreverentia.* Sed communi sensu circumstantia temporis orationis (sicut et loci sacri) apprehendi videtur solum ut leviter aggravans.

2610. *Pro quibus orare possumus vel debemus?* Orare possumus et debemus 1° pro nobismetipsis; 2° Pro omnibus hominibus (unde, docente Domino, dicimus *Pater noster*, et docente Ecclesia, dicimus: *Ora pro nobis peccatoribus*). Nec excludi possunt inimici. Attamen ab orationibus publicis, quae nomine Ecclesiae fiunt, ad terrorem et poenam salutarem excipiuntur excommunicati vitandi. 3° Orare possumus (et sancte atque salubriter oramus) pro animabus purgantibus.

2611. *Orando quid petere possumus vel debemus?* Petere possumus et debemus bona spiritualia, et haec *absolute*. Bona autem temporalia petere possumus, sed *conditionate* (si nempe iuvent ad salutem animae); et sic petere possumus etiam mala poenae temporalis (v. g., humiliationes, paupertatem etc.), quia haec quoque ad salutem aliquando nos iuvare possunt.

ARTICULUS III.

DE SUPERSTITIONE.

2612. *Quid est superstitio?* Est cultus vitiosus, quo vel Deus colitur cultu non recto, vel creatura consideratur tamquam Deus, vel habetur commercium cum Daemone, vel proceditur iuxta ritus et praeiudicia Ethnicorum aut Magorum.

PUNCTUM I.

De superstitione qua Deus colitur cultu non recto.

2613. *Quomodo Deus coli potest cultu non recto?*

Quamvis omnis cultus non rectus dici possit falsus, tamen Theologi illum distinguunt in *falsum*, *turpem*, et *superfluum*.

Esset *falsus* profitendo religionem iudaicam vel haereticam; aut adhibendo aliquos ritus falsae religionis proprios (v. g., immolationem agni paschalis); aut exercendo munera quae pertinent ad clericos in statu laicali; aut exponendo falsas reliquias; aut proponendo falsas revelationes vel falsa miracula (si tamen falsitas consisteret solum in aliqua levi exageratione, peccatum non esset mortale).

Esset *turpis* vel indecens, si ex intentione Deum honorandi adhiberentur turpia, v. g., cantica lasciva; aut si Deo offerrentur res alienae; aut si fierent vota ad habendum a Deo auxilium pro delictis; aut si a Deo peteretur pecunia per Diabolum afferenda; aut si, ut pluat, imagines Sanctorum in puteum coniicerentur etc.

Esset *superfluus* si in cultu vero (ex devotione non recta vel fide exagerata) limites excederentur, aut ritibus Ecclesiae aliquid adiungeretur. Casus esset, v. g., si quis ieiunaret etiam diebus dominicis reputando sic melius

esse; vel si quis in Missa adderet alias orationes, vel cruces etc.; vel si quis gestaret quasdam imagines vel reliquias cum fide evadendi invulnerabilis, invisibilis etc.; vel si quis recitaret orationes S. Christophori ad inveniendos thesauros, vel Sancti senis Simeonis ad habendos bonos numeros pro publica sortitione (*it. lotto*), vel S. Birgittae quibus pro certo promittitur salus aeterna, liberatio a morte improvisa, comparitio B. Virginis ante mortem etc.

Ad cultum superfluum plures reducunt etiam immixtionem rerum et circumstantiarum prorsus vanarum, ut puta, quod Sacerdos missam celebraturus habeat talem vel talem aetatem, staturam, colorem etc.; sed alii potius superstitionem habentem reatum ex ritibus Magorum rebus sacris abutentium tunc intervenire censent, ut infra videbimus.

PUNCTUM II.

De superstitione, qua creatura habetur tamquam Deus, scilicet de idololatria.

2614. *Quot modis haec superstitio contingere potest?* 1° Si creatura (v. g., idolus aut Daemon) tamquam Deus adoretur (quod proprie dicitur *idololatria*); 2° Si petatur vel expectetur a creatura, quod a solo Deo praestari potest (v. g., notitia rei futurae a libera voluntate dependentis).

Notant quod idololatria potest esse *perfecta* et *imperfecta*. Perfecta contingit quando quis adorat creaturam ut Deum, quia ex errore intellectus credit illam revera esse Deum. Imperfecta contingit quando quis non ex errore intellectus, sed vel ex odio in Deum, vel ex cupiditate obtinendi aliquid a Daemone, vel ex timore poenarum a tyranno comminatarum (quo postremo casu dicitur *simulata*), quis idolum vel daemonem adorat. Idololatria imperfecta (uti patet) est peior quam perfecta, quae forte cum bona fide coniungi potest. Est semper peccatum gravissimum; idque verum est quamvis foret solum simulata; etsi haec certe esset minus gravis, quam si ex cupiditate obtinendi aliquid, maxime vero ex odio Dei, Daemon adoraretur.

PUNCTUM III.

De superstitione, qua cum Daemone, etiam seclusa idololatria, commercium habetur; vel proceditur iuxta ritus et praeiudicia Ethnicorum aut Magorum.

2615. *Quomodo casus commercii cum Daemone accidere potest?* Casum habes (prout infra melius explicabitur) in iis, qui recurrunt ad Daemonem ut aliquid ab ipso addiscant vel obti-

neant. Item in iis qui, etsi ad illum non recurrant, tamen eius dictis aut signis fidem praestant, suarumque actionum exinde regulam sumunt.

2616. *Supponendo quod hoc fiat sine idololatria, quin scilicet Daemon adoretur, vel utcumque tamquam Deus habeatur, quomodo reatus superstitionis in dicto recursu vel in dicta fiducia invenitur ?*

I. Quia homo, submissionem, dependentiam, fiduciam Daemoni praebendo, iam ex hoc ipso honorem, quasi his dignus esset, ei praeberet.

II. Quia periculum aderit ne adsit in futurum quod in initio non adest. Daemon quippe totus in eo erit ut exinde occasionem sumat non solum pertrahendi homines ad peccata et damnationem, sed etiam subtrahendi Deo et procurandi sibi adoratores; unde procurabit modo ut ab actibus religiosis alienentur; modo ut Sacramentis et sacramentalibus sacrilege abutantur; modo ut fidem amittant; modo ut odium contra Deum concipiant; modo denique ut, relicto Deo, sibi soli totos se devoveant atque adorationem praestent.

2617. *Adsuntne alia argumenta ad probandam huius superstitionis malitiam ?* Utique.

Huiusmodi agendi ratio Deo iniuriosissima nobisque perniciosissima est. Agitur enim de acerrimo et perpetuo Dei ipsius et humani generis hoste; unde perinde erit ac si quis, non sine delicto laesae maestatis, peteret opem a Principis sui hoste, qui in ea ipsa ope ferenda, tum petenti, tum Principi quidquid potest mali inferre moliatur. Adde quod interdum immiscentur aliae malitiae (v. g. contra iustitiam, ut in maleficio etc.) Nihil dico de prohibitionibus expressis quae adsunt in sanctis Scripturis, unde, v. g., (*I. Cor.* 10) dicitur: « Nolo vos fieri « socios daemoniorum »; et de rigorosissimis Ecclesiae vetitis, ut videre est, v. g., in Bulla Sixti V. *Coeli et terrae creator.*

2618. *Quot modis haec superstitio in commercio cum Daemone consistens contingere potest?* Modi isti sunt plurimi. Alios infra indicaturus, hic recenseo sequentes:

Primus est si Daemon expressis verbis invocetur. Est peccatum (uti patet) horribilissimum.

Secundus est si ponatur signum vel medium, quo posito Daemon iam manifeste concurrat, talia revelando aut faciendo, de quibus credi non possit quod sive naturaliter sive a Deo sive ab Angelis bonis revelentur aut fiant. Casus huiusmodi accidere solent speciatim in maleficiis, in usu virgae magicae, in ma-

gnetismo, in tabulis rotantibus, in spiritismo etc. (de quibus infra). Idem dic si utcumque (etiam signis et mediis non appositis) interventus diabolicus manifeste appareat, et tu credas, obedias, concurras etc. In his quoque casibus peccatum gravissimum est; nec referret si contra interventum diabolicum protestatio fieret; haec enim esset contra factum. Nec peccant solum qui in his active se habent, sed illi etiam qui rebus huiusmodi assistunt; et, si forte essent in bona fide, ab illa deterrendi forent.

Tertius est si res esset dubia; ita scilicet ut interventus diabolicus non esset certus, sed de illo graviter timendum esset. In hoc etiam casu (qui contingere videtur in simplici somno magnetico per intuitum fixum obiecti lucidi procurato) peccatum interveniret propter periculum; et hoc in puncto caute legendus S. Ligorius (*n.* 19), ut sapienter monet Ballerini (*Op. th. VI.* I. 93). Attamen tunc peccatum posset esse leve; ut dicit Lessius (*II.* XLIV. 26); imo, si causa gravis interveniret, facta protestatione contra interventum diabolicum, plures Theologi pro licito stant (*Cf. Praxis Ed. II. n.* 3279).

2619. *Quid si effectus expectetur, dum neque a natura, neque a Deo, neque ab Angelis bonis rationabiliter expectari possit; et nihilominus nequidem interventus diabolicus appareat?* Tunc etiam malitia intervenire potest sive a parte rei, sive a parte intentionis. Si vero tam a parte rei quam a parte intentionis malitia deficiat, tunc de simplici errore agetur, et nihil mali aderit. Sed haec sunt explicanda.

Malitia intervenire potest a parte rei, si factum aut praedictio certe aut verisimiliter pertineat ad ritus vel praesagia Ethnicorum aut antiquorum Magorum, Augurum, Astrologorum etc.; qua de re praesumendum est, quando effectus nec est *nec reputari solet* naturalis (prout contingit in innumeris vanis observantiis quae in vulgo serpunt, de quibus infra *n.* 2635); etsi enim interventus diabolicus in his non amplius conspiceretur, tamen oportet ut praedicti ritus et regulae futura praesagiendi non iam conserventur sed eliminentur. Praeterea quis scit an Daemon adhuc aliquo modo in rebus huiusmodi se immisceat?

Haec tamen malitia a parte rei non erit gravis, nisi in duobus casibus.

Primus est si quis serio ritus vel artes huiusmodi, quasi ad modum officii et professionis, atque vere (aut saltem verisimiliter) iuxta regulas illas antiquas, exerceat (prout facere vi-

dentur illi qui *zingari* et *astrologi* vocantur). Dixi *iuxta regulas illas antiquas;* aliud enim esset si de mera et evidenti impostura ageretur, prout faciunt qui vel in *lunario* eventus fortuitos, etiam prorsus impraevidibiles (v. g., de morte Principum tali vel tali die sequenda), praenunciant; vel numeros publicae sortitioni (*al lotto*) exponendos, nulla regula ducti et arbitrarie prorsus, proponunt; vel (prout quotidie faciunt circulatores *it. ciarlatani*) res quae nullam sanandi virtutem habent, tamquam medicinas vendunt; vel somnambulismum magneticum fingunt, et, cum mera impostura, responsa dant. Nonnisi umbra antiquae astrologiae (de qua infra *n.* 2626) videtur esse etiam in iis, qui, absque ulla regula, plurima circa vitam prognostica confingunt, in chartis innumeris ea typis imprimere faciunt, atque huic vel illi petenti unam ex chartis ipsis (vulgo *il pianeta*) tradunt.

Secundus casus malitiae gravis residet in frequentia; si nempe quis ea quae spectant ad ritus praedictos faceret saepe, vel iuxta dicta praesagia operationes suas dirigeret passim; non vero si raro, ut puta, si quis unum vel alterum dumtaxat praeiudicium huiusmodi haberet, v. g. leviter vulneratus a cultro, ad sanitatem recuperandam, non vulnus sed cultrum ungeret; aut assidere ad mensam nollet si commensales numero tredecim essent. Excipe tamen nisi malitia gravis a parte intentionis interveniret. Cf. Sanchez (*Dec. II.* XXXVIII. 22).

2620. A parte intentionis malitia adesse potest sequentibus modis.

I. Si quis, animadvertens ex appositione talis vel talis medii effectum neque naturaliter neque virtute divina vel angelica obtineri, et solum ope Daemonis expectari vel sperari posse, quaerat vel conetur sic illum obtinere. In hoc casu (quamvis forte illuderetur et nihil obtineret) ex graviter prava intentione graviter peccaret. Exemplum habes in muliere, quae cum hac malitia faciat *il gioco delle carte,* ut scilicet Daemon ei indicet an amasius, qui illam dereliquit, sit rediturus.

II. Si quis pro certo habeat aut valde suspicetur talem vel talem rem esse signum seu praesagium diabolicum, quod talem vel talem eventum futurum sive faustum sive infaustum significet; et ex eodem signo ad sic vel sic agendum regulam sumat. In hoc casu, quia dispositus esset ad fidem praestandam Daemoni et iuxta illius directionem se gerere, peccatum grave pariter interveniret (*Cf. Sanchez Dec. II.* XL. 14. 15). Exemplum habes si quis mane domo egrediens pedem offenderet, et

pro certo haberet hoc esse Daemonis monitum de itinere infausto; unde domum revertatur (*Cf. Lessius II.* XLIII 65. *et Ballerini Op. th. VI.* I. 85).

III. Si quis leviter tantummodo vel levissime suspicetur de praesagio diabolico; tunc non graviter peccat, etsi exinde aliquem timorem vel spem concipiat, et conformiter huic timori vel spei aliquid agat. Ratio est quia periculum interventus diabolici apprehenditur ut levissimum, atque ideo tale ut fundamentum gravis inordinationis constituere non possit (*Lhemkuhl I.* 356. *not.*). Exemplum. Astrologus dixit Titio : Ne audeas tali viae te committere, quia occideris: perge potius ad talem locum, ubi sub terra thesaurum invenies. Titius, longe est a fide integra praestanda Astrologo: attamen timorem et spem aliquam concipit; unde viam illam declinat, atque loco designato terram effodit. Cf. Sanchez (*l. c. XXXVIII.* 21).

Monent tamen quod gravis culpa adesset (ut supra dicebam) in frequentia, etsi fidem firmam huiusmodi praedictionibus aliisque superstitiosis praeiudiciis non praestaret.

2621. *Quid si aliquid equidem tamquam praesagium Daemonis, sed etiam tamquam monitum Dei haberi possit?* Tunc facilius quaevis culpa abest. Casus esset in eo qui navigationem proxime suscepturus somniasset naufragium; et, quum somnium istud posset esse vel naturale, vel a Daemone inductum; sed posset etiam a Deo, vel ab Angelo bono, provenire, ille a parte tuta stare decernit atque a navigatione abstinet.

2622. Nunc dicendum est aliquid magis in particulari de diversis modis practicis, quibus commercium cum Daemone habetur; vel ritus aut praesagia, quae apud Ethnicos vel antiquos Magos usuveniebant, exercentur. Hi modi sunt praecipue divinatio, vana observantia, magia, maleficium, necnon modernae superstitiones magnetismi, spiritismi etc.

PUNCTUM IV.

De divinatione.

2623. *Quid est divinatio?* Est studiosa et superstitiosa exploratio rerum futurarum vel occultarum. Dicitur *studiosa exploratio*, quia si ex re, quae casu acciderit, fiat praesagium (v. g. ex subversione vasculi salis in mensa praesagium facis de proximo infortunio); tunc non divinatio, sed vana observantia (de qua infra) interveniret.

2624. *Quot modis fieri potest divinatio; et quid de eius prohibitione?* Multis, v. g., 1° Per *oraculum*, consulendo idolum ex quo Daemon sit responsurus; 2° Per *Pythonismum*, interrogando Pythonem vel Pythonissam, scilicet personam possessam a Daemone, ex cuius corporis parte aliqua Daemon respondeat: 3° Per *Vaticinium*, interrogando Pseudo-prophetam a Daemone inspiratum; 4° Per *Necromantiam*, interrogando mortuos, seu potius Daemonem imitantem vocem mortuorum; 5° Per *Praestigium*, scilicet comparente Daemone sub hac vel illa figura, vel (etiam invisibiliter) ad aures loquente. Modi hucusque recensiti includunt invocationem directam; sed adsunt etiam alii modi, scilicet 1° *Aruspicium*, in quo ex visceribus animalium idolis immolatorum; 2° *Augurium*, in quo ex garritu avium; 3° *Auspicium*, in quo ex volatu avium; 4° *Geomantia*, *hydromantia*, *pyromantia*, *aeromantia*, in quibus ex signis in terra, in aqua, in igne, et in aere; 5° *Oniromantia*, in qua ex somniis superstitiose procuratis; 6° *Chiromantia*, et *Physiognomia*, in quibus ex lineis manuum, et lineamentis vultus; 7° *Astrologia iudiciaria*. in qua ex astris; 8° *Sortilegium*, in quo ex sortibus futura vel occulta, iuxta regulas artis superstitiosae, praevidentur. Addenda est 9° *Virga magica*. Dixi *iuxta regulas artis superstitiosae;* hic enim certe non pertinent praevisiones et coniecturae quae iuxta leges physicas (vel quae physicae reputentur) ex aere, ex astris, ex ventis, ex transitu avium, ex physiognomia etc. fieri possunt.

Prohibetur autem divinatio nedum lege naturali, sed etiam lege divina positiva, dicente Domino (*Deut. XVII*): « Nec inveniatur in te... qui ariolos (*gli indovini*) sciscitetur, « et observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec « incantator, nec qui pythones consulat, aut quaerat a mor« tuis veritatem; omnia enim haec abominatur. Dominus ».

2625. *Quid est virga magica, seu divinatoria?* Est virga ex corylo (*d' avellano*) et bifurcata quae adhibebatur ad inveniendas res occultas. Movebatur solum iuxta intentionem illam adhibentis, qui, si quaerebat v. g. venam aquarum, virga non movebatur propter venam metalli; et si viceversa quaerebat venam metalli, non movebatur propter venam aquarum. Deserviebat etiam ad inveniendos homines (v. g. homicidas). Si illam gerens, protestabatur contra interventum diabolicum, tunc immota remanebat, et nullum signum dabat. In illa itaque interventum diabolicum est manifestum. Aliud esset de virga

magnetica (*it. calamita*), quae ad invenienda metalla naturaliter deservire posset.

2626. *Quid est astrologia iudiciaria?* Astrologia alia est *naturalis*, quae scilicet fundatur in scientia physica; unde ex astris (et speciatim ex luna) quidam effectus seu influxus physici (sive vere sive erronee et frivole) praevidentur. Alia vero est *iudiciaria*, quae scilicet fundatur in arte superstitiosa dictante regulas cognoscendi ex astris v. g. hominum nativitates, et quid futurum sit de puero qui tali die et hora natus fuerit, praenunciando scilicet eius vitae cursum, honores, divitias, sobolem, salutem, mortem, itinera, certamina, inimicitias, carceres, et uno verbo omnes eius prosperos et adversus casus; quatenus scilicet astra ipsa (prout superstitiose credebatur) inducant necessitatem et fatum in actionibus humanis, aut saltem ad hoc vel illud valde inclinent; unde sive certe sive probabiliter res sic praenunciatae reapse sequi debeant.

Non astrologia naturalis (uti patet), sed iudiciaria, superstitiosa est, illamque damnavit Sixtus V (cit. Bulla *Coeli et terrae Creator*).

2627. *Quid de sortibus?* Sortes possunt esse 1. *Divinatoriae*, (ad res futuras vel occultas divinandas); 2. *Consultoriae*, (ad cognoscendum quid agendum sit); 3. *Divisoriae*, (ad decidendum, v. g., quando res quae dividi non potest, cuinam danda sit ex pluribus, quibus tota deberetur; vel quando non dignoscitur cuinam ex pluribus aliquid dari debeat).

2628. Sortes *divisoriae* cum supertitione nihil commune habent. Adhiberi solent in contractibus sortis et speciatim in ludo, in divisionibus haereditatum, in compositione litium, in praemiis, et aliquando etiam in poenis (quando nempe non expedit ut multi puniantur sed oportet ut aliquis puniatur). Attamen usus huiusmodi sortium potest esse contra legem naturalem (v. g., si merita non sint paria), vel contra legem positivam (v. g., quoad electionem ad beneficia ecclesiastica, quae per sortes est illicita, et, si ageretur de Praelato iurisdictionem habente, esset etiam invalida). Cf. Bucceroni (*n. 27*).

2629 Sortes *divinatoriae* ordinarie sunt superstitiosae. Casus esset si iactu taxillorum, aut ope instrumenti qui appellatur *it. grillo*, aut per chartas lusorias etc. divinari velis, v. g., an victoriam vel fortunam habiturus sis; an amasius sit rediturus; quis ex duobus prius moriturus sit; quinam numeri in sortitione aleatoria (*it. al lotto*) sint exituri etc. In sortibus huiusmodi superstitio intervenire potest ex malitia explicita petendi vel expectandi per ipsas responsum a Daemone; sed ordinarie superstitionem includunt solum quia originem et naturam superstitiosam habent.

Dixi *ordinarie*; in quibusdam enim casibus sortes divinatoriae minime sunt superstitiosae; nempe si adhiberentur 1. Impulsu divino, prout fecit Iosue qui per sortes detegit Achan fuisse furti auctorem (*Ios. VII*); 2. Ex intentione rei occultae manifestationem obtinendi a Deo (etsi tunc tentatio Dei interveniret) Cf. Bucceroni (*l. c.*); 3. Ex mero ioco, et curiositate videndi quid designetur a sorte in eo casu, quin fides aut fiducia ulla adnectatur. Ballerini (*Op. th. VI.* I. *73*) et S. Lig. (*III. 13*).

2630. Sortes *consultoriae*, quae scilicet adhibentur loco perpendendi quid in variis casibus oporteat vel expediat facere, certe sunt superstitiosae, si responsum de hoc expectetur a Daemone, vel (iuxta praeiudicia superstitiosa) ab ipsa coeca sorte (*Cf. Lessius II.* XLIII. *60*). Si vero responsum per sortes expectaretur a Deo, tunc tentatio Dei interveniret. Excipe nisi ex Dei ipsius inspiratione sortes adhiberentur (prout in electione Saullis, et Mathiae), vel nisi ageretur de re momentosa adeo dubia ut consilium humanum non suppe-

teret. Interdùm videtur sufficere ratio se liberandi a stricta perplexitate, etiam in negotiis levis momenti, ut puta, si quis versetur in bivio, et prorsus nesciens ex duabus qualem viam tenere, proiiciat (ut dici solet) pileum in altum, et eligat illam versus quam cadit.

PUNCTUM V.

De vana observantia.

2631. *Quid est vana observantia?* Contingit duplici modo. Primus est si iuxta praeiudicia superstitiosa apponantur media ad obtinendum effectum, pro quo media ipsa sunt ita improportionata, ut neque a natura neque a Deo idem effectus expectari possit. Secundus est si, iuxta eadem praeiudicia superstitiosa, ex fortuito eventu quis coniiciat quid prosperi vel adversi secuturum sit; et exinde actiones suas dirigat.

Vana observantia primi modi subdividitur *in artem notoriam*, et *observantiam sanitatum*. Alia autem dici solet *observantia eventuum*,

2632. *Quid est ars notoria?* Contingit quando quis acquirit (vel potius acquirere videtur) scientiam infusam, et statim comparet doctus absque studio et labore; idque obtinet mediis ex se inefficacibus, v. g., certo quodam modo ieiunando, vel aliquid manducando, aut inspiciendo etc. Dixi *potius acquirere videtur*, credendum enim est quod doctrina sit apparens et non realis, Diabolo loquente per os illius; qua de re vide Lessium (*l. c.* 62) et Ballerini (*l. c.* 80).

2633. *Quid est observantia sanitatum?* Est usus verborum aut signorum aut rerum vanarum, quae (iuxta praeiudicia superstitiosa) adhibeantur sive ad morbos sanandos, sive ad conservandam valetudinem, sive ad acquirendam immunitatem a laesionibus vel casibus fortuitis; idque sive quoad seipsum, sive quoad alios, sive quoad animalia. Praedicta verba aut signa vanissima interdum cum veris medicinis immiscentur; et interdum sine ulla alia re adhibentur. Exemplum habes in iis qui (ut supra dicebam) ad curandum vulnus ungunt cultrum, aut ligant pedem scamni; vel sauciati morsu canis, pro medicina necessarios esse censent pilos canis ipsius; item in iis qui gestant amuleta, ligaturas, involucra etc. (quae nullam bonam significationem habent) ad obtinendam praeservationem a febribus, vulneribus, venenis, maleficiis futuris etc. Aliquando similes res vanissimae immiscentur etiam cum rebus sacris, prout con-

tingere videtur in iis qui, ad sanandas contorsiones crurium in bobus, eas signant cum crucibus confectis ex sulphuratis; item in iis qui ad sanitatem recuperandam credunt esse necessarium ut Missa celebretur cum candelis flavis, vel ut tales vel tales preces recitentur currendo in circulum; vel ut fiant tot numero cruces nec plus nec minus. Res huiusmodi spectare nedum ad cultum superfluum, sed etiam ad superstitiones de interventu diabolico suspectas censent plures cum Lessio (*l. c.* 63), ut innui supra (*n.* 2613).

Cum his superstitionibus tamen confundi non debent sequentia:

I. Ea quae aliquam devotam et veram significationem aut Ecclesiae benedictionem habent. Huiusmodi sunt preces quae (iuxta Ecclesiae consuetudinem) tribus, vel septem, vel novem, vel duodecim diebus durare debent. Item panes vel aqua aliaeque res benedictae, quae contra morbos per cibum vel potum sumuntur vel animalibus dantur, cuiusmodi sunt quae vulgo dicuntur it. *pane di S. Antonio, latte della Madonna, acqua della B. V. di Lourdes.* etc.

II. Ea quae ex gratia gratis data fieri credendum sit; prout dicunt accidisse in antiquis Regibus Francorum, qui solo tactu sanabant strumas. Cf. Ballerini (*Op. th. VI.* I. *90*). Apud nos vulgaris credulitas est quod qui nati fuerunt cum secundis (*it. colla secondina*), virtutem habeant contra herysipolas, signo crucis eas signando, quia (dicunt) cum indusio B. Virginis in lucem venerunt.

III. Ea quae fiunt ad maleficium destruendum, v. g., ligaturas aut alia signa diabolica solvendo, comburendo etc., ut ex maleficio ipso aegrotus convalescat.

IV. Ea quae vanissima quidem sunt, sed tamquam pharmaca optima, deceptione et impostura Circulatorum, creduntur et sumuntur.

2634. *Quid est observantia eventuum?* Est observatio quorundam eventuum fortuitorum, aut dierum qui existimabantur fausti vel infausti; praesagium serium (quod dicitur etiam *omen*) exinde efformando de iis quae futura sunt, non iam quia naturalis connexio conspiciatur, sed iuxta praeiudicia quae ab ethnica vel magica superstitione originem habent. Quoad reatum vide dicta (*n.* 2619).

Exempla. Prima anni die, vel dum primo e domo exis, obviam habes personam sive nigram sive infirmam vel canem praegnantem: aut pede offendis: aut ab equo cadis; et ex his malum augurium concipis, atque (ad illud declinandum) domum redis. Mane calceos induens sternutas, et hinc, pariter malo augurio concepto, lectum repetis ut omen avertas. Audis ignem murmur facientem, et expectas hospites. Mercator mane egrediens e domo obviam habet virginem, et hinc deducit diem lucro sterilem fore. Iunctim ambulantibus amicis, lapis aut canis aut puer medius intervenit, et exinde vicina infortunia expectas. Vestis a soricibus roditur, et en aliud malum augurium. Noctua prope domum tuam cantat, et en praesagium mortis vicinae, illudque avertere credis noctuam occidendo. In mensa subversionem vasis salis pro malo; cyati autem pleni vino pro bono augurio habes. Commensales sunt tredecim, et hoc habes pro nuntio mortis, quod avertere credis recedendo. Quosdam dies habes ut infaustos et inauspicatos, et proinde nullum negotium mo-

mentosum in iisdem incipis. Die Veneris panem conficere non audes. Die Martis caput abluendum non esse credis etc. etc.

2635. *Quid de superstitione quoad somnia?* Quoad somnia intervenire potest superstitio sive ex divinatione sive ex vana observantia; sed interdum in eorum observatione nulla superstitio adest.

Divinatio intervenit 1° explicite invocando Daemonem ut per somnia aliquid tibi revelet; sive expressis verbis illum rogando, sive ponendo signa quae huiusmodi expressae invocationi aequivalere existimes; 2° Faciendo aliquid, ex quo speras secutura esse somnia res futuras vel occultas indicantia, etsi de Daemone non cogites; ut puta, ponendo numeros sub pulvinari ad dignoscendum per somnia an ad vincendum in publica sortitione (*al lotto*) sint idonei.

Vana observantia ordinarie intervenit, si ex somniis non quaesitis sed casu factis, occulta vel futura cognoscere praetendis; hoc enim ad praeiudicia Ethnicorum pertinet, ut patet ex Sacris Litteris (*Lev. XIX. et Deut. XVII*) dicentibus: « Quando in-
« gressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi,
« cave ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec
« inveniatur in te qui... ariolos sciscitetur et observet somnia
« atque auguria etc. ».

Dixi *ordinarie;* aliquando enim somniorum observatio a superstitione immunis est; quod accidit speciatim in casibus sequentibus:

I. Si ex somniis sive placidis et ordinatis, sive e contra turbatis et confusis coniicis statum sanum vel morbosum personae somniantis; aut ex qualitate somniorum alicuius, coniicis cuiusnam sit indolis, aut quaenam sint illius occupationes, tendentiae etc.

II. Si somnia ad res bonas animaeque salutares impellant, ut puta, si, eo quod somniaveris mortem, iudicium divinum vel infernum etc., poenitentiam facias atque ad confessionem accedas; vel, eo quod consanguineum tuum defunctum et de suffragiis te rogantem somniaveris, Missam pro illo celebrare facias. Ratio est non solum quia dantur somnia quae a Deo immittuntur (qua de re in historia sacra, imo in ipsis sacris scripturis multa exempla habemus), sed etiam quia credulitates huiusce generis neque a Daemone neque a superstitiosis Ethnicorum praeiudiciis oriri possunt. Excipe nisi ageretur de rebus indiscretis; interdum enim Angelus tenebrarum in Angelum lucis se transformat.

2636. *Quando, iuxta dicta n. 2635, superstitiosum est credere somniis, quid de gradu culpae si quis, ex aliqua fiducia vel ex aliquo timore, iuxta illa aliquid agat?* Communi sensu (etiam Theologorum) culpa est venialis. « Non videretur pec-« care mortaliter qui ob somnium praecedens omittit vel ponit « actionem indifferentem.... v. g., si quis omitteret deambula-« tionem, quia somniavit se fore in ea proditorie hac vel altera « die interficiendum » Bucceroni (*De* 1° *Dec. praec.* 24). « Non « videtur graviter peccare qui somnians numeros, ludo (*del* « *lotto*) pecuniam exponit, aut qui non ascendit navem vel « equum, quia aut naufragium aut lapsum somniavit.... Sic « qui somniant locum thesauri, et terram effodiunt ». Baller. (*Op. th. VI.* I. 63). Imo forsan nulla culpa adesset, si quis defunctum somniasset, qui in somnio eosdem numeros, vel aliquod monitum ei dedisset; tunc enim fiducia in eodem defuncto (reputando quod ex permissione Dei sic in somnio comparuerit) poneretur, atque ita fiducia ipsa innocens videretur.

PUNCTUM VI.

De Magia.

2637. *Quid de Magia?* Dicam breviter. 1° Est ars patrandi res mirabiles ope Daemonis. 2° Loquor de vera magia superstitiosa: non vero de magia naturali seu artificiali, qua absque ullo Daemonis interventu (ut contingit in vulgaribus praestigiatoribus) dexteritate manus aliisve mediis naturalibus, sed communiter ignotis, mira fiunt. 3° Ad constituendam veram magiam, duo exiguntur; ut scilicet id quod fit, ex una parte, considerato effectu et consideratis mediis ad illum obtinendum, industriam humanam superet; et ex alia, attentis circumstantiis, tamquam Dei miraculum haberi nequeat. 4° Magia est peccatum mortale, nec parvitatem materiae admittit (*Lessius II.* XLIV. 26). 5° In dubio an causa, quae mirabilem aliquem effectum producat, ex natura an vero ex Daemone vim habeat; vide dicta (*n.* 2618).

PUNCTUM VII.

De maleficio.

2638. *Quid est maleficium?* Contingit quando quis ope Daemonis malum inferat alteri, sive circa eius personam, sive circa eius bona, v. g. pecudes segetes etc. Malum circa personam

multiplex esse potest, v. g., morbus, impotentia matrimonialis, immissio Daemonis in corpus, inductio passionum vehementissimarum, v. g., odii, amoris et libidinis. In hoc postremo casu maleficium *amatorium*, et in aliis *veneficum* appellatur. Maleficium amatorium autem dicitur etiam *philtrum*.

2639. *Quomodo fieri solet maleficium?* Ineundo pactum cum Daemone, ut ille nocere pergat sive donec talis vel talis res aut tale vel tale signum (v. g., nodus, ligatura etc.) perduret, sive donec tale vel tale quid (v. g., ablutio, percussio etc.) non fiat.

2640. *An maleficium inducere possit necessitatem peccandi, seu utcumque efficere ut voluntas necessario consentiat?* Quod afferre possit magnam, imo maximam, inclinationem, affirmative; necessitatem, subdistinguo: quoad actus materiales (Daemone vim absolutam corpori inferendo; aut usum rationis impediendo) affirmative; secus, negative; et vide dicta (*n. 2173 et seqq.*).

2641. *An in maleficiis adsit peccatum solum contra religionem?* In maleficiis violatur etiam iustitia contra maleficiatum. Iustitia violari posset etiam contra petentem maleficium, si nempe quis per imposturam illud ei promisisset; et pretium recepisset. Sed, si maleficus operam suam superstitiosam sincere posuisset, tunc (etsi forte effectus intentus non fuisset subsecuturus) pretium restituendum (iuxta dicenda *De contractibus de re turpi*) minime esset.

2642. *Quid licite fieri potest ad destruendum maleficium?* Imprimis non sunt deserenda remedia naturalia, nedum quia morbus qui ex maleficio oriri censetur potest esse naturalis, sed etiam quia pharmaca morbos quoque a Daemone productos interdum destruere valent.

Media autem supernaturalia sunt praecipue sequentia:

I. *Magna fides et magna fiducia in Deo*, dicente Psalmista: « Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei coeli « commorabitur.... Non timebis ab incursu et Daemonio meri- « diano.... Quoniam in me speravit, liberabo eum ».

II. *Poenitentia, confessio peccatorum. et vitae emendatio;* saepe enim propter peccata permittit Deus ut quis in se vel in rebus suis a Daemone infestetur.

III. *Oratio*, speciatim coniuncta cum *ieiunio*. Item *invocatio nominis* Iesu, *B. Virginis, Angeli Custodis* etc.

IV. *Signum crucis.*

V. *Sumptio Eucharistiae et Sacrificium Missae.*

VI. *Usus aquae benedictae*, et aliarum *rerum benedictarum.*

VII. *Reliquiae Sanctorum* et verba transcripta ex Sacris Scripturis.

VIII. *Exorcismi* et *benedictiones Ecclesiae.*

IX. *Destructio* vel *appositio signorum*, qua eveniente de-

structione vel appositione, ex pacto inito inter Auctorem maleficii et Daemonem, maleficium ipsum cessare debeat. Sed circa remedium istud aliqua notanda sunt.

2643. *Signa huiusmodi quomodo cognosci poterunt?*

Primus modus est si exorcismis et nomine Dei Daemon ipse ea revelare cogatur. Rituale dicit: « Iubeat Daemonem dicere « an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, « aut malefica signa, vel instrumenta, quae si obsessus sum« pserit, evomat; vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet; « et inventa comburantur ».

Secundus est si recurratur ad Magum, qui absque ulla nova Daemonis invocatione, scire possit quid agendum sit ut maleficium destruatur. Huiusmodi notitia facile adest in ipso auctore maleficii; sed adesse potest etiam in aliis arti magicae addictis, vel utcumque scientibus quaenam signa in maleficiis apponi soleant.

Tertius est si per novum maleficium, seu (ad rectius loquendum) per novam Daemonis invocationem, aut per novum pactum cum Daemone, ratio solvendi maleficium exquiratur. Nota quod invocatio est deprecativa et pactum est amicabile; unde haec longe distant ab imperio, quo Daemon in exorcismis, divina auctoritate, invitus et in suum damnum quaedam patefacere cogitur.

Primus modus certe (uti patet) est licitus. Tertius e contra est certe illicitus. Secundum esse licitum dicunt Theologi passim. At vero practice res est plena periculi. Ut plurimum enim quod maleficium acciderit, insulsissime creditur, quamvis enim pluries interrogaverim Missionarios (qui innumeras confessiones audiverunt) an casum poenitentis, qui maleficium patratus fuerit, repererint; mihi semper responderunt negative. Qui autem advocantur ut solvant maleficium, solent maleficii obventi credulitatem confirmare; imo et personam quae maleficium fecerit indicare vel de illa suspectum ingerere. Hinc odium acerrimum; hinc fides illimitata in mediis vanissimis et saepe superstitiosis, imo facile etiam cum abusu rerum sacrarum; hinc recusatio nedum medici et medicinarum, sed forte etiam sacerdotis; hinc alienatio a Sacramentis, vel (propter praedictum odium et voluntatem perseverandi in superstitionibus) obstinatissima indispositio ad absolutionem. Adde quod, si vir vocatus fuerit ad solvendum maleficium in foemina, ordinarie turpissimi quoque honestatis abusus interveniunt. Nihil dico de periculo ne, ad solvendum maleficium, pessimi huiusmodi viri ad nova maleficia recurrant (quod tamen periculum vel etiam certitudinem Theologi considerari non debere dicunt, si certum vel probabile sit quod etiam sine maleficio illud solvere possent. *S. Lig. III. 23 - 25*). Etsi itaque Theologi dicant sic et simpliciter, recursum ad Magos, qui probabiliter solvere valeant maleficium sine novo maleficio, esse licitum; imo addant, auctorem maleficii ad hoc nedum invitari, sed etiam verberibus cogi posse; ego existimo quod practice vix et ne vix quidem haec licita sint. Neque alia videtur esse doctrina Ecclesiae; Rituale

enim (*De exorciz. obsess.*) dicit : « Aliqui (Daemones) ostendunt factum ma-
« leficium, et a quibus sit factum, et modum ad illud dissipandum: sed caveat
« (*obsessus*) ne ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quam ad
« Ecclesiae Ministros, confugiat ».

Parum etiam mihi placet (intellige semper practice) doctrina, quae dicit quod qui tangitur a Saga possit illam percutere ut maleficium impediat.

PUNCTUM VIII.

De magnetismo et spiritismo.

2644. *Quid est magnetismus ?* Hoc nomine non intelligitur magnetismus quo corpora quaedam inanimata (vulgo *calamite*) alia corpora pariter inanimata attrahunt iisque similem attrahendi vim communicant ; bene vero intelligitur quidam praetensus magnetismus animalis : praetenditur enim quod a persona vivente (quibusdam adhibitis mediis) exeat fluidus subtilissimus, qui sive alteri personae, sive aliis rebus communicetur, et exinde multi effectus, qui fere omnes mirabiles sunt, procedant.

Dixi *praetenditur ;* quamvis enim certum sit quod phaenomena mirabilia vere accidant ; tamen (saltem maxima ex parte) non iam praedicto fluido magnetico (ut praetenditur), sed interventui diabolico (ut statim videbimus) attribui debent. Magnetismus itaque definiri potest : ⌶ Ars producendi per praetensum fluidum subtilissimum (qui dicitur magnetismus animalis) effectus, qui revera (saltem maxima ex parte) superstitiosi sunt ⌶. Agendum est itaque de magnetismo 1° inter personam et personam ; 2° inter personam et alias res.

2645. *Quid de magnetismo inter personam et personam, scilicet inter magnetizatorem et magnetizatum ?* Primus et fundamentalis magnetismi effectus consistit in somno (ut aiunt, nervoso), quod magnetizans in magnetizato provocat ; unde hoc magnetismi genus *hypnotismus* (quod verbum significat *dormitionem*) appellatur.

2646. Media somnum huiusmodi provocandi sunt plurima : v. g., persona hypnotizanda tempore notabili obiectum lucidum ab hypnotizatore praesentatum, aut eius oculos, fixe inspicit ; vel hypnotizator personae eiusdem pulsus brachiorum constringit, aut manus eius capiti imponit, aut virga tangit, aut manu eam titillat, aut aqua illam aspergit, aut in eius faciem insufflat, aut voce, vel gestu iubet ut dormiat. Musica etiam, cantu, ictibus penduli horologii etc. idem effectus obtentus fuit. Nec satis. In absentia quoque, ope floris vel anuli vel cuiuslibet obiecti magnetizati, imo sola voluntate (sine ullo actu externo), effectus pariter obtinetur. Plures dicunt, exigi consensum personae hypnotizandae ; sed casus multi in contrarium adducuntur.

2647. In hoc somno (quod potius *somnambulismum* dicitur) persona non evadit perfecte sopita et inertis, sed sequentibus effectibus subiicitur.

Minimus effectus est ut ex una parte vis intellectiva et sensitiva cesset aut

valde minuatur: et ex alia, si intuitu fixo obiecti lucidi hypnotizatio obtenta fuerit, erga illud solum cognitio et sensibilitas restringatur, atque ita hypnotizatus magnum concentrationis sensum experiatur.

2648. Sed ordinarie res multo ulterius et eo usque procedunt, ut hypnotizatus, insensibilis ad omnia alia, subiaceat tantummodo influxui (seu, ut aiunt, *suggestionibus*) sui hypnotizantis, et libero arbitrio destitutus remaneat totaliter (quasi machina) in eiusdem potestate; unde quidquid ille vult, facere, imaginari et dicere cogatur. Somnambulismus autem, in hoc gradu, *lucidus*, aut *clarae intuitionis*, appellatur.

2649. Notandum 1. Non omnes hypnotizari posse; 2. Quidquid minimum sufficere ad hypnotizandos eos, qui paullo antea hypnotizati fuerunt; 3. Somnambulismum seu statum magneticum arbitrio hypnotizantis, et mediis levissimi momenti (v. g., flatu) cessare; 4. Hypnotizantem, durante somnambulismo, iubere posse efficaciter ut, eo cessato, hypnotizatus necessario procedat ad actus post tractum temporis exequendos. Iussa huiusmodi dicuntur suggestiones *a scadenza.*

Veniendo autem ad particularia, effectus mirabiles hypnotismi sunt speciatim sequentes:

2650. I. *Hallucinationes.* Persona hypnotizata ad libitum hypnotizantis, v. g., videt, audit, olfacit, gustat, tangit obiecta quae non adsunt, vel aliter ac adsunt; aut impressiones sine causis aut contra causarum naturam experitur; aut denique circa seipsam diversissimis et vix credibilibus modis hallucinatur. Album pro nigro et nigrum pro albo; foetores pro odoribus gratissimis; acetum pro potu dulcissimo; saccharum pro cibo amarissimo; verum pro falso; falsum pro vero etc. habet. Coelo sereno tonitruis terretur; herbam crudam vel carbones manducat; ad nutum hypuotizantis modo frigore contremit, modo calore intolerabili aestuat. Calamo pro ense, scamno pro equo utitur. Dolores dentium, ventris etc., dum sanissimus est, experitur. Filii, amici etc., persosonae prorsus incognitae ei evadunt. Vestes alienas (vel etiam personae diversi sexus) pro suis accipit, eisque se induit. Sui status, suae aetatis, suae artis, sui sexus, sui nominis, cognominis, domicilii etc. oblitus, firmissime sibi persuadet se esse alium; imo, huiusmodi persuasiones variando, modo unam et modo aliam personam vel etiam bestiam vel mortuum se esse credit: unde, v. g., nobilis puella, iuxta voluntatem hypnotizantis, modo vetulam, modo pauperem, modo rusticam, modo comicam, modo ducem exercitus (Napoleonem, Garibaldium etc.), modo virum insignem (Dantem, Alfieri etc.), modo Episcopum, modo Cappuccinum, modo scimiam, modo canem, modo felem etc. etc. se esse existimat, et iuxta huiusmodi hallucinationes se gerit.

2651. *Transpositio sensuum.* Hinc hypnotizatus, v. g., videt occipite; audit genibus; olfacit manibus; gustat cubitu; loquitur ventre; legit pedibus etc.

2652. *Inertia sensuum et musculorum immobilitas; vel e contra eorundem activitas iuxta voluntatem hypnotizantis.* Hinc hypnotizatus, v. g., in plena luce oculis apertis nihil videt, et nihilominus videt in tenebris vel oculis clausis. Maximis rumoribus surdissimus est, et nihilominus verba submississime prolata perfecte audit. Modo nullam resistentiam opponere potest, et modo valde ultra vires resistit. Percussionibus, vulneribus, doloribus, operationibus chirurgicis etc. insensibilis remanet. Modo loquela ci prorsus adimitur, et modo loqui, cantare, clamare, ululare, latrare, eiulare etc. cogitur. Modo membra ita ei rigescunt ut nulla vi moveri valeant, et modo cogitur ambulare, currere, saltare, cadere, iocare, scribere, et uno verbo quidquid hypnotizator vult, efficere.

2653. *Excitatio aut impeditio passionum.* Hypnotizatus, v. g., cogitur

modo concipere amorem, formidinem, iubilum, odium, etc.; et modo ad infortunia, mortem amicorum, parentum etc. insensibilis remanere, vel contra ea quae hucusque amavit, vel quibus semper deditus fuit, abominationem concipere.

2654. *Visio seu cognitio rerum, quae vel sint post corpora opaca, vel in locis longinquis peragantur.* Hypnotizatus, v. g., legit librum clausum, vel epistolam sigillatam. Cognoscit praecise quid sit in crumena alterius. Distinguit chartas lusorias a tergo. Videt horam quae indicatur ab horologio errante quod ei non ostenditur. Percipit sedem morbi in corpore infirmorum reconditam. Interrogatus de rebus quae in America a tali vel tali persona fiant vel facta fuerint, omnia exacte describit, et iuxta veritatem respondisse postea reperitur.

2655. *Cognitio linguarum vel artium, quarum scientia nunquam acquisita fuit.* Hypnotizans, v. g., efficere potest ut hypnotizatus, qui nullam instructionem unquam habuit, loquatur et scribat lingua latina, graeca, gallica etc.; vel calleat quamlibet scientiam et artem; unde, v. g., musicam componat, penicillo vel acu pingat, photographi vel tipographi vel sutoris vel sartoris vel barbitonsoris etc. artes exerceat; imo et medici excellentissimi partes agat, morbum (quod medici cognoscere non potuerunt) indicando atque accurate verbis technicis describendo, remedia suggerendo etc.

2656. *Oblivio et memoria ad libitum hypnotizantis.* Hypnotizatus scilicet de rebus durante somnambulismo peractis nullam omnino memoriam retinet, nisi hypnotizator velit ut de iisdem sive in toto sive in parte recordetur.

2657. *Quidam effectus physici ad morbos sanandos aut producendos.* Dicunt, v. g., hypnotizantem simplici iussu efficere posse ut quaedam convulsiones repente cessent; ut paralisis hysterica sedem mutet et tandem ipsa quoque cesset; vel e contra ut membrum aliquod paralizetur etc.

2658. *Quid de magnetismo inter personam et alias res?* Magnetizari posse dicunt animalia, et quaslibet res inanimatas, v. g., aquam, flores etc.; sed magnetismus huiusce generis usuvenit praecipue in tabulis, quae rotantes vel pulsantes dicuntur. Tabulae istae primitus exhibebant solum phoenomenon rotationis, ita scilicet ut in gyrum se volverent dum a circumstantium manibus simul connexis tanguntur. Phoenomenon istud magnetismi effectum esse praetendebatur, sed hodie multa alia exhibent phoenomena valde mirabiliora, quae iam iuxta omnes ad *spiritismum* pertinent.

2659. *Quid est spiritismus?* Est complexus phoenomenum mirabilissimorum, quae non praetenduntur esse effectus magnetismi; bene vero Spiritibus tribuuntur, qui, etsi praetendantur esse Angeli boni vel animae mortuorum, reapse (ut videbimus) non nisi Daemones esse possunt.

Haec phoenomena obtineri solent duobus modis: 1° Ope praedictarum tabularum; 2° Ope illorum, qui callent artem advocandi Spiritus, et olim Pythones vel Necromantes appellabantur, hodie autem *mediums* aut *Spiritistae* dicuntur.

2660. *Veniendo ad particularia, quaenam sunt praecipua Spiritismi phoenomena?*

I. Causis physicis minime intervenientibus, corpora ponderosa moventur, et (quin ulla robustissimorum hominum vi firma retineri valeant) agitantur, currunt, saltant, choreas quaslibet (sicut homines) ad musicae rhytmum exe-

quuntur, in altum se elevant et (sicut aves) volant, cubiculi trabibus adhaerent, e fenestra se proiiciunt, et (uno verbo) quidquid vult Spiritista faciunt. In cubiculo repente consurgit ventus, repente splendores apparent, repente tenebrae fiunt. Manus invisibiles te palpant, aut colaphis caedunt. Amplexus vel oscula sentis, et nemo adest. Adde rumores, ictus, tonitrua, sonitus. Ad libitum tuum Spiritista efficit ut quemlibet cantum, et quamlibet armoniam et musicam audias, aut obiecta quae vis, in cubiculum ianuis clausis introducantur; illoque iubente apparent manus, apparent facies, apparent personae, quae nedum oculis sed etiam tactui verae et reales videntur.

2661. II. Spiritus consultantur, ab iisque de rebus nedum occultissimis aut remotis aut futuris, sed etiam ad aliam vitam pertinentibus, responsa obtinentur. Imo res eo usque procedunt ut animae defunctorum evocari videantur, quae tecum colloquantur. Vis, v. g., loqui cum patre tuo defuncto? Pedi tabulae pulsantis calamum aptas. Interrogas; et in charta subiecta characterem ipsius patris tui vides, in quo responsum habes. Imo vivam illius vocem audire poteris: qua de re scribit Gury (*I. 282*): « Adis Pythonem, cui significas id « quod scire cupis..... Ab eo interrogatur, te praesente et audiente, aliquis « Spiritus, quasi sit anima patris tui, matris, sororis etc. Ex responsis quae « dantur, minime dubitare posses te vere cum defunctis charissimis colloquium « habere. Isti enim plurima tibi referunt, et quidem tibi soli nota, aliis vero « prorsus ignota: imo ipso eorum stylo responsa eduntur ».

2662. *Phoenomena hucusque recensita suntne vera? Nonne vanis dicteriis, aut Circulatorum illusionibus et imposturae tribui possent?* Quod inter facta innumera possint esse aliqua quae dicta quidem fuerint sed vera non fuerint; quod etiam non desint qui per imposturam somnambulismum fingunt et secretis conventionibus cum fictis somnambulis credulum vulgum decipiant, vel arte aliqua naturali mira peragant et ignorantibus illudant; concedendum est. Sed verum hypnotismum, verum somnambulismum, verum spiritismum, et uno verbo complexum phoenomenum supra descriptorum, vere subsistere, neque vanis dicteriis neque imposturae tribui posse, pro certo tenendum est.

2663. Enimvero somnum hypnoticum provocari solet a medicis passim. Tabulae rotantes, pulsantes, scribentes, earumque consultationes ad loquendum cum mortuis (ut supra *n. 2661*) iam evaserunt iocus vulgaris. Hypnotizationes cum suggestionibus et hallucinationibus supra descriptis nedum in theatris publicissime peractae fuerunt, sed etiam peraguntur passim in domibus privatis, et sunt solatium conversationum. Alia quoque phoenomena spiritistica, quae sine tabulis et sine hypnotismo (ut supra *n. 2659 et seq.*) obtinentur, certissima sunt. Experimenta innumera toto Orbe et iam a multis annis facta et millies repetita fuerunt. Nedum homines vulgares (qui facile decipiuntur) aut suspecti (qui decipere possent), sed innumeri viri doctrina praediti, a quavis suspicione immunes et fide dignissimi, qui illa bene observarunt et mature examinarunt, nedum de eorundem veritate fidem faciunt, sed etiam cuiuslibet imposturae possibilitatem prorsus excludunt. De rebus istis opera innumera typis edita fuerunt. Illorum Auctores de causis quidem disputant, sed non de factis, quorum existentiam plenissimo consensu recognoscunt.

2664. *Haec phoenomena possentne esse naturalia, an vero interventui diabolico prorsus attribui debent?* Ad minus maxima ex parte, superstitiosa et diabolica sunt. Hoc autem sic patet.

I. Loqui linguis ignotis; videre res sitas post corpora opaca; scire absque ullo medio quae fiunt in locis dissitis; callere scientias in quibus quis nunquam edoctus fuit; transpositio sensuum; efficere ut inter multas personas, quae obiectum (v. g. florem) tangunt, una dumtaxat, iuxta mentalem hypnotizantis intentionem, hypnotizata evadat; efficere ut sola voluntate minime expressa quis nedum magnetizetur, sed etiam quidquid magnetizator vult peragat, et quidem etiam in distantia, imo etiam in futurum, die et momento praecise designato *; efficere ut solo tactu vel nutu tabulae in gyrum se conferant, choreas ducant, in altum se elevent, respondeant, scribant, et quoslibet mortuorum characteres imitentur; efficere ut ianuis clausis obiecta introducantur, sine ullo apparatu tenebrae fiant, splendores emicent, mira cuiuslibet generis appareant, mortuorum voces audiantur etc.; profecto haec omnia naturalia esse nequeunt.

2665. II. Quod autem neque a Deo neque ab Angelis bonis, sed a Daemone procedant, et proinde superstitiosa sint, patet sequentibus rationibus.

1° Magnetizatores et Spiritistae non iam viri sancti, sed malae conscientiae homines, increduli, impii, haeretici, hebraei, et uno verbo cuiuslibet furfuris, esse solent.

2° Miracula Dei sunt rara et gratuita, non vero talia ut de iisdem ars constitui possit.

3° Ad vanam curiositatem, ad iocum, ad solatium theatrorum et conversationum, Deus miracula non facit.

4° Phoenomena hypnotica et spiritistica phoenomenis antiquae divinationis (per Pithones, tripodes etc.), antiquae magiae, et antiquae necromantiae, simillima sunt; unde ipse Potet

* Dicunt, phoenomena ista naturaliter explicari posse, quia, dum homo cogitat aut vult, inducit motum in cerebro suo; et ex hoc motu producuntur oscillationes vel subtilissimi fluidi irradiationes in aere, quae, pertingentes ad cerebrum alterius, producunt in illo motum et proinde cogitationem et voluntatem aequalem. At vero (ego dico), sepositis etiam difficultatibus penetrandi duo crania, et vim habendi non obstantibus distantiis enormissimis atque indeterminatis, cur ad magnetizatum non pertingunt omnes aliae cogitationes magnetizatoris? Cur ad cogitationes aliorum circumstantium et magis vicinorum hypnotizatus insensibilis remanet? Cur iste ea quoque percipit, quae in mente magnetizatoris minime adsunt? Quomodo denique ad ligneas tabulas quoque cogitationes communicantur?

(celebris magnetizator gallicus) aperte dicebat: — Magnetismus est magia —:

5° Aspersione aquae lustralis vel contactu coronae benedictae, pluries accidit quod Daemon suae praesentiae signa manifesta dedit; tunc enim modo tabulae se confregerunt aut e fenestra se deiecerunt aut aspergentem insecutae fuerunt; modo ille ipse, qui illas aspergerat, improvisos morsus vel percussiones passus fuit. Magnam quoque turbationem ostendere solent si de D. N. I. C. interrogentur.

6° Etsi responsa subinde indifferentia sint, vel etiam (Angelo tenebrarum in Angelum lucis se transfigurante) pietatem et virtutem insinuent; tamen, ut plurimum, sunt anticatholica, impia, immoralia, ruinosa; modo enim poenarum aeternitatem denegant, aut metempsicosim persuadent; modo haereticos et scelestissimos homines tamquam salvos et beatos exhibent; modo religionem naturalem sufficientem, et catholicam falsam vel inutilem esse dicunt; modo ab actibus religiosis, et maxime a confessione, avertunt: modo zelothypias et discordias acerrimas inter coniuges accendunt; modo odia suscitant atque ad vindictam incitant; modo in desperationem inducunt; modo suicidium suadent etc. etc.

7° Spiritus interrogati odium Dei, et desiderium sibi subiiciendi homines ostendere solent. Dicunt, v. g.; *Sitis mei, subiicite vos mihi, societatem mecum inite, sim ego dominus vester* etc. Astutiam incredibilem diversissimis modis manifestant. Cuidam qui fidem non adhuc amiserat suaeque salutis aeternae, praedictis suasionibus obtemperando, timorem ostendebat, Spiritus respondit: *Cave, cave, ne me dereliquas; si meus eris in vita, te liberum relinquam in morte et sic salvaberis; sin minus, adeo te tunc urgebo ut, velis nolis, pecces, et sic damneris.* (Huiusmodi autem terrorem adhibere solet Daemon quando personas pias obsedit atque horribilibus modis infestat. Desiderium autem sibi subiiciendi homines nedum in his infestationibus, sed etiam in antiquis Paganorum oraculis, ostendere semper solitus fuit). Adde apertas confessiones, quibus Spiritus nomine Dei interrogati se esse Daemones fassi fuerunt; aut quibus Daemon magnetismum, somnambulismum etc. opera sua esse declaravit (*Scavini II.* 115. 2. *et IV.* 251).

8° Sequuntur etiam alia mala gravissima contra sanitatem aliasque res temporales, contra mores et contra religionem. *Contra sanitatem;* hypnotismus enim, praeterquam quod magnam nervorum debilitatem inducit et hysterismum quamma-

xime adauget, convulsionum quoque, amissionis memoriae, epilessiae, catalexis, somni letargici (a quo persona excuti nequeat), idiotismi, dementiae, paralisis, coecitatis, suffocationis, apoplexiae et mortis (plus vel minus et maxime in quibusdam subiectis) periculum inducit. *Contra alias res temporales;* contingere enim potest quod hypnotizati sua aut suae familiae secreta momentosa pandere, vel in favorem talis aut talis personae testamentum condere, vel quamlibet aliam obligationem contrahere, vel subscriptionem falsam (imitando praecise characterem alterius) apponere, imo ipsum matrimonium celebrare cogantur. *Contra mores;* quum enim hypnotizati (iuxta supradicta) in potestate hypnotizantium remaneant et quidquid illi exigunt facere cogantur, iam exinde turpitudinibus ianua latissima aperitur, imo (si Deus permitteret) contingere posset etiam quod ipsi, velint nolint, ad calumnias, ad falsa testimonia in iudicio, ad furta, ad incendia, ad percussiones, ad venena propinanda, vel utcumque ad homicidia vel ad suicidium procedant. Adde quod hypnotizatio (speciatim si frequenter et maxime in iuvenibus aut foeminis exerceatur), vim nervosam (ut modo dicebam) debilitando et magnam excitabilitatem inducendo, efficit ut, ad passiones vehentissime et mirum in modum excitandas, quid minimum sufficiat. Pericula ista, quoad sanitatem et mores, tam vera tantique momenti sunt, ut, nedum apud nos sed etiam apud exteras nationes, ad remedium apponendum (*cf. Franco L' ipnotismo XXVII*) leges conditae fuerint. Denique *contra Religionem;* praeter enim impietates supra recensitas, notandum est quod sectae spiritisticae (quae ethnicam superstitionem atque adeo regnum Diaboli iterum instaurant) iam per universum mundum efformantur; et hypnotismi atque spiritismi praestigia et portenta mirabilissima veris miraculis et prophetiis (quae potissima sunt nostrae sanctissimae Religionis credibilitatis signa) fidem adimunt.

9ª Habemus denique plures S. Sedis decisiones, quarum duas hic refero.

2666. S. Poenitentiariae ab Episcopo Lausanensi expositus fuit sequens casus particularis: « Persona magnetizata... in eum statum soporis ingreditur, « dictum *somnambulismum magneticum* tam alte, ut nec maximus fragor « ad eius aures, nec ferri ignisve ulla vehementia illam suscitare valeant. A « solo magnetizatore...... ad illud ecstasis genus adducitur, sive variis palpa- « tionibus gesticulationibusve, quando ille adest, sive simplici mandato eo- « demque interno, vel cum pluribus leucis distat. Tunc viva voce seu men- « taliter de suo absentiumve penitus sibi ignotorum morbo interrogata, haec « persona evidenter indocta illico medicos scientia longe superat: res ana- « tomicas accuratissime enunciat: morborum internorum in humano corpore,

« qui cognitu definituque peritis difficillimi sunt, causam, sedem, naturam « indigitat: eorumque progressus, variationes, et complicationes evolvit, id- « que propriis terminis; saepe etiam dictorum morborum diuturnitatem exacte « praenuntiat, remediaque simplicissima et efficacissima praecipit. Si adest « persona, de qua magnetizata mulier consulitur, relationem inter utramque « per contactum instituit magnetizator; cum vero abest, cincinnus ex eius cae- « sarie eam supplet ac sufficit. Hoc enim cincinno tantum ad palmam magne- « tizatae admoto, confestim haec declarare, quid sit (quin aspiciat oculis), « cuius sint capilli, ubinam versetur nunc persona ad quam pertinent, quid « rerum agat, circaque eius morbum omnia supradicta documenta ministrare, « haud aliter atque si medicorum more corpus ipsa introspiceret. Postremo « magnetizata non oculis cernit, ipsis velatis, quidquid erit legit legendi nescia, « seu librum, seu manuscriptum vel apertum vel clausum, seu capiti seu ventri « impositum. Etiam ex hac regione eius verba egredi videntur..... Hoc autem « statu educta vel ad iussum etiam internum magnetizantis vel quasi sponte « sua.... nihil omnino de rebus in paroxismo peractis sibi conscire videtur....; « quaenam ab ipsa petita fuerint, quae vero responderit, quae pertulerit, haec « omnia nullam in eius intellectu ideam, nec minimum in memoria vestigium « reliquerunt...... ». Responsio autem fuit sequens: *S. Poenitentiaria 1 Iulii 1841, mature perpensis expositis, respondendum censet prout respondet: usum magnetismi, prout in casu exponitur, non licere.*

2667. S. Congreg. S. Officii ad omnes totius Orbis Episcopos (4 Augusti 1856) epistolam encyclicam direxit, cuius pars magis momentosa est sequens: « Nonnullae iam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad peculiares « casus, quibus reprobantur tamquam illicita illa experimenta, quae ad finem « non naturalem, non debitis mediis adhibitis, assequendum ordinantur.... Ve- « rum quia, praeter particulares casus, de usu magnetismi generatim agendum « erat, hinc per modum regulae sic statutum fuit feria IV 28 Iul. 1847: *Remoto « omni errore, sortilegio, explicita aut implicita Daemonis invocatione, « usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde « licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum « vel quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum pure physi- « corum ad res et effectus supernaturales, ut physice explicentur, non est « nisi deceptio omnino illicita et haereticalis.* Quamquam generali hoc de- « creto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu vel abusu magnetismi, « tamen adeo crevit hominum malitia, ut, neglecto licito studio scientiae, po- « tius curiosa sectantes, magna cum animarum iactura, ipsiusque civilis so- « cietatis detrimento, ariolandi divinandive principium quoddam se nactos « glorientur. Hinc *somnambulismi et clarae intuitionis* (uti vocant) praesti- « giis, mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se « invisibilia quaeque conspicere effutiunt, et de ipsa religione sermones insti- « tuere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota et longinqua « detegere aliaque id genus superstitiosa exercere, ausu temerario praesumunt... « In hisce omnibus (quacumque demum ducantur arte aut illusione) cum or- « dinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino « illicita et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum ».

2668. *In magnetismo suntne omnia diabolica; an vero aliquid (saltem somnum magneticum) potest esse naturale et licitum?* Hoc in puncto diversae sunt sententiae. Aliqui censent, ipsum quoque somnum magneticum esse diabolicum, tum quia modis improportionatis, imo et solo interno voluntatis imperio,

obtineri potest; tum quia causa, quae producit effectus evidenter diabolicos, est illa ipsa quae obtinet huiusmodi somnum, quod est basis et fundamentum effectuum subsequentium. At vero alii opinantur somnum istud naturale esse censendum et licite procurari posse. Mea sententia est sequens:

Somnum istud, si a magnetizatore mediis improportionatis, et maxime sola voluntate interna, procuretur; tunc de interventu diabolico dubitari nequibit. Secus, si, ad illud obtinendum, intuitus fixus et diuturnus obiecti lucidi (prout a medicis fieri solet) adhibeatur. Patet 1° quia magnae concentrationes (*it. fissazioni*) iam naturaliter de se habent ut subiectus alias facultates non exerceat, atque ad alias impressiones plus vel minus (pro gradu concentrationis) insensibilis reddatur. 2° Experientia patet quod, absque ullo interventu magnetizatoris, idem effectus subsequi potest; et exemplum habemus non solum in iis, qui postquam magnetizationem pluries passi fuerint, ex simplici visione cuiuslibet obiecti lucidi (v. g., flammae, metalli etc.) in statum hypnoticum coniiciuntur (unde iam infelicissimi ad nihil apti remanent); sed etiam in iis, qui nunquam ab aliquo magnetizati fuerunt, qui pariter obiectum lucidum (imo et solam aciem proprii nasi) fixe inspiciendo, in similem statum a semetipsis inducuntur. 3° Aliud indicium reperitur etiam ex eo quod aliqui facile, aliqui difficile, et aliqui nullatenus, hypnotizari possunt. 4° Ipsum supra relatum decretum S. C. S. Officii distinctionem facit inter licitudinem et illicitudinem, atque usum et abusum magnetismi; quae distinctio (ut notat etiam cl. D'Annibale) locum habere nequiret si iam omnia diabolica essent. Neque valet ratio quod causa, quae somnum magneticum, est illa ipsa quae alios effectus, naturaliter inexplicabiles, producit; nihil enim vetat quominus praedispositio naturalis necessaria sit, quatenus scilicet, illa seclusa, Daemon agere aut nequeat (non enim omnipotens est, et Deus quosdam limites bene potuit ei assignare), aut nolit (eo quod nempe ei cordi sit incipere a rebus naturalibus, ut etiam opera sua subsequentia naturalia videantur).

Quum tamen de re periculosa agatur, oportet ut solum gravi de causa (v. g. ad tentandum extremum remedium) hypnotizatio adhibeatur. Persona autem infirma huic remedio consentire nequit, nisi hypnotizator sit vir probus, qui neque ad superstitiones neque ad turpitudines processurus sit. Ad minus denique consulenda erit, ut contra quodlibet Diaboli interventum protestationem emittat. Vide *Praxis* (*Ed. II. Vol. II. n.* 3279).

2669. *An liceat ob curiositatem et solatium experimentis spiritisticis vel hypnoticis* (*superstitiosis*) *interesse?* Negative 1° propter communicationem cum Daemone (maxime si interrogationes fiant); 2° propter cooperationem, et quia interessentes his superstitionibus perpetrandis ansam dant; 3° propter periculum perversionis speciatim in materia fidei ; 4° propter scandalum. Idque verum esset quamvis contra Daemonis interventum protestatio (quae esset contra factum) fieret; aut quamvis obiecta benedicta (quae contra Diabolum vim infallibilem minime habent) secum deferrentur.

2670. *An liceat interrogare Spiritus, vel Mediums, vel Somnambulas hypnotizatas ad sciendas res utiles vel necessarias, v. g., qualitatem morbi, remedia etc.?* Negative; haec enim *divinationis* malitiam includerent; nec sunt facienda mala ut eveniant bona.

2671. *An liceat uti remedio naturali, quod praedictis aliisve modis superstitiosis cognitum fuerit?* Affirmative, si vere ex toto naturaliter operetur. Ratio est quia, licet illa cognitio male parta sit, peccatum tamen transiit, neque virtus naturalis ex eo quidquam mali contraxit. *Busembaum et Sanchez apud Ballerini* (*Op. th. VI. I.* 93).

ARTICULUS IV.

DE IRRELIGIOSITATE.

PUNCTUM I.

De tentatione Dei.

2672. *Tentatio Dei in quo consistit?* In impie provocando vel temere expectando miraculo (aut alio effectu extraordinario) a Deo. Dixi *impie vel temere;* secus enim esset, si quis miraculum sive ad bonum et magnum finem humiliter peteret, sive ex certa Dei inspiratione exspectaret vel promitteret.

2673. *Quot modis tentatio Dei contingere potest?* Duobus: 1° ex culpabili incredulitate (et tunc miraculum impie provocatur); 2° ex nimia fiducia (et tunc miraculum temere expectatur).

2674. *Quomodo tentatio Dei contingere potest ex incredulitate?* Exemplum habes in Iudaeis qui Iesu Christo crucifixo dicebant: *Si filius Dei es, descende de cruce.* Alia exempla. Impius horribilissime blasphemat, hostias

consecratas pedibus conculcat, et dicit: — Si Deus existit, si Christus est in hostiis istis, si potest me punire; nunc tempus est ut suam existentiam, praesentiam et potentiam ostendat! Eia ergo fulmine me incendat —. Alter impius dicit: — Si Deus vult ut credam Religionem catholicam esse veram, efficiat ut miraculum aliquod conspiciam —.

2675. *Quomodo tentatio Dei contingere potest ex nimia fiducia?* Exempla huiusce generis sunt innumera. Titius morbo gravi affectus respuit medicinas et expectat ut sanetur a Deo. Caius negligit necessaria ad victum atque educationem filiorum, et dicit quod curam illorum habebit Deus. Livius concionem non praeparat, et pro bono concionis ipsius exitu fiduciam ponit in Deo. Petrus expectat a Deo auxilia spiritualia et gloriam aeternam, exponendo se periculis et non ponendo media. Paullus ex curiositate petit videre Angelos. Sempronius ex devotione male apprehensa vult se nutrire sola Eucharistia, aut transigere quadraginta dies sine ullo cibo; atque interim conservationem vitae a Deo expectat; vel audiens quod S. Franciscus de Paula transegit mare super pallio extenso, idem facere intendit. Missionarius, ad conversionem haereticorum obtinendam, miracula (sine certa Dei inspiratione) eis promittit. Christifidelis, sine necessitate vel prudenti convenientia, martyrio se offert. Antiquitus tentatio Dei interveniebat dum iudices recurrebant ad media apprehendendi ferrum candens, vel ambulandi super prunas, ut quis sic probaret se esse innocentem, si nempe illaesus remansurus esset. Idem dic de probanda innocentia per duella, quae tunc dicebantur *iudicia Dei.*

2676. *Cur tentatio Dei est peccatum?* Quia est contra reverentiam Deo debitam (atque adeo contra virtutem Religionis); idque verum est non solum quando culpabili incredulitate, sed etiam quando ex nimia et temeraria fiducia, miraculum provocatur vel expectatur. Praetendere enim quod Deus sive ad obtemperandum voluntati cuiuslibet, sive ad satisfaciendum vanae curiositati, sive ad succurrendum stultitiae aut temeritati alicuius, miracula faciat, nonne irreverentia est? Hinc (Matth. IV) legitur: « Assumpsit eum (Iesum) Diabolus in « sanctam civitatem et statuit eum super pinnaculum templi. « Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est « enim: Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tol- « lent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi « Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum « tuum ».

2677. *An tentatio Dei sit semper peccatum mortale?* Si proveniat ex culpabili et impia incredulitate, affirmative. Si vero ex nimia et temeraria fiducia proveniret, quamvis tunc quoque ordinarie esset mortalis, tamen aliquando posset esse venialis; si nempe ageretur de re, ex qua, miraculo non obtento, non magnum malum secuturum esset; ut puta, si in levi morbo quis reiicieret medicinam et speraret sanitatem a Deo; multo magis quia res huiusmodi non miracula, sed solum *gratiae,* appellari solent.

2678. *Quid si quis in periculum quidem vel ruinam se coniiceret, sed ita ut a Deo nihil expectaret?* De tentatione Dei reus non foret; sed, si ruinam propriam intenderet, contra charitatem erga seipsum delinqueret; vel, si periculum non perspiceret vel a natura remedium expectaret (dum expectari non posset), stolidus esset.

PUNCTUM II.

De sacrilegio.

2679. *Quid est sacrilegium?* Est indigna tractatio rei sacrae.

Quaedam indignae rerum sacrarum tractationes non sacrilegia, sed *irreverentiae* dicuntur. Haec distinctio hic negligitur, et de sacrilegiis et irreverentiis promiscue agitur.

2680. *Sacrilegium estne peccatum mortale?* Solet esse mortale; sed levitatem materiae admittere potest. Praxis (*Ed. II. n.* 267), ubi notatur quod aliquid potest esse mortale in alio genere simulque veniale in genere irreverentiae, v. g., si quis in Ecclesia voluntatem occidendi conciperet.

2681. *Sacrilegium quotuplex esse potest?* Triplex: reale, locale, personale.

§ I.

De sacrilegio reali.

2682. *Quandonam sacrilegium est reale?* Quando contingit in obiectis et actionibus sacris.

Obiecta sacra sunt speciatim SS.ma Eucharistia, Reliquiae Sanctorum, Sacra Olea, altaria, vasa sacra, supellectiles sacrae, Sacrae Imagines, aqua benedicta, bona et iura ecclesiastica.

Actiones sacrae sunt speciatim celebratio Missae, administratio et receptio Sacramentorum, sacrae functiones, musica sacra, sacrae conciones, et orationes.

2683. *Quid de sacrilegio (quoad gradum culpae) in peragendis sacris functionibus sine statu gratiae?* Aliquando est grave, aliquando est leve, et aliquando nihil.

Est grave quoad celebrationem Missae, atque administrationem Sacramentorum. Idem (contra plures) dicendum est de distributione, et de quovis contactu immediato SS.mae Eucharistiae.

Est veniale in tangenda SS.ma Eucharistia sed non immediate; item in Parocho qui (sine Missa) matrimonio assistat; item in exercendo officio Diaconatus et Subdiaconatus.

Exercere autem alias functionis sine statu gratiae nullum sacrilegium est. *Praxis* (*l. c. n.* 3381).

2684. *Quid de sacrilegio in recipiendis Sacramentis?* Recipere Sacramenta *vivorum* sine statu gratiae; et *mortuorum* sine dispositionibus ad gratiam in iisdem obtinendam requisitis, grave sacrilegium est.

2685. *Quid si ex una parte quis esset in mortali; et ex alia casus recipiendi aut conferendi Sacramentum, vel etiam Missam celebrandi, ita urgeret, ut (v. g., propter specialem difficultatem poenitendi) tempus se ad contritionem praeparandi et excitandi ei minime suppeteret? Quid 2. si de administrando Baptismo non iam ex officio sacerdotali, sed privatim in casu necessitatis, vel de colligenda particula consecrata, quae in terram decidisset, ageretur?* In his casibus, ex defectu status gratiae, sacrilegium non interveniret. Praxis (*n. 274*).

2686. *Praeter sacrilegia propter defectum status gratiae, quinam alii sunt casus magis practici, in quibus circa res aut actiones sacras sacrilegia vel irreverentiae graves vel leves contingunt?* Peccatum mortale accidit speciatim 1.° Si rectores ecclesiarum SS.mam Eucharistiam non renovent, cum periculo ne sacrae species corrumpantur; et idem dic si absque lampade ardenti Sacramentum integro die, vel aliquot integris noctibus (*S. Lig. VI.* 248), relinquant. 2.° Si iidem rectores templum, tabernacula, vasa sacra, sacrasque suppellectiles ita negligant, ut magnae indecentiae aut magna inconvenientia locum habeant; et idem dic si ipsi rectores iura Ecclesiae perire sinant. 3.° Si furta sacrilega in materia gravi committantur, et multo magis si bona ecclesiastica usurpentur aut usurpata emantur et in alios usus convertantur. 4.° Si obiecta sacra derideantur et publicae irrisioni, v. g., in theatro vel in bacchanalibus, exponantur. 5.° Si quis SS.mam Eucharistiam obviam habens nullum reverentiae signum faciat. 6.° Si officia spiritualia mercimonio, in quo simonia consistit (de qua infra verba faciam), exponantur.

Irreverentiae autem modo graves modo leves contingunt, v. g., si tempore Missae aut sacrarum functionum aut orationis, sive a Sacerdotibus sive a simplicibus Christifidelibus, debita devotio non praestetur; vel si imagines sacrae non satis decenter pictae publice exponantur; vel si vasa sacra a laicis sine necessitate tangantur; vel si aliquod supellectilis benedictae et destructae residuum in usum profanum adhibeatur; vel si cor-

poralia, pallae et purificatoria (quin prius a Sacerdote abluta fuerint) abluantur etc. Vide D'Annibale (*Summ. III.* 20 *not.* 56), Irreverentia esset quoque dare reliquias, vel coronam benedictam, vel aliam rem sacram concubinae, si praecise pro peccato haec ei darentur. Item si peccata (speciatim externa) committerentur, dum gestantur reliquiae insignes, aut oleum infirmorum, maxime vero SS.ma Eucharistia (etsi occulte). Idem tamen de peccatis commissis, dum consueta numismata collo appensa habentur, dici non debet. Vide Diana (*I. VII. Res.* 80. 81).

2687. *Quomodo distinguitur sacrum a non sacro; et cur in rei sacrae mala tractatione intervenit speciale peccatum?*

I. Sacrum est quidquid cultui Dei speciali modo dicatum est. Plures dicunt exigi consecrationem vel benedictionem Ecclesiae ut aliquid sacrum evadat. (Cf. Ballerini Op. th. VI. 135). Sed hoc mihi verum non videtur; secus enim in usurpandis illis bonis et iuribus Ecclesiae, quae benedicta non fuerunt, sacrilegium non interveniret. Fatendum tamen quod consecratio multum influit ut sacrilegium sit mortale, qua seclusa peccatum, in ratione sacrilegii, facile veniale tantum erit.

II. In mala tractatione rei sacrae speciale peccatum intervenit, propter specialem reverentiam ei debitam; sicut aliud est conspurcare purpuram mercatoris illam vendentis, et aliud conspurcare purpuram Regis. Cf. Ballerini (*l, c.* 131).

§ II.

De sacrilegio locali.

2688. *Quandonam sacrilegium est locale?* Quando offenditur locus sacer; prout contingit 1° in profanatione Ecclesiae; 2° in violatione coemeterii; 3° in fractione clausurae; 4° in violatione immunitatis ecclesiasticae.

2689. *Quot modis Ecclesia profanari potest?* Duobus, nempe si in ipsa 1° exerceantur actiones profanae sine necessitate; 2° peccata (speciatim externa) committantur. Praxis (*n.* 278).

2690. *Quid de gradu culpae in profanatione Ecclesiae?* Potest esse gravissima, gravis, levis, vel levissima. Ut sit gravis, oportet ut agatur de re externa, quae magnam indecentiam praeseferat. Si sit levis, dicitur potius irreverentia (*l. c.* 279).

2691. *Quid de pollutione Ecclesiae?* Ecclesia nedum profanatur sed polluitur (unde indiget nova benedictione) 1. pro-

pter homicidium: 2. effusionem sanguinis: 3. effusionem seminis (Intellige si sint graviter culpabilia et notoria). Item 4. propter notoriam sepulturam infidelis aut excommunicati vitandi. Sed haec alibi melius explicabuntur.

2692. *An Oratorium privatum considerari debeat ut sacrum?* Affirmative. Attamen peccatum grave non aderit, nisi fuerit benedictum, in eoque Missa celebrari possit.

2693. *Quot modis potest profanari coemeterium?* 1. Per quatuor praedicta; 2· per sepulturam eorum, qui iuxta regulas in Rituali expositas in loco sacro sepeliri nequeunt, cuiusmodi sunt praecipue qui notorie impoenitentes mortui sunt. Videndum tamen an coemeterium sit vere sacrum, et an regulae Ritualis in loco adhuc vigeant; nec circumstantiae particulares aliud omnino exigant.

2694. *In quo consistit violatio clausurae?* Si Monasterium sit subiectum clausurae, violatio consistit (si agatur de Monialibus) tum in egressu Monialis, tum in ingressu personae cuiuslibet sine legitima licentia; si vero agatur de Religiosis, solum in ingressu foeminae, et in egressu Religiosi absque licentia. Peccatum est mortale. Sed haec etiam alibi melius explicabuntur.

2695. *Quid est violatio immunitatis ecclesiasticae?* Consistit in iniusta et violenta invasione Ecclesiae, aut publici Oratorii, aut domus parochialis, aut palatii episcopalis, aut Seminarii ecclesiastici, aut domus Regularium, aut coemeterii sacri. Immunitas violari posset etiam, si absque permissione Ecclesiae reus ab his locis extraheretur. Cf. *Praxis n.* 281.

§ III.

De sacrilegio personali.

2696. *Quandonam sacrilegium est personale?* Quando male tractatur vel contaminatur persona sacra; cuiusmodi sunt non solum Clerici in sacris et Monachi professi (idem dic de Monialibus); sed etiam clerici *in minoribus* et novitii; imo aliquo modo (si quid opinor) quotquot de licentia Episcopi clericalem habitum induunt (etsi tonsuram adhuc non receperint), et foeminae sacrum habitum gestantes in piis congregationibus ab Ecclesia approbatis, quamvis Moniales veri nominis minime sint.

2697. *Quot modis contingere potest sacrilegium personale?* Iuxta Theologos, casus sunt sequentes:

I. Violenta manuum iniectio in clericum vel monachum con-

tra *privilegium canonis ;* et adductio personae ecclesiasticae ad iudicem saecularem contra *privilegium fori.*

II. Violatio castitatis post Ordinem sacrum aut professionem religiosam : sive 1. persona sacra solitarie (opere aut sola cogitatione) suum votum violet ; sive 2. persona saecularis cum persona sacra peccatum carnale committat (quo casu, supposito consensu ex utraque parte, utrinque sacrilegium committitur); sive 3. persona sacra tentet personam saecularem ad peccandum solitarie vel cum aliis (neque dicas, non alienam sed propriam castitatem fuisse promissam ; nonne enim sermonibus turpibus tu quoque peccas contra castitatem ?); sive denique 4. duae personae sacrae carnaliter peccent, (quo casu non unicum, sed duplex est utrinque sacrilegium).

2698. Equidem isti sunt modi principales; sed aliquo sensu (et iuxta Christifidelium persuasionem) de sacrilegio participant aut saltem specialem irreverentiam includunt, v. g., contumeliae, detractiones et aliae iniuriae contra personas sacras. Item peccata mortalia, speciatim carnalia, maxime vero notoria et probrosa, commissa a personis sacrum habitum gestantibus, quamvis nec in sacris nec solemniter professae forent. Denique provocationes ad peccandum personis utcumque sacris directae. Concedendum tamen quod ratio sacrilegii in casibus istis facile levis tantummodo erit.

2699. *An violatio voti simplicis castitatis in persona saeculari includat sacrilegium ?* Violatio ista perfidiam certe includit. Aliqui dicunt includere etiam sacrilegium, et ego quoque non ita pridem (*Praxis* 287) sic sentiebam, sed nunc (re melius perpensa) censeo, sacrilegium non adesse ; per huiusmodi enim votum persona ad cultum Dei dicata minime evadit. Si tamen matrimonium contraheret ; tunc, propter sacrilegam huius Sacramenti receptionem, sacrilegii realis reatum contraheret.

2700. *An violatio voti simplicis a violatione voti solemnis differat specie?* Affirmative non solum quia in primo casu adest solum perfidia, et in secundo perfidiae sacrilegium superadditur ; sed etiam quia, etsi (iuxta aliorum sententiam) sacrilegium adesset in utroque casu ; propter superadditam Ecclesiae ad Dei cultum specialissimam consecrationem, nimia diversitas inter casum et casum formaliter interveniret.

2701. *An Sacerdos, qui sit etiam Religiosus professus, si peccet contra castitatem, non unum sed duo sacrilegia committat?* Negative. Repetitio enim voti circa eandem materiam et ex eodem fine, non efficit ut voti eiusdem violatio novam malitiam induat.

§ IV.

De differentia specifica in sacrilegiis.

2702. *An sufficiat si poenitens dicat:* Sacrilegium commisi; *aut debeat explicare an sacrilegium fuerit reale vel locale vel personale?*

Sacrilegium ut plurimum ita contingit, ut praeter religionem aliae virtutes offensae fuerint, et sic in illo differentiae specificae intervenerint, quae exprimi nequeunt quin simul appareat an sacrilegium fuerit reale vel locale vel personale; et tunc indirecte intervenit necessitas id exprimendi. Dicit, v. g., poenitens: *Usurpavi vel surripui res sacras* (en manifestatio sacrilegii realis); vel: *Homicidium commisi in Ecclesia* (en manifestatio sacrilegii localis); vel: *Rem habui cum Moniali* aut *percussi clericum* (en manifestatio sacrilegii personalis).

2703. Aliquando contingere potest quod quis commiserit plura sacrilegia, quae nihil vel leviter alias virtutes, graviter vero solam religionem modo circiter aequali, offenderint; et tunc, etsi unum fuerit, v. g., locale, et aliud reale, non oportebit id exprimere. Titius, v. g., ex despectu conspurcavit Ecclesiam (en sacrilegium locale) et conspurcavit etiam Baptisterium (en sacrilegium reale). Mihi videtur satis esse si in confessione dicat se ex despectu duo obiecta sacra conspurcasse. Distinctio enim inter sacrilegia realia, localia et personalia mihi videtur inducta potius ad classes faciendas (ratione perspicuitatis), quam ad indicandum quod revera species sint *semper* diversae. Cf. Ballerini (*Op. th. VI.* I. 132).

2704. *Qui commisit duo sacrilegia eiusdem classis satisfacitne semper confessioni, si dicat v. g,;* Commisi duo sacrilegia realia, vel personalia, etc.?

Negative, si praeter Religionem offenderit virtutes diversas (Titius, v. g., percussit Clericum et violavit Monialem); vel si Religionem offenderit modis radicaliter diversis (Caius, v. g., conculcavit imaginem et sacrilege communicavit).

Affirmative, si solam religionem modo circiter aequali offendisset (Sempronius, v. g., una vice unam et alia aliam imaginem sacram conculcavit). Cf. Ballerini (*l. c.* 133).

PUNCTUM III.

De simonia.

§ I.

De natura et malitia simoniae.

2705. *Quid est simonia? Et in quo consistit eiusdem malitia?* Distinguendum est inter simoniam iuris naturalis seu divini, et simoniam solius iuris ecclesiastici.

Simonia iuris naturalis definiri solet *studiosa voluntas emendi aut vendendi rem spiritualem pretio temporali:* Dicitur *studiosa voluntas*, quia sufficit etiam emptio aut venditio attentata. Malitia huiusmodi simoniae consistit in gravi irreverentia, vilipendio et sacrilegio; nefas enim est spiritualia cum temporalibus comparare, quasi illa istis aequalia censenda forent; unde Petrus (*Act. VIII*) dixit Simoni Mago: « Pecunia « tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti « pecunia possideri ». Simonia autem solius iuris ecclesiastici contingit in contractibus de rebus sacris, qui, propter periculum simoniae naturalis, aut eius similitudinem, ab Ecclesia tamquam simoniaci considerantur et prohibentur. Exemplum habes in permutationibus beneficiorum sine legitima auctoritate peractis.

Ut itaque simonia constituatur, oportet ut vel interveniat emptio aut venditio (saltem attentata) rei spiritualis praecise, pro pretio temporali; vel (si haec extrema non verificentur) agatur de contractu qui tamquam simoniacus ab Ecclesia fuerit prohibitus.

Sed haec sunt explicanda. Declarandum est scilicet 1. Quaenam sint res spirituales; 2. Quid habere possit rationem pretii temporalis; 3. Quandonam interveniat vera emptio aut venditio simoniaca; 4. Quinam contractus solo iure ecclesiastico simoniaci sint; 5. Quaenam poenae incurrantur a Simoniacis; 6. An Simoniaci teneantur ad restitutionem?

§ II.

Quaenam sint res spirituales, in quibus simonia intervenire potest.

2706. Huiusmodi sunt omnes res et actiones sacrae, quae scilicet cultui divino consecratae sunt, vel ad colendum Deum aut animas sanctificandas proxime diriguntur. Equidem in re-

bus et actionibus istis pars quoque temporalis et materialis subsistit; sed simoniae obiectum esse possunt, sive quatenus emptio et venditio ad earundem partem spiritualem et sacram dirigatur (exigendo maius pretium intuitu sanctitatis adnexae), sive quatenus pars materialis vel utcumque sit invendibilis (v. g., dos beneficii), vel Ecclesia contractum tamquam simoniacum damnet.

Veniendo ad particularia, res huiusmodi sunt speciatim sequentes. 1. Collatio Ordinum, et quarumcumque dignitatum atque officiorum ecclesiasticorum; 2. Collatio Beneficii ecclesiastici; ius patronatus, et praesentatio ad beneficium; 3. Exercitium Ordinum, seu quaecumque functiones ecclesiasticae; v. g., Missa, Sacramenta, benedictiones, exorcismi, consecrationes, exequiae, conciones, cantus sacer etc. 4. Res benedictae vel consecratae, v. g., templa, altaria, vasa sacra, supellectiles sacrae, Olea sacra etc. 5. Ingressus in Religionem et professio religiosa; 6. Reliquiae Sanctorum; 7. Actus iurisdictionis ecclesiasticae, v. g., absolutio a peccatis et censuris, denegatio absolutionis, indulgentiae, dispensationes, sacra visitatio episcopalis etc.; 8. Orationes etiam privatae, ieiunia etc.; 9. Locus sepulturae.

§ III.

Quid habere possit rationem pretii temporalis?

2707. Notissima est regula iuris canonici, quae dicit pretium temporale esse posse munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio.

Munus a manu, scilicet si personae, quae retribuet spirituale, detur, v. g., pecunia; remissio debiti; mutuum (maxime sine auctario); famulatus sine salario; remissio stipendii pro officio vicarii aut pro celebratione Missarum etc.; victus, vestitus, habitatio (quin dicta persona aliquid solvat); prandia, coenae, etc.

Munus a lingua, scilicet intercessiones, commendationes etc. in favorem personae quae datura erit spirituale.

Munus ab obsequio; scilicet homagium vel obsequium, quod in rei spiritualis compensationem exigatur.

§ IV.

Quandonam vera emptio aut venditio simoniaca interveniat vel non interveniat?

2708. *Quandonam non intervenit? Quinam scilicet sunt iusti tituli a simonia excusantes, seu quinam contractus circa res sacras absque simonia fieri possunt?* Casus sunt sequentes

I. Si temporale nullatenus interveniat, v, g., promissio orandi (dummodo tamen oratio petita gravamen notabilem non afferat, aut saltem in pactum rigorosum non deducatur).

II. Si temporale detur pro spirituali redundante solum in utilitatem recipientis; ut si quis det dotem pro professione religiosa, aut promittat praemium pro emendatione, pro actibus virtuosis etc.

III. Si temporale detur pro spirituali redundante quidem in utilitatem dantis (v. g. pro beneficio ecclesiastico); sed solum sponte et post factum ex gratitudine. Excipe nisi lege positiva id quoque vetetur (vide infra *n.* 2712. *V*).

IV. Si temporale detur quidem etiam ante factum intuitu et sub spe spiritualis redundantis in utilitatem dantis; sed ad modum doni atque insuper ita, ut malitia obligandi et veluti cogendi ad spirituale retribuendum non adsit, ut melius infra *n.* 2710 *II.* 2711 explicabitur. Hoc tamen in quovis casu periculosum esse solet.

V. Si temporale detur vel exigatur ad modum mulctae pro dispensationibus, et solum in casibus ab Ecclesia approbatis.

VI. Si temporale detur ad redimendam iniustam vexationem. Sed hoc est rite intelligendum. Licet nempe dare temporale ad avertendam iniquam persecutionem aut subornationem apud Superiorem (a quo spirituale, v. g. Ordo sacer vel Beneficium, dari debet), vel etiam ad ineundam reconciliationem cum Superiore ipso iniuste averso; non vero id liceret si Superior omnino vellet pecuniam nec alicui esset daturus Beneficium sine pecunia. Eodem modo distinguendum est quoad Sacerdotem a quo Sacramentum recipi vellet. Aliud enim est si ex speciali inimicitia illud tibi non esset daturus (unde, ut inimicitiam deponat, munus ei offeras), et aliud si, nonnisi pecunia soluta, Sacramenta conferre cuiquam esset paratus. Si tamen magna adesset necessitas habendi spirituale illudque ab

aliis vel alio modo recipi nequiret, tunc necessitas ab irreverentia excusaret, et sic a parte dantis simonia non interveniret. Cf. Praxis (*Ed. II.* 347).

VII. Si detur spirituale (v. g., beneficium) pariter ad redimendam iniustam vexationem, seu persecutionem: attamen secluso pacto (*L. c.* 348).

VIII. Si temporale detur, vel acceptetur, vel exigatur iuxta mensuram et conditiones in loco legitime probatas, titulo sustentationis (qui enim altari inservit, de altari vivere debet), aut etiam (ut plures opinantur: qua de re Cf. *Praxis n.* 354) titulo mercedis pro labore et incommodo (etiam ordinario et intrinseco) a sacris ministeriis inseparabili. Dixi *iuxta mensuram et conditiones* etc. Sic, v. g., stipendium Missae potest dari et acceptari quamvis esset pinguissimum, sed (secluso incommodo extraordinario, seu, ut aiunt, accidentali et extrinseco) exigi nequit nisi iuxta taxam consuetam, quae iuxta diversa loca et tempora maior vel minor esse potest. Sic etiam quaedam officia (v. g., Missa diebus festis, sermones ad populum etc.) praestari debent *gratis* a Parochis, sed non item ab aliis Sacerdotibus. Quaedam deduci possunt in pactum etiam ante factum (v. g. ut pro Missa stipendium detur): et alia (v. g., emolumenta Parochi pro sepulturis) solum post factum exigi valent. In quibusdam (v. g., pro assistentia moribundorum, pro audiendis confessionibus etc.) Sacerdotes nihil a Chistifidelibus, sed stipendium proportionatum a Parochis (prout faciunt eorum Vicarii) exigere possunt. Aliqua dari et acceptari (v. g., occasione Sacramentorum), sed peti nequeunt. Aliqua denique (v. g., occasione sacrae visitationis) ne quidem sponte oblata acceptari possunt.

IX. Si (ut supra innui) temporale exigatur pro labore extraordinario seu (ut aiunt) extrinseco, dummodo sit proportionatum, v. g., si Missa celebrari debeat in loco dissito, hora incommoda etc., et necessarium neque scandalosum sit, pactum prius instituere; vel si speciale aliquod damnum aut lucrum cessans Sacerdos pati cogeretur, quia tali vel tali tempore in sacro ministerio (quod ex officio praestare non teneatur) occupari debeat. *Cf. Praxis* (*n.* 350. 351).

X. Si temporale exigatur non pro sacro ministerio, sed pro utensilibus aliisve expensis necessariis (quae ex officio gratis tolerari non debeant); vel pro scriptura et expensis cancellariae (iuxta taxas legitimas et permissas); vel si vendantur obiecta consecrata (v. g., calices, apparatus etc.) pro valore

materiae (nisi lex aliqua, prout si venderetur Oleum Sanctum, in contrarium adsit); vel denique propter specialem affectionem, seu propter sacrificium, cui quis subiiceretur, aliqua re sacra (v. g., Reliquia) se privando.

2709. *Quandonam vera emptio et venditio simoniaca interveniat?* Quando deficiunt legitimi tituli supra expositi, et res ita peragitur ut iam iuxta sensum communem de vera emptione vel venditione rei sacrae invendibilis (v. g. Beneficii, Sacrae Ordinationis etc.) agatur. Hoc autem diversis modis contingere potest; unde imprimis oritur distinctio simoniae *conventionalis* et *mentalis*.

2710. *Quandonam simonia est conventionalis?*

I. Quando intervenit *pactum expressum;* et tunc simonia potest esse pura, mixta, et realis. *Pura,* si sola promissio ex utraque parte adfuerit; *mixta,* si executio locum habuerit, sed solum ab una parte; *realis,* si ex utraque parte contractus fuerit executioni demandatus; quin tamen obstet, si forte pretium non totaliter adhuc solutum fuisset.

II. Quando intervenit *pactum tacitum;* ita scilicet ut, quamvis conventio expressa non adfuerit, tamen *clare et manifeste* temporale datum fuerit ex intentione obligandi ad retribuendum spirituale, et sic vicissim fuerit acceptatum cum tacita promissione dandi ipsum spirituale; unde in tribunalibus quoque de existentia simoniae iudicium ferri posset. Dixi *ex intentione obligandi:* ita scilicet ut, secus (prout dicit Viva in *Prop. XLV. Innoc. XI*) Superior « aliquam notam subiret, perinde « ac si aut iniuste aut infideliter se gereret, acceptando tem« porale, et non conferendo spirituale, aut e contra ». Casum habes, v. g., si quis servitia (magna mercede digna) declararet se gratis praestare Episcopo, de quo sit notorium quod gratis ei inservientibus, beneficia confert: aut si quis (indignus vel minus dignus) ad beneficium concurrens ingentem pecuniae summam daret Episcopo, qui illam acceptaret, simulque beneficium ei conferret. Aliud esset si illam acceptaret, et postea beneficium non daret. Cf. Praxis (*Ed. II.* 327-331).

2711. *Quandonam simonia est mentalis?* In sensu Canonistarum haec contingit quando emptio et venditio, non est clara et manifesta, ut supra; sed huiusmodi malitiae (emendi et vendendi) indicia gravia apponantur.

Exempla. Titius longo tempore deservit Episcopo et non declarans an gratis inserviat, an vero mercedem expectet, animo suo recondit intentionem habendi pro mercede beneficium, quod Episcopus (qui pariter de mercede

in posterum ei danda vel non danda nihil dicit) ei confert. — Caius Episcopo commodavit centum scutata, quae post breve tempus restitui debuissent, Sed, Episcopo nihil restituente, Caius silet, expectando pro illis beneficium; quod reapse ei confert Episcopus, qui nec tunc nec postea de centum illis scutatis quidquam dicit. — Sempronius Patrono cuiusdam Beneficii dat munera alicuius valoris, illumque frequenter invitat eique magna prandia parat, eo solo animo ut suo tempore Beneficium ipsum obtineat.

In his et similibus casibus simonia certe intervenit; nec obstat quod quis se illudat dicendo animum emendi et vendendi non habere; damnatae enim fuerunt ab Innoc. XI duae sequentes propositiones: « Dare temporale pro spiri« tuali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed « dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam « qnando temporale est solum gratuita compensatio pro spirituali, vel e con« tra ». — « Et id quoque locum habet etiamsi temporale sit principale moti« vum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, ut si id pluris « aestimetur quam res spiritualis ». Attamen simonia huiusmodi, quamvis aliquo modo externe appareat, a Canonistis dicitur *mentalis*, quia in tribunalibus probari non posset, et poenis ecclesiasticis non subiacet (Cf. Ballerini *Op. th. VI.* I. *313*). Caeterum simonia dici posset mentalis etiam alio sensu, si nempe quis simoniam committendi desiderium vel propositum in corde suo penitus reconderet; sed haec non esset illa quae a Canonistis mentalis appellatur.

§ V.

De simonia iuris ecclesiastici et speciatim de simonia confidentiali.

2712. *Quandonam accidit simonia iuris ecclesiastici in materia beneficiaria?* Casus sunt praecipue sequentes.

I. Vendere beneficia, accipiendo pecuniam non pro iure exercendi officium (tunc enim certe esset iuris divini), sed pro iure percipiendi fructus. Ita docent plures (contra alios, qui censent, tunc quoque simoniam esse iuris divini. S. Lig. III. 69). Attamen certe, praeter simoniam iuris ecclesiastici, interveniret iniustitia; unde Alexander VII damnavit sequentem prop.: « Non est contra iustitiam Beneficia ecclesiastica non « conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia eccle« siastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione « Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi « conferre non tenebatur ». Cf *Praxis* (*n.* 357).

II. Vendere ius patronatus, iuxta plures (contra alios qui pariter censent esse simoniam iuris divini). Cf. S. Lig. (*l. c.* 71).

III. Transactiones facere circa Beneficia absque legitima auctoritate. S. Lig. (*l. c.* 77).

IV. Promittere pecuniam alicui, ut intercessoris partes agat ad obtinendum Beneficium (non tamen pro simplici expositione meritorum vel pro expensis itineris etc.). S. Lig. (*l. c.* 64).

V. Aliquid dare (etsi sponte) Examinatoribus synodalibus, vel sponte datum accipere, occasione examinis in concursu ad Ecclesias parochiales. (*Trid. XXIX.* xviii).

VI. Beneficia commutare sine legitima auctoritate (*S. Lig. l. c.* 72-76).

VII. Resignare beneficium in manu Episcopi cum designatione personae, seu conventione facta cum Episcopo ipso, ut Beneficium eidem personae detur. Resignationes huiusmodi solum in manu Pontificis absque simonia fieri possunt. (*S. Lig. l. c.* 81-84).

VIII. Aliquid solvere pro admissione in possessionem Beneficii, nisi ex consuetudine ageretur de solutione ad causas pias.

2713. *Quandonam intervenit simonia confidentialis seu fiduciaria seu qualificata?*

Intervenit quando qui alteri beneficium dat vel renuntiat, sibi aliquid reservat circa beneficium ipsum pacto occulto vel a solo Episcopo approbato, sine licentia Sedis Apostolicae. Reservationes huiusmodi possunt esse sequentes: 1° reservatio *fructuum vel pensionis* (adest simonia iuris ecclesiastici, quamvis pensio esset spiritualis seu clericalis. *S. Lig.* 73); 2° reservatio *accessus*, seu pactum renunciationis post aliquod tempus, ut alter beneficium ipsum tunc habere possit; 3° reservatio *ingressus* vel *regressus*, quae accidit quando quis ad beneficium nominatus, vel beneficium iam possidens, illud renuntiat in favorem alterius, cum pacto in illius possessionem ingrediendi vel regrediendi, quando beneficiatus illud dimiserit (*Cf. Praxis Ed. II.* 333-336).

2714. *Quandonam intervenit simonia iuris ecclesiastici extra materiam beneficiariam?*

I. Si aliquid accipiatur (etsi sponte oblatum) occasione collationis Ordinum, vel litterarum ad Ordinem ipsum vel primam tonsuram. Excipe taxam consuetam pro Notario, et candelam pro Episcopo, et mappam (*tovaglia*) dandam a Presbyterandis. Excipe etiam taxam consuetam pro dimissoriis et testimonialibus.

II. Si exigatur pecunia pro admissione ad Religionem, ratione non ipsius status religiosi (tunc enim esset iuris divini), sed sustentationis; nisi consuetudo esset in contrarium vel tenuitas monasterii excusaret.

III. Si vendantur vel emantur officia Procuratoris, Sacri-

stae, Oeconomi, Defensoris Ecclesiae, vel Thesaurarii, vel Cantoris.

IV. Si aliquid accipiatur pro erectione, vel aggregatione piae Confraternitatis.

V. Si vendatur Oleum benedictum vel Chrisma, etsi pro solo valore materiae. Excipe nisi alicubi aliquid minimum acciperetur ex consuetudine (*Acta XIII.* 184).

VI. Si rosaria, cruces, vel numismata benedicta venditioni exponerentur.

§ VI.

De poenis contra Simoniacos latis.

2715. *Simoniaci incurruntne censuras*? Excommunicatio Romano Pontifici simpliciter reservata fertur

I. In reos simoniae *realis* in beneficiis quibuscumque, et eorum complices.

II. In reos simoniae *confidentialis* in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

III. In reos simoniae *realis* ob ingressum in religionem. (*Const. Apostolicae Sedis*).

Si tamen casus esset occultus, tunc absolvere possent etiam Episcopi, ex Cap. *Liceat.*

2716. *Adsuntne aliae poenae?* Affirmative, scilicet

I. Ob simoniam *realem* (scilicet consummatam ex utraque parte, Cf. *n.* 2710) in materia beneficiaria, incurritur *nullitas electionis, praesentationis et canonicae institutionis;* unde sic provisus nequit fructus facere suos; idque verum est quamvis pecunia data fuerit a tertia persona, proviso prorsus ignaro (excipe nisi per triennium in bona fide mansisset; vel, cognito simoniae consilio, contradixisset, et nihilominus eo inscio simonia commissa fuisset; vel denique tertius simoniam commisisset eo fine ut illum inhabilem redderet).

II. Ob eandem simoniam incurritur etiam *inhabilitas ad idem Beneficium in posterum obtinendum,* et dispensatio ab inhabilitate ista reservatur ad S. Sedem si provisus fuerit reus; secus, (beneficio resignato) dispensare posset Episcopus. Cf. Bucceroni *n.* 77.

III. Propter simoniam confidentialem incurruntur eaedem poenae statim ac beneficium datum et acceptum fuerit, etiamsi pactum ab eo, qui illud recepit, nondum fuerit impletum. Vide alia apud Scavini (*II.* 143)

IV. Propter simoniam ob ingressum in religionem, praeter excommunicationem incurritur etiam infamia iuris, et proinde irregularitas ex utraque parte. Professio tamen valida esset.

V. Omnes electiones simoniacae ad Generalatum, Rectoratum et quodlibet officium spirituale in Religione, sunt irritae.

VI. Ob simoniam commissam ab Examinatoribus synodalibus (recipiendo aliquid occasione examinis pro paroecia), tam ipsi quam dantes absolvi nequeunt, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant. Insuper ad alia in posterum inhabiles redduntur. *Trid.* (*XXIV. XVIII*).

VII. Ordinati ab Episcopo simoniaco incurrunt irregularitatem.

§ VII.

An simoniaci teneantur ad restitutionem?

271. *An adsit obligatio restituendi rem spiritualem simoniace acceptam, seu (ut aiunt) mercem simoniacam?* Merx simoniaca potest esse 1° Aliquid quod restitui nequeat, v. g., Sacramentum, Ordo sacer, professio religiosa etc. Potest esse 2° Beneficium ecclesiasticum. Potest esse 3° Officium ecclesiasticum vel ius ad pensionem vel quidquid aliud nomine Ecclesiae conferendum. Potest esse 4° Reliquia aut alia res sacra quae pacto privato simoniace vendatur.

Si sit aliquid quod restitui nequeat, non est cur de restitutione loquamur.

Si sit Benefiicium ecclesiasticum; hoc certe restitui debet, et quidem in conscientia ante quamlibet iudicis sententiam. Ratio est, quia illius collatio (iure ecclesiastico) invalida fuit. Consequenter idem dic de fructibus ex eodem perceptis. Excipe 1° nisi quis bona fide eos perceperit et consumpserit, quin factus sit ditior. Excipe 2° stipendium servitio praestito (si praestitum fuerit) debitum; et a fortiori quae *iure stolae* recepta fuerint. Hi autem restituendi sunt sive Ecclesiae in qua adest beneficium (dummodo ex hac restitutione commodum non recipiant ii qui simoniam commiserunt), sive (ut aliqui dicunt) Successori in beneficio, sive pauperibus, sive causis piis (nisi compositio cum Pontifice obtineatur).

Si sit officium ecclesiasticum aut quidquid aliud (diversum a Beneficio) quod nomine Ecclesiae conferatur; tunc nulla lex traditionis invaliditatem (ipso facto) statuit; et proinde resti-

tutionis obligatio (ante iudicis sententiam) non adest. Nec obstat quod res istae datae fuerint cum obligatione vel sub conditione solvendi pretium simoniacum; huiusmodi enim obligatio subsistere non potest; et Ecclesia, dum ratam habet collationem, reiicit conditionem, et pro non adiecta illam habet, ut docet Schmalzgrueber (*V.* III. *n.* 284).

Si denique sit Reliquia aut alia res sacra, quae pacto privato simoniace vendita fuerit; utique tunc contingere posse dicerem quod sit restituenda casu quo venditor, ad modum conditionis sine qua non, pretium habere intenderit; tunc enim, deficiente voluntate transferendi dominium, hoc ipsum dominium transferri non posset, et sic res accepta (dum alter pretium non obtineat aut retinere nequeat) eidem restitui deberet.

2718. *An et quibus in casibus restituendum sit pretium simoniacum?* Obligatio restitutionis oriri potest tantummodo ex laesione iustitiae, aut ex speciali lege Ecclesiae, vel sententia Iudicis, quae ad restitutionem obliget; non vero ex solo sacrilegio. Hinc obligatio restitutionis intervenit in sequentibus casibus:

I. Si pretium acceptum fuerit pro re mere spirituali, quae non est vendibilis nullumque pretium temporale habet. Vendidisti, v. g., res sacras aut benedictas, et intuitu consecrationis vel benedictionis maius pretium exegisti: aut vendidisti Reliquias, et ultra valorem thecae pretium voluisti etc. Idem dic de Sacerdote non obligato ad ministranda *gratis* spiritualia, qui, ultra stipendium legitimum, aut valorem laboris, pretium exigeret.

II. Si pretium acceptum fuerit pro re temporali coniuncta cum spirituali, vel relationem habente cum spirituali, quae ex officio gratis dari debuisset. Parochus, v. g., vendit laborem requisitum pro administrandis Sacramentis, pro tradenda cathechesi, pro explicatione Evangelii etc.; vel Episcopus exigit pecuniam pro Sacris Ordinationibus, aut pro collatione sive Beneficiorum (vide dicta *n.* 2712. I), sive etiam officiorum temporalium Ecclesiae (v. g., Oeconomi, Defensoris etc.).

Notandum quod in collatione Beneficiorum non solum propter simoniam conventionalem, sed etiam propter simoniam *mentalem* (de qua vide dicta *n.* 2511), restitutio fieri debet.

III. Si pretium receptum fuerit a Patronis Beneficiorum, aut Electoribus, aut ab iis qui forte ius beneplaciti haberent; dicente Alexandro III° (Cap. *De hoc*): « Regem autem et Prin« cipes eius debes inducere, ut si qua receperint a praefato « Episcopo, ut eius electioni praestarent assensum, Ecclesiae

« Exioniensi sine diminutione restituant, cum ea sine gravi « suae salutis periculo, retinere non possint ».

• 2719. *Pretium istud cuinam restitui debet?* Regulariter restitui debet danti. Dixi *regulariter;* in re enim beneficiaria, etsi, beneficio non adhuc tradito, pecunia restitui debeat danti; tamen, illo tradito, restitutio facienda est Ecclesiae in qua est beneficium, ut patet ex citatis Alexandri III verbis. Plures tamen docent, hoc esse intelligendum solum post Iudicis sententiam; qua non interveniente, restitutionem fieri posse (imo debere) danti. Cf. Ballerini (*Op. th. Vol. II. n.* 360); qui exinde deducit, in casibus omnibus (seclusa Iudicis sententia) restitutionis obligationem cessare, si qui pretium dedit, gratuito illud remittat.

2720. *Quibus in casibus pretium acceptum restituendi obligatio non adest, eo quod simonia quidem sed non iniustitia adfuerit?* Ante iudicis sententiam, casus (saltem iuxta plures magni nominis Canonistas et Theologos) sunt sequentes:

I. Si Beneficiatus renunciaverit suum beneficium (atque adeo se privaverit emolumentis ex eo derivantibus), ut postea illud obtineat alter, a quo pro renuntiatione ista pretium acceperit.

Idem dic a fortiori si habens aliud officium Ecclesiae (v. g., cantoris,) et maxime si esset officium temporale (v. g., Oeconomi), illud dicto modo renuntiasset. Cf. Ballerini (*l. c. n.* 354).

II. Si Monasterium acceperit pecuniam pro admissione alicuius ad Religionem, dummodo 1° pecunia accepta non excedat aestimationem alimentorum personae admissae; 2° pecunia ipsa non in privatam Abbatis vel Abbatissae utilitatem, sed in communem Monasterii usum convertatur. Ballerini (*l. c.*).

III. Si habens fundum, cui adnexus est ius patronatus, illum carius vendiderit, eo quod honore temporali (ex iure illo derivante) se privaverit.

IV. Si quis iusto pretio vendiderit imaginem miraculosam, computando lucrum quod ex illa percipiebat; vel aliam rem spiritualem seu sacram, computando voluptatem quam ex illius possessione hauriebat.

V Si adesset prohibitio recipiendi aliquid ultra taxam pro celebratione Missae, non obstante tali vel tali incommodo extrinseco, statutam; et nihilominus Sacerdos sine laesione iustitiae aliquid ultra illam exegisset. Idem dic de Sacerdote qui non obligatus ex officio, pro tali vel tali sacra functione, quae ex lege vel consuetudine gratis praestari debeat, pretium, quod non excedat laboris et incommodi valorem, exegisset. Ballerini (*l. c.*).

CAPUT VI.

DE SECUNDO DECALOGI PRAECEPTO.

2721. Hoc praeceptum dicit: *Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.* Praecipit honorem Nomini Dei exhibendum, et proinde vetat quamlibet erga illud irreverentiam, quae accidere potest 1. in blasphemia; 2. in vana Nominis Dei usurpatione; 3. in adiuratione; 4. in iuramento; 5. in voto.

ARTICULUS I.

DE BLASPHEMIA.

PUNCTUM I.

De natura et malitia blasphemiae.

2722. *Quid est blasphemia?* Est locutio contra Deum vel Sanctos vel res sacras per modum contumeliae aut maledictionis.

Dicitur *locutio*, quia proprie consistit in verbis sive ore prolatis sive scriptis.

Theologi advertunt 1. Blasphemiam non posse consistere in nutibus; sed certe etiam nutibus gravis vel gravissima contumelia exprimi valet (ut puta, si quis *facesse le corna a Dio*); unde huiusmodi nutus blasphemiae aequivalerent.

Advertunt 2. Blasphemiam veri nominis esse non posse pure mentalem. Hoc verum est; sed, sicut malitia furti vel homicidii potest esse etiam in affectu, idem dici debet de blasphemia; dummodo verba blasphema vere sint in affectu, et non (prout in personis piis subinde contingit) in sola mente, reluctante voluntate.

Dicitur *contra Deum vel Sanctos vel res sacras*, quia blasphemia esset quoque si maledicerentur res aut personae sacrae qua tales (v. g., maledicendo Sacramenta, Ecclesiam, altare, Papam etc.).

Dicitur *per modum contumeliae,* quia simplex usurpatio vana Nominis Dei (in qua contumelia non adesset) blasphemia minime foret.

Dicitur denique *aut per modum maledictionis,* quia contumelia supponit sermonem directum ad personam praesentem vel consideratam ut praesentem; sed blasphemia intervenit etiam quamvis haec circumstantia (et proinde contumelia stricte dicta) non verificetur: bene vero si utcumque Dei vel Sanctorum etc. interveniat maledictio. Haec autem maledictio duplici modo

intervenire potest: 1° Maledicendo Deum vel Sanctos etc. (v. g. *Accidenti a Cristo*); male dicendo de Deo vel Sanctis etc. (v. g. *Dio non è giusto*). Sed haec melius declarabuntur infra.

2723. *An peccent, qui blasphema verba obtruncant, et alterant, aut illis aliud verbum addunt, quod sensum blasphemum destruit?* Exemplum habes in iis qui, loco dicendi *Dio*, dicunt *dis*, *dios*, *Dio di legno*, *Dio di carta*, *Dio vecchio*, *Dio cattivo* (idest; non Deum bonum, non Deum verum), *Dio che non s' usa* etc. Isti certe non blasphemant, et aperte indicant se blasphemare nolle.

Interdum tamen malitia blasphemiae adesset, si in addendo verbo blasphemiae destructivo, nimis tardarent; vel si ab initio intentionem habuissent blasphemandi, et solum, blasphemia iam prolata, poenitentia ducti illud verbum adiungerent.

Praeterea, si in huiusmodi locutionibus essent habituati, aliquod scandalum praeberent, et in aliquod vere blasphemandi periculum se coniicerent: unde ab omni prorsus culpa excusandi non sunt (*Croix III.* I. *232*). Genitores autem curare debent ut filii ab his (ut ita dicam) dimidiatis blasphemiis abstineant; ne postea ad veras blasphemias gradum faciant.

2724. *Quid advertendum circa rudes, qui in confessione dicunt se blasphemasse?* Saepe sic dicunt, quamvis verba blasphema obtruncaverint etc. (ut modo dicebam), aut in vanum tantummodo Nomen Dei usurpaverint, imo et quamvis imprecationes vel sola verba inurbana protulerint. A Confessario itaque interrogandi sunt.

2725. *Quid de illis qui ex habitu contracto, aut magna ira abrepti, blasphemant sine advertentia?* De hoc vide dicta (*n.* 2122. 2128 *et seqq.*).

2726. *Quid de gradu culpae in blasphemia?* Est peccatum mortale ex toto genere suo, neque admittit parvitatem materiae. Solum ex imperfectione actus (scilicet ex defectu plenae advertentiae) blasphemia venialis reddi potest. Aliqui tamen notant levitatem materiae intervenire si ex ioco aliquid indecorum diceretur de Sanctis, ut puta, si Sancti Ioannes et Paulus dicerentur eunuchi. *Baller. Op. th. VI.* II. 17.

2727. *Quomodo dividitur blasphemia?* Alia est simplex, alia haereticalis, alia haeretica. Est *simplex* quando praeter contumeliam aut maledictionem contra Deum etc. nullam aliam malitiam continet. Est *haereticalis* quando blasphemus immiscet etiam aliquid fidei contrarium, sed sine errore interno. Si autem error quoque internus adesset, tunc *haeretica* foret. Sed de his differentiis agendum est singillatim.

2728. *Quot modis blasphemiae possunt esse specie diversae, atque adeo in confessione distinguendae?*

I. Blasphemia haereticalis vel haeretica specie distinguitur a simplici; dum enim in ista solum Religio, in illis fides quoque laeditur.

II. Blasphemia prolata ex odio contra Deum, et proinde cum directa intentione illum inhonorandi, specie distinguitur ab aliis quae sine odio Dei, ex ira contra creaturas, proferuntur. *Ballerini* (*l. c.* 19. 41).

III. Blasphemiae (meo sensu) specie distinguuntur etiam secundum quod contra Deum, vel contra B. Virginem, vel contra Sanctos proferantur. Cf. *Praxis* (*n.* 201) contra Ballerini (*l. c. n.* 39).

IV. Blasphemiae saepe differentiam specificam sumunt etiam ex scandalo.

Explicatis his differentiis, certe a poenitentibus, quaenam verba prolata seu quaenam expressiones adhibitae fuerint, Confessario aperiri non oportet.

PUNCTUM II.

De blasphemia simplici.

2729. *Quot modis contingere potest blasphemia simplex?* Duobus modis principalibus, scilicet 1° maledictione; 2° contumelia. Sed ad maledictionem reducitur furor; et ad contumeliam reducuntur verba sive exprimentia vilipendium, sive improperia quae animo contumelioso aut irrisorie proferantur. Aliis verbis: Blasphemia simplex contingere potest 1° maledictione; 2° furore; 3° vilipendio; 4° improperio; 5° irrisione. Do exempla.

Maledictione; ut puta, dicendo: *Maledetto te e chi ti ha creato,* aut *Accidenti a Cristo.*

Furore, ut puta, dum quis iratus dicit: *Corpo di Dio, Sangue di Dio, Sangue della Madonna, Ostia, Sacramento* ecc., quasi nempe haec furibundus aggredi et destruere vellet. Ita ego sentio (cf. *Praxis n.* 196); et in hoc conveniunt omnes, si animi indignatio directa sit contra Deum.

Vilipendio, dicendo, v. g., *Madonaccia: colui di Dio* etc.

Improperio, si nempe aliquid criminosum, aut probrosum, aut vile animo contumelioso exprobraretur, ut puta, si Sanctus Rex David *Sanctus adulter;* vel Sancti Ioannes et Paulus *Sancti eunuchi,* vel Christus *il figlio del falegname* appellarentur.

Irrisione, si praedicta vel similia non animo contumelioso, sed irrisorie dicerentur.

PUNCTUM III.

De blasphemia haereticali et haeretica.

2730. *Quot modis contingere possit blasphemia haereticalis vel haeretica?* Tribus: 1° Attribuendo Deo (vel B. Virgini etc.) quod ipsi non convenit; 2° Negando quod eidem convenit; 3° Attribuendo creaturae quod soli Deo convenit.

Exempla primi modi. Huiusmodi communiter censentur esse illae blasphemiae horribilissimae (hodie heu nimis communes!), quibus Deus dicitur *porco, boia, cane, vigliacco* etc.; vel B. Virgo dicitur *putt....*

Exempla secundi modi. — *Dio non è giusto:* — *Dio non è provvido: ci ha fatti e ci ha abbandonati:* — *Dio non sa quello che si faccia:* — *Non è buono nemmen Dio* (negando scilicet eius potentiam). Idem dic si eius existentia negaretur vel in dubium revocaretur, dicendo, v. g.; — *Dio non c' è:* — *Se è vero che ci sia Dio* — etc.

Exempla tertii modi: — *Il Diavolo è più fedele di Dio:* — *È meglio star col Diavolo che con Dio* etc.

N. B. Quum tamen expressiones istae nec maledictionem indicent nec contumeliam (contumelia enim dirigitur ad personam quae est vel censetur esse praesens, atque adeo exprimitur casu vocativo), etsi a Theologis dicantur blasphemiae, sensu communi non blasphemiae, sed haereses appellantur; et Ballerini (*l. c. n. 5*) dicit blasphemiam haereticalem intervenire quando « simul cum « contumelia additur error contra fidem. Dixi *simul cum contumelia;* quia, « si haec absit, erit haeresis, sed non blasphemia ». At vero, quum haec sit quaestio de nomine, non refert immorari.

2731. *An qui blasphemat haereticaliter sit denuntiandus?* Lex denuntiandi blasphematores in desuetudinem abiit. Viget tamen adhuc, si de Sacerdote ageretur. Vide etiam Ballerini (*l. c.* 7).

ARTICULUS II.

DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI.

2732. *Quandonam contingit vana usurpatio Nominis Dei?* Quando, nulla interveniente necessitate aut convenientia (attamen etiam sine ulla contumelia aut maledictione) Nomen Dei profertur. Idem dic de Nomine B. Virginis, vel Sanctorum, vel SS.mi Sacramenti etc. Hoc contingere potest praecipue 1° Ex quadam impatientia, dum scilicet, occurrente aliqua re mo-

lesta, quis impatienter dicit: *Ma Santo Dio!* 2° Ex quodam intercalari, dicendo (sine furore), v. g., *Corpo di Dio, Sangue della Madonna* etc.

2733. *Quid de gradu culpae?* Solet esse venialis. Si tamen alicubi aliqua ex huiusmodi expressionibus acciperetur pro gravi irreverentia, et mortalis censeretur, mortalis revera esset; in his enim non sensus grammaticalis, sed sensus popularis (et scandalum) attenditur; sicut e contra quaedam expressiones quae grammaticaliter blasphemae essent, populariter blasphemae minime censentur. Sic in Calabria expressio *Sanctus Diabolus* sensum blasphemum minime habet.

APPENDIX

Variae quaestiones.

2734. *Locutiones:* Questo è vero come è vero Dio; *vel:* Questo è Vangelo; *vel:* In questo sono innocente come Dio; *vel*: Tu sei la mia Dea, l'idolo mio, *suntne blasphemiae haereticales?*

R. Verba ista communi sensu tamquam hyperbolicae, non vero tamquam haereticales, aut Deo graviter iniuriosae, accipiuntur; et proinde aliquam quidem irreverentiam, sed malitiam blasphemiae minime includunt. Cf. S. Lig. (*III.* 123).

2735. *Locutiones:* Dio si è dimenticato di me! Perchè mi creò? Perchè mi tratta così? *suntne blasphemiae?*

R. Haec etiam ordinarie tamquam lamenta tantummodo, ad ostendendam animi tristitiam, non vero tamquam graves contra Deum iniuriae, communi sensu accipiuntur.

2736. *Dicere:* Rinnego Dio, se la cosa non fu, non è, o non sarà così, *estne blasphemia?*

Negative ordinarie; sensus enim esse solet: Sicut sum certissimus quod Deus existit, et proinde nunquam illius existentiam negare potero; ita sum certissimus quod res ita fuit, vel est, vel erit. Si tamen ageretur de re habita ut incerta (quod speciatim contingere posset si adhuc esset futura), utique tunc dubium de existentia Dei exprimeretur, et proinde propositio huiusmodi haereticalis esset.

Caeterum in quovis casu vana Nominis Dei usurpatio certe interveniret. S. Lig. (*l. c.*).

2737. *Quid de dicente:* Maledetto questo animale di Dio, questa pioggia di Dio *etc.?*

R. Dicunt esse blasphemiam, quia sensus est maledicendi

Deum quatenus illud brutum creavit, aut illam pluviam misit etc. S. Lig. (*l. c.* 128).

2738. *Quid de volente aliquid facere, qui, dum alius ei dicit rem illam non esse executurum, respondeat*: Lo farò a dispetto di Dio, e di tutti i Santi? *Locutio ista estne blasphema? Estne haereticalis?*

R. Verbum *a dispetto* significat: contra voluntatem (unde proverbium : *Non conviene andare in Paradiso a dispetto dei Santi*). Sensus itaque est: Etsi futurum esset quod Deus nollet, hoc faciam. Sed Deus potest nolle duobus modis : 1° physice impediendo; 2° solum prohibendo. Qui itaque, dicendo : *A dispetto di Dio*, dicere intenderet se rem illam esse executurum, non obstante voluntate, quam Deus habeat, illam physice impediendi ; iam negaret Omnipotentiam divinam, et sic haereticaliter blasphemaret. Si vero dicere intenderet, se propositum suum esse executurum non obstante prohibitione Divina, tunc huiusmodi propositio haereticalis minime foret. Sensus enim expressionis, quando est ambigua, ab intentione determinatur. Utcumque, hanc propositionem, quia magnum spretum Dei sonat, blasphemam esse, dicit S. Lig. (*l. c.* 122). Blasphemia haereticalis clarius apparet in expressionibus : *Non c' è Dio, che mi tenga; non c' é Dio, non vi sono Santi, che mi trattengano;* maxime vero si quis diceret: *Non è buono nemmen Dio di trattenermi.*

ARTICULUS III.

DE ADIURATIONE.

2739. *Quid est adiuratio?* Adiuratio (it. *scongiuro*) hic accipitur pro interpositione nominis Dei, vel Sanctorum, aut pro recordatione alicuius rei Deo carae, ad inducendum Deum ipsum vel creaturas intellectuales (inter quas est etiam Daemon) ad aliquid faciendum vel omittendum.

Exempla. In litaniis, v. g., adiuramus Deum dicendo: *Per nativitatem tuam.... Per Crucem et passionem tuam* etc. *libera nos, Domine.* Ecclesia orationes suas semper concludit dicendo v. g. *Per Christum* etc. Pauperes petere solent eleemosynam dicendo : *Per amorem Dei.* Et, quando nobis valde cordi est aliquid obtinere ab aliqua persona dicimus : *Te rogo, per Deum, per B. Virginem, per quantum adest sacri in coelo et in terra.* Denique adiurando Daemonem (in exorcismis) dicimus v. g. : *Per hoc signum Sanctae Crucis* etc.

2740. *Quotuplex potest esse adiuratio?* Potest esse 1° De-

precativa et imperativa; 2° Solemnis et privata; 3° Directa et indirecta.

Est *deprecativa* si fiat ad modum precis, alicui dicendo v. g. *De re ista te rogo per Deum;* ut scilicet, sive propter amorem Dei sive propter respectum Nomini Dei interposito, rem illam faciat.

Est *imperativa* seu *praeceptiva* si fiat ad modum imperii; dum, v. g., Superior dicit: *Hoc tibi praecipio per Deum,* scilicet auctoritate Dei, nomine Dei.

Est *solemnis* vel *privata* secundum quod fit ab Ecclesiae Ministris nomine Ecclesiae et iuxta liturgiam; aut privatim.

Est *directa* si adiuretur Daemon directe et expresse; est autem *indirecta* si adiurentur creaturae irrationabiles, v. g. aqua, aer, animalia nociva etc. (prout fit in eorum exorcismis); tunc enim indirecte et tacite adiuratur Daemon, ut ab illis recedat, et per illas nocere desistat.

2741. *Quid exigitur ut adiuratio sit licita?* Tria exiguntur, scilicet veritas, iustitia, iudicium.

Veritas, ut scilicet adiurans vere intendat assequi quod petit; quid enim si quis ficte invitaret alium ad mensam, et sciens illum invitationem non esse acceptaturum, diceret: *Veni, veni; te rogo per Deum?* Idem dic si petitio esset quidem sincera, sed causa esset falsa, ut puta, si fictus pauper eleemosynam peteret per Deum. Quum tamen Deus non invocetur in testem falsi (sicut esset in iuramento), huiusmodi veritatis defectus culpam mortalem ordinarie non constitueret.

Iustitia, ut scilicet non fiat adiuratio pro re iniusta vel illicita, prout contingeret 1° si quis adiuraret Deum vel Sanctos ut sibi opem ferrent pro rebus huiusmodi illicitis; 2° si quis adiuraret aliquem ad committendum peccatum, v. g., fornicationem. In his casibus culpa esset mortalis. Aliqui tamen excipiunt si ad iuratio adhiberetur ad obtinendam ab homine rem leviter malam, (v. g. leve mendacium). Dixi *ab homine;* petere enim a Deo vel a Sanctis auxilium pro re mala, etsi leviter, semper grave contra Dei Sanctitatem crimen esset.

Iudicium, ut scilicet adhibeatur debita discretio, adeoque tum sufficiens causa adiurandi, tum debita submissio et resignatio in divinam voluntatem non deficiat. Huius autem iudicii carentia leve peccatum non excederet.

2742. *Suntne aliqua specialiter notanda circa Daemonis adiurationem?* Notanda sunt sequentia.

I. Fieri potest solum modo imperatIvo, non vero deprecativo;

tum quia non convenit Daemonem deprecari, et maxime nomine Dei; tum quia Daemones nihil faciunt ex respectu divini honoris, sed solum timore divinae potestatis adigi possunt.

II. Non licet adiurare Daemonem ut opem temporalem praestet vel inutilia aut curiosa revelet; sed solum ut fugae se dedat et nocere desinat, vel ut revelet aliquid, quod in suum damnum (iuxta dicta *n.* 2643), vel utcumque in Dei gloriam redundet. Si tamen modo imperativo pauca aliqua curiosa ab illo peterentur, probabiliter peccatum mortale non esset. Cf. Bucceroni (*n.* 117. 118).

III. Adiuratio contra Daemones licita est omnibus privatim. Solemnis vero adiuratio per exorcismos (in casu obsessionis) competit solum iis qui Exorcistatus Ordine sunt insigniti; et quidem (sub gravi) cum expressa Episcopi licentia.

ARTICULUS IV.

DE IURAMENTO.

PUNCTUM I.

De iuramenti natura distinctionibus et validitate.

2743. *Quid est iuramentum?* Praescindo a iuramentis, quae ioci causa fiunt, dicendo, v. g., *iuro per nasum, per barbam, per muscas, per Bacchum* etc.; et dico iuramentum adhiberi in confirmationem alicuius assertionis, aut promissionis, aut comminationis aut propositi; et sensu proprio consistere in advocando Deum in testem, aut vindicem; vel in declarando rem dici, aut promitti, aut statui, in praesentia Dei, in cuius irreverentiam redundaret si falsum diceretur aut promissio non servaretur. Sensu autem minus proprio consistit in nominanda aliqua re, cuius respectu iurans, veritatem dicere aut promissionem servare, magis quam simplici assertione aut promissione, adigatur. Iuramenti minus proprii exemplum habes in illis, qui iurant *sul proprio onore.* An autem qui iurant nominando res sive sacras sive tales in quibus attributa divina valde elucent, censeantur iurare in sensu proprio; an vero iuramentum non proprie dictum emittant, declarabitur infra. (*n.* 2751-2753).

2744. *Quaenam sunt principales iuramenti distinctiones?*

I. Est *assertorium* si in assertionis; *promissorii* si in promissionis; *comminatorium* si in comminationis confirmationem adhibeatur.

II. Promissorium et comminatorium potest esse *absolutum* (seu *illimitatum*) et *conditionatum.*

III. Est *solemne* seu *iuridicum,* si fiat coram iudice vel notario iuxta formam a legibus praescriptam. Est *privatum,* si privatim fiat.

IV. Potest esse *expressum* vel *tacitum,* secundum quod fiat expressis verbis, aut actione aliqua, quae pro iuramento habeatur.

V. Potest esse mentale, verbale, reale, mixtum. *Mentale;* si quis in mente sua aliquid proponat aut voveat, simulque iuret.

Verbale, si verbis; *reale,* si actione aliqua; *mixtum* si verbis simul et actione exprimatur.

VI. Dicitur *accessorium* si in confirmationem voti aut contractus; et *per se stans* aut *nudum* aut *simplex* si mero proposito adnectatur; ut puta, si quis diceret: *iuro me non ingressurum cauponam.*

VII. Dicitur *suppletorium* quando aliae probationes exigerentur; sed, quum haberi non possint, suppletur iuramento.

VIII. Denique dicitur *invocatorium,* si Deus ut testis; et *imprecatorium* si Deus ut vindex invocetur.

2745. *Quo sensu potest quis Deum invocare in testem; et quomodo iuramentum est actus Religionis?*

Qui sic iurat, perinde est ac si dicat: *Deus scit me dicere verum: vellem ut ille esset mihi testis, et quantum in me est illum invoco in testem.*

Iuramentum autem huiusmodi (quod dicitur *per Deum*) utique est actus Religionis, quia iurans, Omniscientiam Dei eiusque indefectibilem veracitatem summamque auctoritatem, obtestatur. Nec minus est actus Religionis si quis iuret declarando se rem dicere aut promittere in praesentia Dei; sic enim tacite fatetur Deum esse dignissimum ut in eius reverentiam verum dicat, aut promissa servet.

Idem dic de iuramentis improprie quidem dictis, sed in quibus res sacrae nominatae fuerint, in quarum reverentiam veritas dici aut promissio servari debeat.

2746. *Quid exigitur ut iuramentum vere subsistat?* Loquendo de iuramento non mere mentali, imprimis duo exiguntur: 1° Formula vel actio iuratoria; 2° Intentio (seu cognitio) iurandi. Sed haec sunt explicanda.

2747. *Quandonam formula vel actio erit iuratoria?* Quando formula (scilicet verba prolata) vel actio in loco habeat sensum iuratorium, ita ut (inspectis quoque circumstantiis) tamquam verum iuramentum ab audientibus accipi debeat. Dixi *inspectis quoque circumstantiis;* quae enim communiter indicant verum iuramentum, talem sensum habere cessant in quibusdam circumstantiis. Sic apud nos a mercatoribus infimae notae (v. g. in mercatibus belluarum) innumera fiunt iuramenta, quae ab omnibus pro nihilo habentur, et tamquam mera comoedia considerantur.

2748. Veniendo autem ad particularia, *apud nos* ordinarie sensum veri et proprii iuramenti *per Deum* habet verbum *iuro*, saltem si adhibeatur in re momentosa vel ad confirmandum dictum quod ab audientibus non credatur. Idem dic a fortiori 1° Si dicatur, v. g., *Iuro per Deum*: *Deum attestor: Sit mihi testis Deus: Sic me Deus adiuvet: Deus me coecum reddat, et filios meos uxoremque meam videre non possim, nisi res ita sit.* (Rudes tamen haec et similia verba pro simplici imprecatione, non vero pro iuramento, habere solent). 2° Si, dicendo *iuro*, fiat signum crucis, vel tangantur Evangelia. Semper autem pro iuramento habetur subscriptio scripturae, in qua declaratur rem deponi vel firmari cum iuramento. Interdum sufficit signum conventionale, prout faciunt milites qui, requisiti de iuramento, manum elevant.

2749. Plures dicunt iuramentum semper esse debere invocativum; ita scilicet ut Deus (sive expresse sive tacite) invocetur ut testis aut vindex; non vero sufficere verba mere enuntiativa (etsi in ipsis nomen Dei interveniret): unde tamquam iuratorias non habent expressiones: *In praesentia Dei id dico* vel *promitto — Testis est mihi Deus —*. Sed (ut supra innui *n.* 2743) ego censeo, hoc non esse verum; et reapse S. Augustinus in sensu iuramenti interpretatur verba Apostoli (Gal. I. 20): *Ecce coram Deo, quia non mentior.*

2750. Dicunt etiam iuramentum proprie dictum intervenire, si quis iuret per rem aliquam, in qua aliquod Dei attributum valde eluceat. Sed obiici potest quod apud nos qui iuraret per solem intelligeretur iocari.

Dicunt denique, iuramentum proprie dictum intervenire iurando per aliquam rem sacram. Sed in contrarium obiici potest quod in iure canonico (Can. *Si quis Presbyter* 4 Caus. 2 q. 5) dicitur, non esse proprium iuramentum si Presbyter iuret *per sanctam consecrationem.*

In his casibus ego dicerem 1° Standum esse interpretationi, quae in loco communiter vigeat. 2° Si formula sit ambigua, standum esse intentioni loquentis, si de ea constet. 3° Si ad assertionem vel promissionem confirmandam, Nomen Dei interpositum fuerit, tunc (etsi Deus proprie non fuerit invocatus) ob reverentiam Nomini ipsi debitam semper aderit aliqua maior obligatio virtute religionis. Et idem dic si per aliquam rem sacram iuratum fuerit. Imo existimo iuramenta huiusmodi impropria iuramento stricte dicto (quoad effectum obligandi sub gravi virtute religionis) facile aequivalere. Cf. Ballerini (*Op. th. VI.* II. II. 9).

2751. *Quid de dicentibus: in veritate: in conscientia: in fide boni viri?* Formulae istae (sicut et verbum: *parola da galantuomo*) non censentur iuratoriae; aliquam tamen maiorem obligationem superaddunt: et speciatim si diceretur: *In fide boni Christiani:* vel *in fide Sacerdotis.*

2752. *Quid de dicentibus:* Giuro sul mio onore: *vel de Principe dicente*: *Iuro in fide Principis?* Haec etiam pressius obligant, sed non virtute Religionis. Baller. (*l. c. n.* 9).

2753. *Quid de illis, qui, postquam aliquid dixerint, addunt*: Così è, per Dio, *quin dicant: iuro?* Hoc apud nos pro iuramento accipi non videtur.

2754. *Quid si quis adhibuerit formulam iuratoriam, sed intentionem iurandi non habuerit?* Si, non cognoscendo formulam esse iuratoriam. et proinde ignoranter ita se gessisset, tunc certe non iurasset; quia iuramentum debet esse non mere materiale, sed actus humanus. (*Baller. l. c.* 4). Si autem cognovisset, formulam esse iuratoriam, et nihilominus non Deum invocare, sed ficte iurare intendisset; tunc, supponendo quod formula ipsa, etiam in circumstantiis, apud audientes sensum iuratorium habeat; practice perinde esset ac si vere iurasset; et, si nomen Dei aut rem sacram interposuisset, ut audientes crederent, iam haec ipsa interpositio voluntaria fuisset, et proinde nedum ad praecavendum damnum aut scandalum proximi, sed etiam propter reverentiam Divino Nomini aut rei sacrae debitam, atque adeo ex Religione, verum dicere aut promissionem servare teneretur; secus enim qui falsum iurant, semper habere possent intentionem ficte iurandi, et sic nunquam falso iurarent et nunquam contra religionem delinquerent; quod credi nequit. Sed res ista in tractatu de VIII° praec. melius explicabitur.

2755. *Quid de illis qui iurant, sed nesciunt quid sit iuramentum, quod scilicet agatur de advocando Deo in testem;*

attamen intendunt facere sicut faciunt alii? Hos non vere iurare dicunt plures (cf. Ballerini *l. c.* 4). Sed id quoque mihi non plene placet; et censeo quod taliter iurans, si in confuso cognoverit se valde maiori obligatione obstringi, ea reapse obstringatur; et religionis quoque vinculum contrahat, si, Deum nominando vel Evangelia tangendo etc., in confuso quoque adverterit quod, propter reverentiam Deo vel rei sacrae debitam, specialis obligatio consurgit.

2756. *Ut iuramentum promissorium, vel comminatorium, vel utcumque de re futura, nedum emittatur, sed habeat effectum (scilicet vere teneat et obliget) praeter formulam iuratoriam et cognitionem iurandi, quid insuper exigitur?* Quum tota ratio, cur servari debet iuramentum virtute Religionis, sit reverentia debita Deo (in cuius praesentia iurans se obligavit), omnino oportet ut eius observatio in Dei ipsius reverentiam redundet; qua cessante, iam iuramentum nullam vim habere potest. Hinc iuramentum non tenet in sequentibus casibus:

I. Si agatur de re sive graviter sive leviter illicita (v. g. exequendi vindictam), unde dicitur quod *iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis.* (Si tamen res esset partim licita et partim illicita, iuramentum tenere posset pro parte licita, si sit separabilis).

II. Si iuraveris non facere rem bonam, v. g., non facere eleemosynam, non frequentare Sacramenta, non ingredi Religionem, non audire Missam die feriali, nunquam ludere (nequidem ludo honesto) nisi ex intentione magnae perfectionis sic iuraretur.

III. Si iuraveris rem vanam, otiosam, inutilem, v. g. capiendi pulicem, aut non vendendi mercem minori pretio, aut non occupandi primum locum, aut non praecedendi in ingressu portae, aut serius ocius castigandi prolem eique non ignoscendi (quamvis aeque bene ei ignosci posset; et maxime si in aestu irae sic iuratum fuisset).

Effatum itaque quod servandum sit iuramentum semper ac sine salutis dispendio servari possit, cum mica salis intelligi debet.

An autem teneat iuramentum metu aut dolo extortum; aut in confirmationem contractus lege positiva irriti aut rescindibilis, videbimus infra (in tractatu *de Contractibus*).

PUNCTUM II.

De requisitis ut iuramentum sit licitum.

2757. *Quid exigitur ut iuramentum sit licitum?* « Iurabis: « Vivit Dominus, in veritate et in iudicio et in iustitia ». Sic dicitur Hieremiae (IV. 2); et hinc Theologi docent quod iure naturae in iuramento debent esse tres comites: scilicet *veritas, iudicium, iustitia.* Dixi *iure naturae;* interdum enim iuramentum etiam ex prohibitione alicuius legis positivae illicitum evadere potest. Sic itaque ad illius liceitatem quatuor exiguntur 1° veritas, 2° iudicium, 3° iustitia, 4° quod nulla lex positiva obstet. Haec sunt explicanda.

2758. *Quid de primo comite:* Cum veritate? Iuramentum adhibitum ad confirmandum mendacium semper illicitum est, et dicitur periurium. Accidit non solum quando quis iurat falsum; sed etiam quando iuret verum credendo esse falsum. Item quando quis iurat ut certum quod sibi dubium est.

Hic autem omitto plures quaestiones (v. g. circa restrictiones mentales, amphibologias, petitiones iuramenti ab iis qui forte sint peieraturi etc.), quae in Tract. de VIII° praecepto evolvi debebunt; et solum noto quod periurium est semper mortale, nec admittit parvitatem materiae; quamvis scilicet mendacium leve esset, periurium semper grave foret. Qua de re habemus prop. ab Innoc. XI damnatam, quae dicebat: « Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, « propter quam velit aut possit damnare hominem ». Mendacium autem leve et periurium grave intervenire potest non solum in iuramento *assertorio*, sed etiam in iuramento *promissorio;* si nempe quis aliquid leve iureiurando promitteret, et intentionem vere promittendi et se obligandi non haberet.

2759. *Quid de secundo iuramenti comite:* Cum iudicio? Significat iurandum esse 1° caute; 2° ex causa sufficienti.

Caute: 1. Ne incurratur periculum iurandi falsum. Periculum falsitatis in simplici assertione saepe non obest, et facile subintelligitur restrictio: *ut mihi videtur;* sed iuramentum (nisi quis palam faciat se iurare solum de credulitate vel opinione) plenam certitudinem praevia ponderatione exigit (ita tamen ut certitudo moralis sufficere possit).

Caute: 2. Ne ex iuramento malae consequentiae (v. g., damnum Religionis, aut scandalum proximi) secuturae sint. Catechismus Rom. de iurante dicit: « Tempus praeterea spectet, locum attendat, aliaque permulta, quae rebus « adiuncta sunt, circumspiciat ». Sic, v. g., iuramentum fidelitatis *illimitatum* erga Gubernium Ecclesiae hostile (etsi limitationes subintelligerentur) scandalosum et malarum consequentiarum ferax esse potest. Cf. *Praxis (n. 214).*

Ex causa sufficienti; scriptum est enim: « sit autem sermo « vester: est est, non non »; et profecto interponere nomen Dei in vanum non licet; unde iuramentum solum ad subveniendum alicui defectui vere notabili, adhiberi potest. Peccant itaque qui, dum aliquid promittunt, semper iurant; aut, dum alii assertioni non credunt, semper iuramentum adiiciunt.

2760. *Quid de gradu culpae si iuramentum sine iudicio emittatur?* Si id accidat ex solo defectu causae sufficientis, peccatum erit veniale (ageretur enim solum de vana Nominis Dei usurpatione). Si autem cum periculo sive iurandi falsum, sive provocandi aliquod malum, id accideret; tunc, iuxta gradum huius periculi et quantitatem huius mali, peccatum grave vel leve esse poterit. Certe qui habent consuetudinem iurandi, absque ulla consideratione an verum vel falsum dicant, graviter peccant.

2761. *Quid de tertio iuramenti comite:* Cum Iustitia? Hic defectus consistit in iuranda re peccaminosa; et accidere potest duobus modis.

Primus est si quis iuret se executurum rem iniustam vel utcumque illicitam: quod accidere potest speciatim 1° in iuramentis comminatoriis (dicendo, v. g.: Iuro te non esse declinaturum meam vindictam); 2° in iuramentis promissoriis de re illicita (dicendo, v. g.; Iuro me tibi auxilium esse praebiturum in furto).

Secundus modus verificari potest in iuramentis assertoriis, dum scilicet quis, detractionem, vel iactantiam de delicto executo, vel contumeliam proferendo, iuramentum adiiciat.

2762. *Quid de gradu culpae, si iuramentum sine iustitia emittatur?* Distinctiones fieri debent iuxta diversos casus.

I. Qui se iactat de peccato (v. g., de fornicatione), atque, ut audientes credant se revera illud commisisse, iuramentum adiiciat, peccabit quidem mortaliter ratione iactantiae, sed non ratione iuramenti; illud enim veritatem respicit, et nihil aliud: neque Deus ut *approbator,* sed solum ut testis peccati vere commissi adducitur; et iuramentum confirmat actionem non ut malam sed ut veram. S. Lig. (*III.* 146).

II. Qui minitatur vel promittit vel utcumque asserit se esse executurum rem illicitam, (nisi ignorantia excusetur) peccat mortaliter; perinde enim est ac si declaret Dei interpositionem esse idoneam ad dandam longe maiorem securitatem vel impulsum ad delictum exequendum, quasi delictum ipsum in Dei reverentiam omnino consummari debeat; quod equidem (uti

patet) impiissimum est. Equidem plures docent, peccatum esse leve si iuramentum rem leviter illicitam respiciat; sed ego (cum S. Lig. *l. c.*) de doctrina ista persuasus minime sum. Vide etiam Ballerini (*Op. th. VI.* n. *II.* 41). Dixi *nisi ignorantia excuset;* recte enim S. Lig. (*l. c.*) dicit: « Ex ira pro-« ferentes, v. g.: *Per Deum te occidam,* communiter non « peccant graviter, quia ex ignorantia vel indeliberatione ut « plurimum excusantur ».

III. Qui dectrationem vel contumeliam confirmat iuramento, intendit adducere Deum in testem veritatis, et, re ista tantummodo spectata, peccatum contra Religionem mortale minime esset. Quum tamen interpositio divini testimonii ad detractionem vel contumeliam ipsam corroborandam et credibiliorem reddendam adducatur, ex hoc culpa gravis exurgit. Sed hic quoque Theologi dicunt, iuramentum esse leviter illicitum casu quo detractio vel contumelia venialis esset; quod mihi clarum minime est.

2763. *Quid de iuramenti illiceitate* EX LEGE POSITIVA*?* Ius canonicum vetat ne Clerici absque licentia Ordinarii, et ne Episcopi absque licentia Summi Pontificis *in iudicio coram iudice laico* iurent. Ubi itaque lex ista vigeat (sicut apud nos), utique iuramentum, licentia non obtenta, graviter illicitum esset.

PUNCTUM III.

Agitur in particulari de iuramento promissorio aut comminatorio aut utcumque de re futura.

2764. *Quid de differentia inter iuramentum de re futura et iuramentum simpliciter assertorium?* Differentia est quia iurans in assertorio, iurat solum dicere veritatem de re praesenti vel praeterita; in promissorio autem vel comminatorio etc. duo iurat; nempe 1. iurat se hic et nunc habere intentionem talem vel talem rem exequendi; 2. iurat executionem futuram, quasi scilicet fateretur se contra Dei reverentiam peccaturum, si, quod in eiusdem praesentia promisit, vel comminatus fuit, vel proposuit, executurus non sit.

2765. *Quid de gradu culpae si rem exequendi intentionem non haberet, et nihilominus iuraret?* Tunc semper peccaret mortaliter. Dico *semper;* quamvis scilicet res iurata esset levis vel etiam iniqua. Ratio est quia in testem falsitatis (scilicet

intentionis quae non habetur) Deum adducere semper grave nefas est, ut patet ex supra dictis (*n* 2758).

2766. *Quid de gradu culpae si quis rem iuratam ad executionem non deducat?* Nisi sit legitime excusatus, contra iuramentum certe peccat mortaliter, si rei iuratae executio sit (in se aut propter circumstantias) gravis momenti; et in hoc omnes conveniunt. Si autem executio ipsa levis momenti esset (ut puta, si quis iurasset se esse daturum obulum in eleemosynam, aut se esse servaturum secretum de quo servando fere nihil referret), tunc Theologi disputant (Cf. S. Lig. *III.* 173). Plures dicunt peccatum semper esse mortale, quia Deus adducitur non solum ut testis intentionis praesentis, sed etiam ut testis et quasi fideiussor executionis futurae. Alii e contra (et meo sensu verius) opinantur peccatum esse leve, si res iurata sit levis, quia Deus adducitur solum ut testis obligationis, ea intentione contractae, ut sine Dei ipsius irreverentia negligi nequeat. Haec autem irreverentia utique potest esse levis si materia sit levis, prout contingit in voto. Adde quod, si vera esset sententia contraria, in quolibet etiam levissimo defectu, qui in iuramenti executione contingeret, peccatum mortale reponi deberet; quod equidem admitti nequit.

2767. *Quibus de causis quis excusari vel eximi possit a iuramento adimplendo?* 1. Si iuramentum non teneat (iuxta dicta n. 2756); 2. Si fuerit irritatum aut dispensatum (prout explicabitur infra *De voto*); 3. Si agatur de casu ad quem iuramentum non extendatur; in iuramento enim adiecto promissioni, aut contractui oneroso, aut comminationi, aut proposito, semper subintelliguntur conditiones, quae in promissione, vel contractu, vel comminatione, vel proposito ipso, subintelliguntur (unde dici solet quod *iuramentum sequitur naturam actus cui adnectitur*). Conditiones magis obviae sunt sequentes. In promissione gratuita: *Si promissarius acceptaverit,* vel *Si potero absque gravi difficultate,* vel *Si res non fuerint notabiliter mutatae.* In comminatione: *Nisi delinquens fuerit emendatus.* In contractu oneroso: *Si pars obligationi suae satisfecerit*, vel *Nisi pars iuri suo renuntiaverit.* In proposito: *Si perduret causa* (unde, v. g., qui iurat se non esse ingressurum domum periculosam, illam ingredi poterit cessante periculo); vel *Nisi rem propositam mutavero in aliam evidenter meliorem.*

ARTICULUS V.

DE VOTO

PUNCTUM I.

De natura voti eiusque divisionibus.

2768. *Quid est votum?* Est promissio facta Deo de meliori bono.

Promissio. Ergo distinguitur a proposito. Rudes facile confundunt promissionem cum simplici proposito. Interrogandi sunt an crediderint se veram contrahere obligationem, atque adeo peccare si rem promissam non essent adimpleturi.

Facta Deo. Vota tamen quae fiunt Sanctis, si adsit intentio veram contrahendi obligationem, vel habenda sunt tamquam vota facta Deo in honorem etiam Sanctorum, vel (etsi vovens de Deo nihil cogitaret) utcumque sunt sacra et servanda.

De meliori bono. Hoc dicitur non eo sensu quod bonum Deo promissum debeat esse melius quovis alio bono; sed solum ad significandum materiam voti esse non posse rem indifferentem (in Dei enim honorem redundare debet), sed esse debere virtuosam et meliorem sua contraria vel illius omissione. Ad iudicandum autem an res aliqua sit melior sua contraria, observandae sunt etiam circumstantiae, quae efficere possunt ut res quae per se est magis bona, in casu concreto sit minus bona vel etiam iniqua; et viceversa. Sic perfecta castitas melior est matrimonio; sed non si persona iam matrimonio esset ligata, aut si oporteret vel magis expediret ut illud contraheret.

2769. *Quaenam sunt praecipuae voti divisiones?* Votum potest esse

1. *Absolutum* (v. g., voveo eleemosynam), vel *conditionatum* (v. g, voveo eleemosynam si sanitati restituar), vel *poenale* (v. g., voveo ieiunium si peccavero).

2. *Solemne* vel *simplex.* Solemne est quod Ecclesia sua auctoritate confirmat tamquam tale (cuiusmodi est votum castitatis quod emittitur in Subdiaconatu, et Professio Religiosa). Deficiente autem huiusmodi confirmatione, votum erit simplex.

3. *Reale, personale, mixtum.* Reale quando res aliqua externa pretio aestimabilis (v. g., calix); personale, quando actio vel cessatio ab actione aliqua (v. g. peregrinatio, abstinentia a tali peccato, a ludo etc.); mixtum, quando tum res tum actio (v. g., peregrinatio ad aliquod Sanctuarium, ibi offerendo calicem) Deo promittitur.

4. *Expressum* vel *tacitum*, secundum quod verbo (dicendo, v. g. *voveo*), aut facto (v. g., suscipiendo Subdiaconatum) exprimitur.

5. *Perpetuum* vel *temporaneum*, secundum quod per totam vitam vel ad tempus servandum sit.

PUNCTUM II.

De requisitis ut votum sit validum et licitum. Et quid in dubio?

2770. *Quaenam exiguntur ut votum sit validum?* Exigitur imprimis ut praesumendum sit obligationem a Deo acceptari; velle scilicet Deum ut vovens remaneat obligatus; quod continget, si (quantum iudicio humano coniici possit*) expediat ut votum obliget. Ex hoc principio Theologi inferunt quod ad voti validitatem requisita sunt tria: 1° Intentio et deliberatio sufficiens; 2° Materia apta; 3° Ut nulla lex positiva illud invalidet. De tertio requisito sufficit notare quod votum solemne ante aetatem ab Ecclesia statutam invalidum est. Solum itaque de primo et secundo requisito in sequentibus paragraphis explicationes adiiciam.

2771. *Quid in dubio utrum votum emissum fuerit vel utrum fuerit validum, vel utrum ad talem aut talem casum extendatur, vel utrum iam fuerit adimpletum?*

I. Si agatur de votis solemnibus vel ab Ecclesia acceptatis, dubia de eorundem validitate, solum iudicio Ecclesiae resolvi possunt (*cf. n.* 2778).

II. Loquendo de votis simplicibus et privatis, dubia praedicta ut plurimum coniecturis et praesumptionibus resolvuntur. Sic, v. g., qui certus de voto emisso dubitat negative (scilicet sine indiciis specialibus) utrum ante usum rationis (et proinde invalide), an vero post (et proinde valide), illud emiserit, praesumere debebit post usum rationis illud emisisse; quandoquidem ante usum rationis vota fieri non solent, et de casibus raris non datur praesumptio. Si autem pro certo haberet se votum

* Dico *quantum iudicio humano coniici possit;* Dei enim iudicio multa vota, quae non adimplebuntur et damnationis aeternae occasio erunt, voventi non expedient; quae tamen nihilominus a Deo acceptantur; quandoquidem ex una parte expedit ut vota fiant atque obligent, et ex alia si valere deberent solum vota, quae iudicio Dei voventi salutaria futura erunt, de cuiuslibet voti obligatione (propter incertitudinem) actum esset.

emisisse post septennium, et dubitaret negative an tunc usum rationis habuerit, praesumere debebit illum habuisse et sic votum validum fuisse. Ballerini (*Op. th. De vot. n.* 11).

Multa dubia resolvuntur etiam ex regulis specialibus interpretationis (v. g. circa vota conditionalia, poenalia, indeterminata etc.), quarum principaliores infra exponam.

III. Si dubium resolvi non possit, Theologi imprimis communius dicunt votum non obligare si dubitetur utrum emissum fuerit, vel utrum fuerit validum, vel utrum ad casum (de quo agitur) extendatur. Ex una parte enim durum est, quod quis debeat se reputare obligatum ad sustinendum incommodum quando ne scit quidem se obligationem contraxisse, et ex alia in votis simplicibus agi nequit de re quae omnino clamet ut a parte tuta standum sit. Si autem dubium non circa voti emissionem aut validitatem aut extensionem, sed circa eius executionem versetur; tunc communius dicunt obligationi certae non satisfieri solutione incerta, et proinde votum adhuc esse adimplendum. Sed non desunt Theologi gravissimi, qui distinguunt inter dubium positivum et negativum, et docent, in primo casu (si nempe indicia positiva suadeant quod probabiliter voto iam fuit satisfactum) nullam superesse obligationem; superesse vero in secundo, si nempe dubium sit negativum, et nulla ratio suadeat votum fuisse adimpletum (Bucceroni *De vot.* 53). Sed vereor ne hic confusio interveniat, et reapse Theologi censeant in dubio negativo votum esse adimplendum, quia tale dubium non sit verum dubium, sed resolvatur in certitudinem, quia qui nullam habet rationem credendi vel opinandi se votum adimplevisse, iam illum non implevisse praesumere debeat.

2772. *Quid exigitur ut votum sit licitum?* Ut neque a parte obiecti (seu materiae), neque a parte actus (vovendi) adsit aliquid mali, vel quod indignum sit ut Deo offeratur. A parte obiecti malum inveniretur, si res in se mala aut vana, vel bona quidem in se sed mala propter circumstantias, Deo promitteretur (quibus in casibus votum esset etiam invalidum). A parte autem solius actus malum interveniret, si res promissa foret undequaque bona, sed malum esset in actu vovendi, ut puta, si quis cum vanagloria, vel imprudenter (seu cum abusu voti, nimis faciliter vovendo quod forsan non adimplebitur), vel contra vetitum Superioris, vel contra votum non vovendi sine consilio confessarii etc., votum emitteretur.

2773. *Quando votum est illicitum, estne etiam invalidum?*

Si sit illicitum quia malum vel indignitas reperiatur a parte obiecti, affirmative (ut dixi, et infra melius explicabo). Si vero sit illicitum quia malum reperiatur solum a parte actus, negative; quamvis enim tunc Deus non acceptet votum ut meritorium, imo quamvis illud habeat ut poena dignum; tamen illud acceptat ut obligatorium, quia, ut supponimus, non obstante peccato (quod in illo emittendo commissum fuit), est de re bona et expedit ut valeat. Sic, si Princeps iurasset aut vovisset se non esse conditurum legem sine consilio cuiusdam viri sapientissimi, et postea sine tali consilio legem bonam conderet, illicite quidem sed valide procederet; et sic nihil vetat quominus Deus rem aliquam sub uno respectu damnet et sub alio acceptet et confirmet. Ita omnes. Cf. Sanchez (*Dec. IV.* I. 9).

§ I.

De intentione, cognitione et deliberatione, quae ad valide vovendum exigitur et sufficit.

2774. *Quaenam intentio exigitur?*

I. Exigitur intentio non solum proponendi, sed vere vovendi et se obligandi. Qui intendit vovere sine intentione se obligandi nescit quid faciat, aut vovet solum verbis; et sic votum est fictum et invalidum. Intentio se obligandi deficeret quoque in eo qui praevideret se prolaturum esse verba votiva in ebrietate (nisi vellet ut votum valeret). Qui inebriatur potest quidem esse reus in causa de delictis in ebrietate praevisis; sed principium istud ad vota applicari nequit; quoad delicta enim sufficit praevisio, sed quoad vota intentio exigitur. Cf. Ballerini (*Op. th. De vot. n.* 13).

II. Votum non obligat ultra intentionem voventis, et iuxta illam interpretari debet. Hinc 1° Obligare potest sub levi in materia gravi, si nempe talis fuerit voventis intentio. 2° Nequit esse de re impossibili, et si fuisset de re partim possibili et partem impossibili, an vovens ad partem possibilem teneatur, diiudicandum erit ex interpretativa eiusdem intentione. Sed de hoc sermo redibit infra. 3° Nemo obligari potest voto alterius (deficiente intentione), nisi ex obedientia vel iustitia illud servare teneatur. Hinc *A*) quando parentes vovent filios Religioni, ipsi quidem tenentur procurare ut filii huiusmodi bonam voluntatem concipiant, maxime vero non obstare etc.; sed filii liberi remanent; idque nedum quia votum parentum accipi debet ut conditionatum (*si filii consenserint*), sed etiam quia

filii hac in re obediendi obligationem minime habent. *B*) Subditi obligari possunt votis, quae a Magistratu aut Superiore Religioso cum intentione obligandi communitatem discrete et legitime facta fuerint; sicut subditi ipsi quaevis alia pacta Superiorum ipsorum adimplere tenerentur. Dixi *discrete et legitime;* quaedam enim vota (v. g., de novis festis de praecepto: cf. Theol. past. *n.* 81) nec omnes ligare nec perpetua esse possunt. *C*) Haeres tenetur solvere vota realia defuncti iuxta eiusdem intentionem, scilicet post debita iustitiae, et ante legata (etsi pia).

2775. *Quaenam cognitio et deliberatio exigitur?* Exigitur ut oneris quod per votum assumitur habeatur cognitio quoad substantiam, simulque cum perfecta deliberatione votum emittatur; non enim supponi potest quod Deus, tali deficiente cognitione et deliberatione, votum acceptare velit. Si itaque puella faceret votum castitatis ignorans qua de re agatur, et sciens solum aliquid Deo promitti, invalide voveret; nec sufficeret si in confuso intenderet facere quod faciunt aliae. Idem dic de votis emissis ante septennium seu ante sufficientem usum rationis, aut de votis quae a semifatuis, vel a semidormientibus, vel a semiebriis, vel utcumque in statu mentis valde obnubilatae (v. g. propter aliquam passionem valde vehementem) emissa fuerint.

2776. *Quaenam intentio et deliberatio ad valide vovendum sufficit?*

I. Sufficit intentio virtualis, quae procedit ex praevia intentione actuali. Hinc qui est mente distractus dum Subdiaconatum recipit vel religiosam professionem emittit, nihilominus valide vovet.

II. Sufficeret etiam (aiunt) intentio se obligandi, etsi quis intentionem adimplendi minime haberet. Hoc tamen (ni fallor) intelligendum est solum de votis quae coram Ecclesia fiunt, ab eaque acceptantur (unde valeret votum suscipientis ordinem sacrum, etsi nollet deserere concubinam); sed non valeret votum simplex cum intentione nullatenus illud unquam servandi emissum, quia, potius quam de voto, ageretur de irrisione, quae a Deo non acceptaretur. Cf. Ballerini (Op. th. *De voto* n. 26).

III. Sufficit cognitio quoad substantiam (ut dixi), nec exigitur ut quis omnes non magni momenti circumstantias ante oculos habeat.

2777. *Quid de voto emisso cum errore?*

I. Error invalidat votum si sit circa substantiam, aut circa

qualitates substantiales, v. g., voveo castitatem quam credo consistere in quadam prece: voveo peregrinationem ad Sanctuarium quod credo distare centum milliaribus et distat tercentum: Et in his casibus invalidum esset votum quamvis error fuisset concomitans, quamvis scilicet veritate quoque cognita aeque vovisses. (*S. Lig. III.* 198). Error invalidat votum etiam quando est circa causam finalem, seu circa motivum unicum vel principale, quod ad vovendum induxit (v. g., voveo Missam in gratiarum actionem pro sanitate parenti reddita, et is reipsa mortuus est). Hinc votum invalidum, quamvis renovatum fuerit quia validum credebatur (dum, hoc errore secluso, renovatum non fuisset), per hoc firmum non evadit. S. Lig. (*n.* 238).

II. Error probabiliter invalidat votum, quamvis esset tantummodo circa qualitates aut circumstantias accidentales (v. g. voveo eleemosynam pauperi quem credo probum et amicum, dum revera est improbus et inimicus); dummodo tanti momenti sint, ut iis cognitis votum emissum non fuisset. S. Lig. (*l. c.*). Ratio est quia praesumi debet, Deum non exigere executionem voti cum tali errore emissi, multo magis quia vota ordinarie non iam contractus bilateralis sed promissionis gratuitae naturam imitantur. Cavendum tamen a periculo hallucinationis (quae in voto valde oneroso, v. g. castitatis, facillime intervenire potest). Insuper vota solemnia (quae omnimodam firmitatem exigunt) prorsus excipi debent. Cf. Ballerini (*l. c.* 18).

III. Errores circa circumstantias accidentales minoris momenti aut circa causam voti mere impulsivam (vovit, v. g., quis peregrinari Romam studio colendi Deum, et simul etiam habuit causam impulsivam invisendi fratrem, quem falso existimabat Romae esse), si, veritate quoque detecta, votum emissum fuisset, illud minime invalidant.

2778. *Quid de voto emisso ex metu?*

I° Si metus fuerit gravis, iniustus et incussus ad hoc (scilicet ad extorquendum votum), tunc votum non tenet. Ratio est quia a Deo non acceptatur. Idem dic a fortiori si (propter metum) verbis tantummodo et sine interna intentione vovisses. Attamen Iure Canonico (Cap. *Perlatum*) irrita quidem declaratur professio religiosa, sed adiicitur conditio nisi postea ratihabita fuerit; et Tridentinum quinquennium tantummodo concedit ad reclamandum, et exigit ut causa a Superiore et Ordinario recognita fuerit (XXV. Cap. XIX *Quicumque*).

II° Si metus provenerit a causa naturali (v. g. occasione infirmitatis, naufragii etc.): tunc certe (nisi usus rationis ni-

mis imperfectus evaserit) votum tenet. Et idem dic si incussus quidem fuerit iniuste ab homine (v. g., ab inimico, a latronibus etc.), sed non ad extorquendum votum. Ratio est quia tunc votum non iam aegro animo, sed toto corde, ad obtinendam incolumitatis gratiam, emittitur, et quammaxime desideratur ut Deus illud acceptet.

III° Valeret quoque votum si metus incuteretur quidem ad illud extorquendum, sed iuste; quomodo enim potest esse invalidum votum quod quis emittere teneatur?

IV° Metus levis, etsi ad votum extorquendum iniuste incussus fuerit, certe non invalidat vota solemnia, dicente Cap. *Perlatum:* « Si legitime probatum fuerit non timore *mortis* « praedictam mulierem (*scilicet monialem quae fugerat e* « *monasterio*) Religionem intrasse....., ipsam ad Monasterium « redire..... compellatis ». Difficile etiam haberi poterunt tamquam invalida alia vota, quum metus levis facile sperni possit. Si tamen constaret quod metus huiusmodi causa voti vere extitisset, quo secluso, emissum non fuisset, tunc etiam pro invaliditate probabiliter stari posset. Cf. S. Lig. (*l. c.* 197).

§ II.

De materia apta.

2779. *Quid exigitur ut materia voti sit apta?* Debet esse 1° bona, 2° melior, 3° possibilis.

2780. *Quid de prima dote :* BONA?

I.° Quia promissio debet acceptari a Deo, oportet imprimis ut votum non sit de re mala, quo casu esset nedum invalidum, sed etiam peccaminosum (ut dixi n. 2772), et quidem graviter, etsi forte (ut contra alios docet S. Lig. III. 206) de re venialiter mala ageretur. Ratio est quia blasphemiam sapit quod quis putet talia Deo placere. Supposita tamen bona fide, (eaque durante) huiusmodi votum obligationem inducere posset, prout in casu Iephte, qui ad gratiarum actionem pro victoria occidit atque in holocaustum Deo obtulit filiam suam ei primo occurrentem, sicut voverat (*Iudic. XI*).

II.° Invalidum est votum non solum si res sit mala in se (vovendo, v. g., vindictam); sed etiam si sit mala propter aliquam circumstantiam (v. g., vovendo celebrationem Missae *de requie* die qua celebrari non potest), dummodo eadem circumstantia, ad modum conditionis sine qua non, intendatur.

III.° Inter circumstantias praecipua est finis; unde votum de re praestanda ex fine pravo unico aut principali (v. g., ieiunandi ad impetrandam victoriam iniustam, vel ad gratias Deo agendas eo quod rem iniquam consummare potueris) certe invalidum est. Dixi *ex fine unico aut principali;* interdum enim finis pravus esse posset tantummodo secundarius et impulsivus, seu talis quo etiam secluso res bona prestaretur, ut puta, si quis votum faceret de eleemosyna elargienda ex fine principali proximum sublevandi atque etiam ex fine secundario captandi vanam gloriam, ita scilicet ut, quamvis forte futurum sit ut vana gloria locum non habeat, eleemosyna fieri velit: et tunc votum teneret, et finis iste secundarius reiici deberet. Cf. Ballerini (*l. c.* 35).

IV.° A fortiori valet votum si finis pravus secundarius non a parte rei votae, sed a parte ipsius actus vovendi, se habeat, ut puta, si quis voveat ieiunium coram aliis ex fine quidem principali rem gratam Deo faciendi, sed etiam ex fine secundario captandi laudem de eodem voto; tunc enim Deus hanc quidem circumstantiam reprobaret, sed promissionem acceptaret.

V.° Votum illius, qui rem bonam vovet, si malum aliquod perpetraturus erit, valet si fiat ex intentione se retrahendi a malo ipso ad modum voti poenalis (v. g. voveo facere eleemosynam toties quoties blasphemabo); et e contra non valet (ut innui supra III°) si fiat cum desiderio ut malum ipsum accidat (v. g., meretrix vovet partem lucri meretricii si fuerit abundans, aut quis vovet festum celebrare si occiderit inimicum).

VI.° Circa votum de re bona ad obtinendam praeservationem a malo quod provenire posset ex delicto, vel ut ex delicto bonus effectus sequatur, meo sensu, distinguendum est secundum quod post vel ante delictum votum fiat. Si fiat post, tenet. Exemplum habes in puella quae post fornicationem votum faciat ne infamiam subeat; aut in viro qui, fornicatione perpetrata, aliquid Deo promittat si nascatur masculus. E contra, si huiusmodi vota fiant ante delictum, dicerem (quamvis Theologi multi contrarium sentire videantur) esse invalida; si enim valida essent, tunc peccatis ansam praeberent, nec credi potest quod Deus huiusce generis vota acceptet. Hinc non valerent vota facta sub conditione, v. g., si illaesus in duello remansero, si postquam inimicum occidero in carcerem non detrudar etc. Cf. Gury (*Cas. cons. n.* 307) et Ballerini (*Op. th. De Voto n.* 36).

VII. Votum disiunctivum aut de re bona aut de re mala (credendo esse bonam), v. g., aut ieiunare aut abstinere a de-

bito coniugali, obligat ad partem bonam, nisi vovens, si reflexisset aliam esse ineptam, nihil vovisset. Idem dic si una pars possibilis esset, et alia impossibilis post votum evasisset (ut TT. docent), vel etiam (meo sensu contra alios) actu voti impossibilis fuisset. Cf. *n.* 2798, et Sanchez (*IV.* x. 17 *et* XIII. 24).

2781. *Quid de secunda dote :* MELIOR?

I.° Non sufficit quod materia voti non sit mala et aliquo sensu sit bona; sed oportet ut tria simul concurrant: 1. ut sit melior sua contraria, nempe melius sit illam praestare quam non praestare; 2. ut aliquam difficultatem et aliquod lucrum spirituale seu meritum importet; 3. ut vovens non intenderit se privare libertate (quae in votis semper subintelligitur) commutandi rem Deo promissam in aliam adhuc meliorem, quae forte post factum votum adhuc possibilis et expediens sit; non intenderit scilicet se obligare ad non procedendum ad meliora. Hinc, salva hac libertate, valent vota, v. g., ingrediendi talem religionem (etsi non strictioris observantiae; melius enim est illam ingredi quam remanere in saeculo), vel piam peregrinationem ineundi, vel eleemosynas aut pia legata faciendi etc.

Ratio autem cur huiusmodi conditiones exiguntur, est quia vota 1° de rebus indifferentibus, ita ut nihil referret sive praestarentur sive non praestarentur (ut puta, si quis voveret pro sua commoditate domi manere aut foras egredi), aut minus bonis (ut puta, si quis voveret ludere, remanere in saeculo etc.); vel 2° de rebus melioribus quidem (vel etiam omnino necessariis), sed nullam difficultatem praeseferentibus (ut puta, si quis voveret manducare, bibere, dormire etc.); vel denique 3.° de non procedendo ad bonum adhuc melius (ut puta, si quis, facto voto ingrediendi religionem mitiorem, adiiceret aliud nunquam se esse transiturum ad strictiorem); vota, inquam, huiusmodi valida esse nequeunt; vota enim de rebus a quibus melius esset abstinere, vel de non procurandis rebus melioribus, Deo accepta esse non possunt. Idem dic de votis inutilibus, unde scripsit D. Th. (2. 2. *q.* 88. *a.* 2. *ad* 3): « Vota de rebus vanis et inutili-« bus, sunt magis deridenda quam servanda ».

2782. II. Inter res meliores, quae materia voti esse possunt, recensendae sunt etiam res praeceptae (vovendo, v. g., non blasphemare, non mentiri, non peccare contra castitatem etc.): nec huiusmodi vota tamquam inutilia absolute reiici debent: quum enim vovens maiori fraeno sic se coerceat, utique salutaria esse possunt.

2783. III. Res in se indifferens potest evadere melior propter

finem virtuosum (voveo, v. g., ire Romam ad invisenda loca sacra); et e converso propter finem vel causam indifferentem res in se melior potest evadere indifferens; unde invalide voveret, v. g., qui faceret votum eleemosynas elargiendi ne reputetur avarus, aut ieiunandi ad parcendum sumptibus, aut non ludendi tali ludo quia victoria ei arridere non solet etc. Res tamen melior (v. g. ieiunium) non evaderet indifferens si de illa votum fieret ad impetranda a Deo bona temporalia, v. g., sanitatem, bonum exitum negotii etc.

2784. IV. Votum nunquam ludendi (si mortificationis fine emittatur) valet; non vero nunquam animum recreandi. Valet quoque votum non petendi dispensationem vel commutationem vel irritationem; sed ad casum, in quo illam petere futurum sit melius, extendi non potest. Cf. S. Lig. *n.* 208, qui notat non valere intentionem quod, non obstante dispensatione vel irritatione, votum perseveret. Sic pariter votum non mutandi Confessarium ad casus, in quibus illum mutare melius sit, extendi non potest.

2785. V. Defectus conditionum, quae *n.* 2781 indicatae fuerunt, afficere potest substantiam voti, aut aliquam tantummodo eiusdem circumstantiam. In primo casu votum esset irritum prorsus, et in secundo contingere potest quod solum quoad illam circumstantiam non teneat. Sic, v. g., votum celebrandi Missam in altari privilegiato, *et praecise in illo quod magis vicinum et commodum est,* quoad hanc circumstantiam minime valeret.

2786. *Ad iudicandum an res aliqua sit melior, debetne attendi an sit melior in se, an vero relative?*

I.° Ea quae sunt magis bona *in se,* possunt esse minus bona *relative*, quatenus scilicet, attentis circumstantiis et speciatim fragilitate et inconstantia subiecti, non expediat ut obligatoria evadant. E converso quae sunt minus bona *in se*, magis bona *relative* esse possunt.

II.° Valet votum de re minus bona *in se,* si sit magis bona *relative,* salva tamen semper libertate procedendi ad melius bonum (prout supra n. 2781 explicatum est) si circumstantiae mutentur. Hinc valet votum contrahendi matrimonium (quod in se est minus bonum coelibatu), si subiectus sit valde fragilis, et vel nolit aliis mediis uti, vel, ex indole volubili atque habituali virtutis defectu, spem probabilem illa constanter et sufficienter applicandi habere non possit. Cf. S. Lig. (*n.* 209) et Ballerini (*l. c. n.* 41). Idem dic de voto non suscipiendi Or-

dines sacros, si quis praevideret talem susceptionem sibi fore damnosam. S. Lig. (*n.* 207).

III.° E converso non valet votum de re magis bona *in se*, si sit minus bona *relative*. Hinc votum agendi semper quidquid est perfectius, non tenet, nisi de personis excellentissimae sanctitatis (prout fuit S. Theresia quae illud emisit) ageretur. Idem dic de voto simplici castitatis in persona, cui (ut supra) magis expediat ut Matrimonium contrahat; Divinae enim sapientiae et bonitati convenire non videtur ut illud acceptet. Ita cum aliis (contra alios) docet Bonacina (*IV. II. p. l. n.* 26) inquiens: « Invalidum esse votum castitatis, vel religionis, vel « non nubendi, factum ab eo cui salubrius est matrimonium, ob « incontinentiam et lapsum in res venereas ». Attamen, si votum iam factum fuisset, ob periculum hallucinationis petenda esset dispensatio. Dixi *de voto simplici;* certe enim valeret votum solemne, quia, non obstante huiusmodi circumstantia, ob bonum commune expedit ut teneat et Deus illud acceptet.

IV.° Votum nunquam vovendi ordinarie non tenet; vota enim inter res bonas et meliores recensenda sunt. Si tamen quis solitus esset vovere imprudenter et vota non adimplere, tunc teneret votum non vovendi nisi de consilio confessarii; scriptum est enim (*Eccl. V*); « Si quid vovisti Deo, ne moreris « reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio.....; « multoque melius est non vovere, quam post votum promissa « non reddere ».

2787. *Quid de tertia dote:* POSSIBILIS?

I. Hoc exigitur, quia de impossibili dari nequit obligatio, imo nec voluntas. Notari potest quod intentio se obligandi sub gravi ad praestandum aliquid levis momenti (v. g. ad semel recitandam *Salve Regina*) respiceret rem impossibilem (quia infidelitas in re levi nequit esse gravis), et proinde votum non teneret, unde Theologi dicunt quod quis potest quidem se obligare sub levi in materia gravi (ut supra dixi *n.* 2774. *II.*), non vero sub gravi in materia levi. Ballerini (*l. c.* 43).

II. Votum de re valde difficili (etiam perpetuum) tenere potest; nec obstat timor aut praevisio aliquarum transgressionum, dummodo, omnibus in complexu consideratis, votum ipsum salutare, seu in bonum redundans, censeri debeat.

III. Votum de re partim possibili et partim impossibili (et idem dic de qualibet re partim apta et partim inepta), aliquando tenet quoad partem possibilem, et aliquando corruit prorsus. Dantur sequentes regulae, quae valent etiam casu

quo materia voti fuisset possibilis dum emissum fuit, et postea impossibilis in parte evasisset.

2788. *Regula prima.* Si res voto promissa ad quemdam finem praestari debeat, et finis ipse sit vel evadat impossibilis; tunc (reddita impossibili hac circumstantia) votum corruit prorsus; non enim datur obligatio medii cessante fine.

Exempla. Vovisti confessionem ad lucrandum Iubilaeum; si Iubilaeum lucrari nequis, confessionem facere non teneris. In honorem cuiusdam Sancti vovisti ieiunare in eius vigilia, aut Missam audire in eius festo; si haec praestare nequis iis diebus, non teneris aliis. Vovisti te conferre ad quamdam Ecclesiam ex fine oblationem ibi faciendi; si oblationem facere nequeas, ad Ecclesiam te conferre non teneris. Vovisti dare mille scutata monasterio pro dote Monialis; si possis dare tantummodo centum (quae ad dotem non sufficiunt), ad nihil teneris.

2789. *Regula secunda.* Si res voto promissa habeat partes ab invicem dependentes, tunc sic distinguendum est:

I.° Si sit impossibilis pars principalis seu utcumque substantialis, votum (deficiente substantia) penitus corruit; nec vovens tenetur ad partem secundariam et accessoriam quae possibilis remaneret; illa enim esset obiectum substantialiter diversum ab eo de quo fuit voluntas. Idque verum esset, quamvis vovens, si casum praevidisset, partem accessoriam adhuc vovisset; ex una parte enim de illa (sic a principali separata) votum factum non fuit, et ex alia obligatio solum a voto quod factum fuerit (non vero a voto quod factum fuisset) exurgere potest.

Exempla. Vovisti peregrinari cum cilicio; nequis peregrinari, sed posses induere cilicium. — Vovisti ieiunare: nequis ieiunare, sed posses a carnibus abstinere. — Vovisti aedificare altare cum candelabris: nequis aedificare altare, sed posses dare candelabra. — Vovisti aedificare Ecclesiam: et posses solum medietatem illius, vel fundamenta aedificare etc. In his casibus ad nihil teneberis. Vide Laymann. (*De Vot. Cap. II. n. 3*).

II.° Si pars principalis sit possibilis, et solum pars accessoria impossibilis sit; tunc quoad partem principalem ordinarie votum tenet.

Exempla. Vovisti ieiunium: nequis a carnibus abstinere in unica comestione, sed potes ieiunare (Ballerini *Op. th. De Vot. n. 68*) — Vovisti ieiunare in pane et aqua: dein bibisti vinum, sed potes ieiunium servare — Vovisti peregrinationem cum cilicio: nequis induere cilicium, sed potes peregrinari — Vovisti peregrinationem ad Sanctuarium, faciendo ibi quamdam oblationem: nequis facere oblationem, sed potes peregrinationem peragere. In his casibus ad partem principalem possibilem utique teneberis. Laymann. (*l. c.*).

Dixi *ordinarie:* excipe enim 1° Si pars principalis congrue subsistere nequeat sine accessoria. Vovisti, v. g., aedificare Ecclesiam cum adnexis et connexis necessariis. Si haec adiicere nequires, nec spes esset quod ab aliis adiicerentur; utique illam

aedificare non tenereris. Excipe 2° Si pars principalis nimis onerosa et aliena ab intentione voventis redderetur sine accessoria, ut puta, si vovisses peregrinationem equitando, et equitare non posses.

2790. *Regula tertia.* Si res voto promissa constet pluribus partibus minime ab invicem dependentibus; tunc (perinde ac si plures res prorsus distinctae Deo promissae fuissent), quamvis aliquae aut multae ex his partibus fuerint aut evaserint impossibiles, vovens ad alias, quae possibiles remanserint, ordinarie tenebitur.

Exempla. Vovisti abstinere a tali vel tali defectu per mensem; pluribus diebus non abstinuisti: teneris abstinere diebus sequentibus. — Vovisti ieiunare singulis diebus per annum: potes solum bis in hebdomada: ad hoc teneris. — Vovisti erogare in usus pios mille aureos: potes solum biscentum vel centum etc.: ad hoc teneris.

Dixi *ordinarie:* excipe enim si pars possibilis non deserviret ad finem, quem vovens sibi praestituisset, aut si ille explicite efformasset intentionem se obligandi vel ad totum vel ad nihil.

2791. *Qui, post votum perpetuum perfectae castitatis, matrimonium contraxit et consummavit, ad quid tenetur?* Tenetur certe 1° etiam vi voti et ex virtute religionis non peccare contra castitatem: 2° non transire ad secundas nuptias si forte coniux moriatur. Theologi dicunt quod tenetur etiam 3° non petere debitum; idque procul dubio verum est si absque gravi incommodo aut periculo coniugis et proprio a tali petitione abstinere possit. Gravi autem subsistente incommodo aut periculo, hoc certe excusat, saltem si sit a parte coniugis.

2792. *Quid de voto evitandi omnia peccata?* Tenet si sit viribus voventis proportionatum, et praesumi debeat quod, tamquam fraenum salutare et redundans in bonum, a Deo acceptetur. Secus, si secus. Hinc facile tenet votum nunquam peccandi mortaliter, et speciatim si ad unam vel alteram tantummodo peccatorum speciem restringatur. Minus facile tenet votum nunquam peccandi venialiter, quamvis de solis venialibus deliberatis ageretur; huiusmodi enim votum solis personis valde piis congruere posset, et maxime si non ad unam vel alteram dumtaxat speciem, sed ad omnes venialium species votum extenderetur. Votum autem de evitandis venialibus etiam indeliberatis, utpote de re impossibili, non teneret; nisi sensus esset apponendi talem vel talem specialem attentionem vel industriam ad huiusmodi venialium frequentiam imminuendam. Cf. S. Lig. (*n.* 203).

2793. *Si res promissa sit vel reddatur impossibilis, teneturne vovens illam in aliam commutare?* Negative (vovisti, v. g., hunc calicem; non teneris ad aliam rem si illum amiseris; imo, ut plures dicunt, etsi illum destruxeris aut vendideris. cf. Ballerini (*n.* 60). Excipe nisi votum de re illa fuerit accessorium alterius voti magis generalis, vi cuius ad aliam teneatur.

Vovisti v. g. absolute ingredi religionem, et postea vovisti ingredi tale monasterium. Utique si nequires ingredi illud, tenereris ingredi aliud. Cf. Laymann (*l. c. V*).

2794. *Quid si impossibilitas esset temporanea?* Si impedimentum cesset durante adhuc tempore ad quod votum extendebatur, obligatio, quae suspensa remansisset, revivisceret.

Vovisti, v. g., te aedificaturum templum quod hucusque ob paupertatem aedificare non potuisti; sed nunc ad meliorem fortunam devenisti, et ideo votum adimplere teneris. Hinc etiam (ut supra dixi) qui post votum castitatis uxorem duxit, ea mortua, a secundis nuptiis abstinere debet.

2795. *Quid de duobus votis incompossibilibus, talibus scilicet, ut, si unum adimpleas, adimplere nequeas aliud?*

Si facta fuerint diverso tempore, tunc 1° adimpleri debet illud quod certe aut probabilius sit de meliori bono, non solum si fuerit primum sed etiam si fuerit secundum; in primo enim salva remanebat facultas illud commutandi in maius bonum, de eoque votum faciendi. (Vovisti, v. g., peregrinationem tali tempore peragendam, et postea vovisti eodem tempore assistere peste infectis: hoc secundum praestare teneris). 2° Adimpleri debet primum, si secundum fuerit de bono certe aut aequiprobabiliter aequali; non enim datur facultas votum in aliud aequale privata auctoritate commutandi. 3° Adimpleri potest et debet unum pro libitu, si ambo vota aequalia sint, simulque incertum sit quodnam prius et quodnam postea emissum fuerit.

Si autem duo vota eodem tempore eodemque actu facta fuerint: vovisti, v. g., oblationem Ecclesiae S. Petri et aliam Ecclesiae S. Andreae: si nequeas utramque, meliorem; et, si ambae sint aequales, alterutram pro libitu praestare poteris et debebis. Cf. Laymann et Ballerini (*l. c.* 79).

2796. *An si voti executio reddita fuerit impossibilis ex culpa voventis, teneatur ille ad compensationem?* Casus contingit non solum quando vovens culpabiliter obiectum promissum (v. g. calicem) destruxerit aut alienaverit; sed etiam quando votum iam transgressus fuerit (v. g., non ieiunando in tali vigilia sicut voverat etc.). Quaeritur itaque an non solum teneatur ad contritionem de peccato atque ad consuetam poe-

nitentiam sacramentalem, sed etiam ad compensationem, (v. g. dando alium calicem, aut ieiunando alia die)? Negative respondent Theologi communissime; vota enim non sunt sicut debita iustitiae quae cum hominibus contracta fuissent; sed sunt promissiones factae Deo quae ex sola religione et fidelitate servari debent. Cf. Ballerini (*Op. Th. De vot. n.* 56). Excipe 1° casum promissionis quae Ecclesiae aut alicui personae facta et voto confirmata fuerit (*Cf. n.* 2023); 2° casum haeredis qui, acceptando haereditatem, censetur promittere et se obligare ex iustitia ad exequenda vota realia (sicut alia debita) defuncti. Cf. Sanchez (*IV.* xv 25 *et seqq.*) et Gury (*I.* 800).

PUNCTUM III.

De interpretatione voti.

2797. *Quibusnam regulis vota interpretari debent?*

I. Interpretari debent iuxta sensum a vovente explicite intentum, et, si de illo non constet, iuxta sensum, quem verba a vovente ipso adhibita solent habere inter personas eiusdem conditionis. Sic votum religionem ingrediendi intelligitur etiam profitendi, et apud rudes votum virginitatis non intelligitur in sensu stricto et theologico, quo ille, qui nunquam opere voluntario admisit in se delectationes venereas, promittit nunquam *prima vice* ad huiusmodi opus se deventurum, et insuper (dum sic opere integer remanserit) nec prima vice nec aliis vicibus sive mente sive sermone contra castitatem se peccaturum (*S. Th.* 22. *q.* 152. *A.* 1. *et.* 3. *ad* 3); non, inquam, hoc sensu stricto, sed latiori, scilicet pro voto castitatis, accipitur.

II. Interveniente aliqua ambiguitate, vota (quum non constet de obligatione, iuxta dicta *n.* 2771. III) interpretanda sunt in benigniorem partem (S. Lig. *n.* 224).

Exempla. Vovisti audire sacrum per mensem: non teneris die festo duo audire. — Vovisti Rosarium; sufficit tertia pars. — Vovisti ieiunium: potes uti adipe, atque etiam (si talis sit in ieiuniis loci consuetudo) lacticiniis. — Vovisti ieiunium per mensem: non teneris die dominico. — Vovisti ieiunium in vigilia alicuius Sancti: si haec incidat in dominicam, potes illud transferre ad praecedentem diem. — Vovisti ieiunium in sabbatis: potes pariter transferre illud ad praecedentem diem, si festum sabbato occurrat.

Regula autem interpretandi votum iuxta interpretativam voventis intentionem, nempe iuxta id quod vovens statuisset si casum praevidisset, valet quidem semper ad deobligandum,

ut modo dicebam; sed non semper (si nempe de mutatione substantiali ageretur, iuxta dicta n. 2789) ad obligandum.

2798. Speciatim circa interpretationem voti disiunctivi, notanda sunt sequentia:

1.° Aliquando votum prima fronte videtur disiunctivum (scilicet cum facultate liberae electionis inter duo vel plura disiunctive promissa), sed reapse est conditionatum. Dicis, v. g., *Voveo me ingressurum esse religionem intra annum vel biennium.* Si sensus sit: *Ingrediar post annum vel biennium prout mihi placebit,* tunc erit disiunctivum, et plenam libertatem habebis eligendi biennium. Si vero sensus sit: *Ingrediar post annum, si potero; sin minus, post biennium,* tunc erit conditionale; et libertatem differendi post biennium (si post annum poteris) minime habebis.

2.° Si votum sit vere disiunctivum simulque habeat tractum successivum (vovisti, v. g., quotidie vel eleemosynam dare, vel Rosarium recitare), poteris ante perfectam electionem vel semper unum, vel semper aliud, vel una die unum, et alia die aliud praestare, prout tibi placebit.

3.° Electio perfecta accidit quando quis ad modum voti (scilicet loquendo cum Deo) eligit unam partem, ita ut intendat non amplius sibi licitum esse variare.

4.° Hac electione secuta, perinde erit ac si votum ab initio simplex extitisset; unde de alia parte in quovis eventu nulla amplius obligatio superesset. Cf. Sanchez (*IV.* XIII. 21-36).

De voto disiunctivo, quoad casum in quo pars reddatur impossibilis ante electionem, vide n. 2780, VII.

Aliae regulae minutiores circa votorum interpretationem in Puncto sequenti invenientur.

PUNCTUM IV.

De obligatione voti.

2799. *Quid de obligatione voti?* Votum validum adimpleri debet absolute si sit absolutum; et verificata conditione si sit conditionatum; iuxta suas circumstantias (v. g., temporis, quantitatis, qualitatis etc.) a vovente ipso, et (si fuerit reale) ab eiusdem haeredibus, sub culpa relativa, nisi legitima causa excuset. Singula sunt explicanda.

2800. *Quid de adimplendo voto conditionato?*

I. Conditiones ut plurimum sunt *expressae,* v. g., si vale-

tudinem recuperavero, si pater consenserit, si peccavero: quo ultimo casu (ut iam dixi) votum esset *poenale*. Si tamen conditio de peccato esset ad modum finis, votum (iuxta dicta *n.* 2780. *V.*) foret invalidum. Et hoc sensu Theologi dicunt quod conditiones turpes reddunt vota nulla. Idem dic de conditione impossibili. S. Lig. *n.* 219.

Conditiones aliquando non sunt expressae, sed *subintelliguntur;* v. g.; voveo ingressum in religionem, si potero, si acceptatus fuero etc.

2801. II. Vota conditionalia non obligant si conditio non verificetur. Non tamen oportet ut in forma propria, sed sufficit si in forma aequivalenti verificetur (ita ut finis voventis eodem prorsus modo obtineatur). Vovisti, v. g., ingredi Religionem si patris licentiam obtineas, vel si soror nupserit; pater autem moritur, et soror professionem religiosam emittit, vel ipsa quoque moritur. Neque dicas non adesse obligationem commutandi votum (iuxta dicta *n.* 2793); heic enim tota voti substantia (ingressus in religionem) possibilis remanet, et variatio illa conditionis non solum accidentalis, sed nullius prorsus momenti est; unde de facto voti commutatio nullatenus intervenit. Sanchez (*IV.* XXIII. 26) et Ballerini (*l. c.* 59).

2802. III. Votum conditionale obligationem certe inducit, et est expectandi conditionis eventum vel defectum; ita ut proinde vovens interim se aptum servare teneatur, neque in statum, in quo votum adimplere nequeat, se coniicere possit.

Exemplum. Vovisti religionem si pater convaluerit: utique nequis, durante adhuc eius infirmitate, matrimonium contrahere. Cf. Sanchez (*IV.* XXII. 11).

2803. IV. Dantur casus, in quibus vovens conditionaliter potest studiose impedire ne conditio verificetur; interdum enim rei natura aut voventis intentio importat ut hoc licitum sit.

Exempla. Vovisti religionem si blasphemaveris; vel si negotiatio tibi malevertat; vel si frater tuus non derelinquat concubinam; vel si tuus nepos, loco prosequendi viam ecclesiasticam, nuptias initurus sit. Idem dic si quis vovendo diceret: — Si religiosus fuero, ero Capuccinus —, vel — Si Romam ivero, visitabo limina Apostolorum —. Cf. Sanchez (*IV.* XXIII. 40. 41).

Sed ordinarie conditionis adventum impedire minime licet; qui enim vovet conditionaliter hoc sensu conditionem apponit ut res sponte sua procedant, non vero ut sibi liceat (saltem rationabili causa seclusa) operam dare ut conditio non verificetur. Et in hac doctrina conveniunt omnes. Sanchez (*l. c.* 45).

Exemplum. Facto voto calicem Ecclesiae offerendi si intra duos menses sanitatem recuperaveris, nequis morbum in longum ducere studiose, ut a voto solvendo libereris.

Dixi *saltem rationabili causa seclusa.* Hinc qui, v. g., vovit ingredi religionem, si pater consenserit, iuxta plures, procurare potest ut pater motiva dissentiendi consideret; imo (dicunt) et preces adhibere, ut consensum non praebeat.

2804. V. Conditionis adventu studiose impedito, in quibusdam casibus vovens votum exequi non tenetur; nempe 1° Si voti executio reddita fuerit impossibilis (Facto voto, v. g., Religionem ingrediendi in tali monasterio, insolescis ut a Religiosis non accepteris vel expellaris). 2° Si incertum sit an conditio, secluso impedimento studiose apposito, verificata fuisset (Vovisti, v. g., dare eleemosynam, si in schola praemium obtenturus esses, et postea consulto procurasti praemium non obtinere; sed nescis, utrum, seclusa etiam hac malitia, illud obtenturus fuisses).

E contra in quibusdam aliis casibus votum exequendi obligatio remanet; nempe si, praeter obligationem religionis, iustitiae quoque obligatio interveniat, ut in casu haeredis et in casu voti in favorem tertii emissi ab eoque acceptati, ut patet ex principio iuris civilis dicentis: « Quicumque sub conditione « obligatus curaverit ne conditio existeret, nihilominus obliga- « tur »: et « Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo- « minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta « fuisset ». Quid enim si Titio aliquid promisisses dummodo ad te domi tuae veniat, illique advenienti ianuam in faciem clauderes, ne conditio verificaretur?

Si denique obligatio voti sit ex sola religione, et certum sit quod, secluso impedimento studiose apposito, conditio verificata fuisset, tunc Sanchez *IV.* xxiii. 47. (cum aliis) censet votum esse adimplendum. Exemplum habes in casu supra indicato illius qui, sub conditione infra certum tempus valetudinis recuperandae, votum fecisset, et iudicio medicorum iam certus de illa recuperanda, morbum in longum producere studiose procurasset. Ratio est quia ex una parte sensus voti intelligitur esse: *Si Deus gratiam mihi fecerit valetudinis recuperandae;* et ex alia iam gratia tamquam facta haberi debuisset. Sed Laymann aliique (inter quos S. Ligorius n. 218) censent obligationem votum adimplendi minime superesse, quia vovens intendisset se obligare casu quo, relinquendo cursum naturae et sumendo medicinas, valetudo de facto recuperaret, et hoc verificatum non fuisset, bene vero alius casus intervenisset de quo actu voti ille nullatenus cogitasset nihilque statuisset. Equidem fraus intervenisset, sed vota (iuxta dicta n. 2796) non sunt sicut

alia debita iustitiae, pro quibus strictae compensationis obligatio adesse potest.

2805. *Quid de voto poenali?*

I. Est species voti conditionalis: et potest esse simplex vel duplex. Erit *simplex* si votum fiat de sola poena (v. g. voveo ieiunare si me inebriavero): erit *duplex* si fiat de poena simul et de re cui poena statuitur (v. g. voveo me non inebriare; et, si me inebriabo, ieiunare).

II. Fieri potest in poenam non solum veri peccati (v. g. si me inebriabo, si blasphemabo etc.), sed etiam alicuius imperfectionis vel fractionis boni propositi (v. g. si chartis ludam, si Missam die feriali omittam etc.).

III. Poena statuta potest esse *stricte dicta* pro peccato formaliter commisso; et *late dicta,* scilicet vel ad modum remedii praeservativi ad cavendum a peccatis quae etiam inadvertenter committi possent, vel pro simplici imperfectione etc. An autem primo an vero secundo sensu statuta fuerit, ex rei natura et fine voventis diiudicandum erit. Sunt qui docent votum non obligare ad poenam si vovens actu peccati de illa non cogitabat; sed hoc a sensu communi nimis alienum mihi videtur; et admitti posset solum pro casu, in quo, ad retrahendum a peccato unico, poena semel luenda esset.

IV. An poena semel tantummodo, an vero toties quoties peccatum vel defectus interveniet, luenda sit; hoc etiam pendet a fine quem vovens sibi praefixerit vel utcumque ab eiusdem intentione. Agitur, v. g., de poena facile iterabili quam vovens statuerit ad abrumpendam consuetudinem blasphemandi, se polluendi, se inebriandi etc.; utique luenda erit toties quoties donec consuetudo de facto fuerit destructa. Si e contra ageretur de poena gravissima (v. g., longae peregrinationis) vel de peccato cuius non habeatur consuetudo; tunc poenam semel esse solvendam iudicari poterit.

2806. *Quid de voti executione quoad circumstantiam temporis?* Videndum imprimis an tempus fuerit explicite designatum vel non.

Si fuerit designatum, quaestio est 1° An praeviso impedimento debeas anticipare; 2° An tempore transacto quin votum adimpletum fuerit, ad illud adhuc tenearis?

Respondeo: Si circumstantia temporis fuerit quid principale (v. g., audiam Missam ad honorem talis Sancti in eiusdem die festo: vel ieiunabo in singulis feriis sextis in honorem Passionis D. N. I. C., aut in sabbatis in honorem B. V., aut tempore

Iubilaei ad illud lucrandum etc.); tunc, neque praeviso impedimento anticipare, neque tempore sine voti executione (etsi culpabiliter) transacto, ad quidquam teneris. Theologi dicunt quod tunc tempus censetur designari *ad finiendam obligationem.*

Si vero tempus fuerit designatum veluti quid secundarium, seu, ut Theologi dicunt, *ad sollicitandam voti executionem*, (ut puta, si vovisses Religionem ingredi die Paschatis); tunc, praeviso impedimento, anticipare, et, tempore sine executione transacto, adhuc votum exequi oportet.

Theologi dicunt designationem temporis censeri ad sollicitandam executionem in votis realibus: ad finiendam vero obligationem in votis personalibus; sed haec regula potest esse fallax. Vovisti, v. g., decem scutata pro apparatu Ecclesiae in tali solemnitate, vel eleemosynam in sabbato ad honorem B. V. Nunquid, voto non adimpleto, teneberis postea, quia est reale? E contra vovisti peregrinationem tali tempore pro gratiarum actione, vel Religionem ingredi die Paschatis. Nunquid, voto tunc non adimpleto, non teneberis postea, quia est personale?

In dubio an ad sollicitandam executionem, an vero ad finiendam obligationem tempus designatum fuisset, tunc doctrina ab illo excusans est probabilis. Intellige nisi praesumptionibus dubium solvi possit. Cf. S. Lig. n. 220.

Si tempus non fuerit designatum, quaeri potest 1° quo tempore votum adimpleri; 2° quanto tempore durare debeat?

Ad I.um Si agatur de re habente tractum successivum (v. g., votum castitatis, votum non committendi tale peccatum, votum non ludendi, votum ieiunandi singulis sabbatis, votum recitandi rosarium singulis diebus etc.), adimplementum incipi debet statim. Si autem agatur de re consistente in actu unico (v. g. de peregrinatione, de aedificatione templi, de ingressu in Religionem, de oblatione, de confessione semel facienda etc.), dilationi locus esse poterit plus vel minus iuxta rei naturam, finem voventis, aliasque circumstantias.

Exempla. Si vovisses confessionem quia commisisti peccatum mortale, paucis diebus tardare posses. Si vovisses peregrinationem, maior dilatio (v. g., aliquorum mensium) facile liceret. Si ingressum in religionem, videndum qua aetate; si, v. g., sexdecim annorum, facile biennio vel triennio differre posses; multo minus autem si aetate multo provectiori. Si denique de magna oblatione ageretur, nedum pluribus mensibus, sed etiam aliquo anno dilatio facile posset tolerari. Inter circumstantias autem, praecipua est an adsint causae, quae promptiorem executionem impediant (ubi notandum quod minor causa sufficit ad differendum quam ad prorsus omittendum), an e contra occasio nunc esset propitia et in posterum impedimenta praeviderentur, vel periculum adesset oblivionis, inconstantiae etc. Hoc sensu intelligi debent verba Deuteronomii XXVIII: « Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardaveris reddere ».

Ad II.um Quoad durationem: si agatur de re quae habeat

tractum successivum, votum (sine temporis determinatione emissum) intelligitur perpetuum. Excipe nisi ex fine voventis aliud colligatur, ut puta, si quis de recipiendis Sacramentis singulis hebdomadis votum emisisset ad abrumpendam consuetudinem, v. g., blasphemandi. De voto virginitatis iam dixi supra quod ordinarie pro voto castitatis accipitur, et proinde perpetuum est.

In dubio, non teneris nisi ad minus. S. Lig. (*n*. 221).

2807. *Quid de voti executione quoad circumstantias quantitatis et qualitatis, quae determinatae non fuerint?* Regula praecipua sumenda erit a mente voventis. Haec praesumitur fuisse 1° de re decenti, neque tam exigua vel defectuosa ut perinde esset ac Deo illudere (quid enim si dives, facto voto de oblatione tritici, pugillum tritici, vel triticum marcidum, offerret?) Praesumitur fuisse 2° iuxta usum communem (quid enim si facto voto calicem offerendi, calicem stamneum aut vitreum offerres?). In dubio, salva decentia, ad minimum teneris. Vovisti v. g. ingredi religionem; poteris ingredi laxiorem dummodo approbatam. Vovisti peregrinationem quin determinaveris an pedestrem vel equestrem, poteris eligere equestrem etc.

2808. An facto voto ieiunandi singulis sabbatis, debeas ieiunare quando ea die occurrit solemnitas SS.mi Natalis? Mihi (contra Salmant; n. 139, aliosque) placet sententia negativa, nec credo esse in contrarium textum iuris excipientis eos qui voto sunt adstricti; id enim de illis qui ad illum etiam diem votum extendendi intentionem habuerint, meo sensu, intelligi debet; non vero de illis, qui, si de re ista cogitassent, exceptionem fecissent. Haec enimvero est regula generalis: quae ad vota interpretanda communiter admittitur.

2809. An facto voto ieiunandi, possis ieiunare prout ieiunatur cum indulto? Heic quoque standum erit dictae intentioni interpretativae; et facile affirmandum si de solo indulto adipis, non vero si de indulto carnium, agatur.

2810. An facto voto audiendi Missam, possis satisfacere audiendo Missam de praecepto? Respondendum ut supra; et proinde, si de unica Missa, vel de quodam Missarum numero, agatur, negative; si vero de Missa quotidie audienda, affirmative.

2811. *Vota a quonam sunt solvenda?*

I. Si votum sit *personale* (v. g, ieiunium, peregrinatio etc.), vovens tenetur illud solvere per se ipsum; promisit enim factum proprium, et nequit votum suum commutare in minus, sicut contingeret si ieiunium vel peregrinationem alteri committeret.

Impeditus autem alium sibi substituere non tenetur, nisi ad hoc se obligare intenderit.

II. Si votum sit *reale*, vovens poterit quidem uti opera alterius, v. g., mittendo oblationem vel faciendo eleemosynam per tertiam personam (intellige nisi illud etiam, ad modum voti mixti, manu propria exequi promisisset); sed 1° debebit illud exequi quamprimum (ut supra), nec poterit rem ita negligere ut solum post suam mortem ab haeredibus votum solvatur; 2° debebit illud exequi de proprio; nec sufficiet si procuret ut alter pro sua devotione et merito eandem oblationem aut eleemosynam faciat: quod etiam (si nequiret solvere de proprio) procurare non teneretur.

III. Si votum sit *mixtum*, si nempe constet actione et re, triplex distinctio fieri debet. 1° Si actio personalis sit principalis et res accessoria (v. g. peregrinatio cum oblatione), impedita actione, res sub obligatione esse desinit. 2° Si actio personalis sit ita secundaria, ut ad minuendam difficultatem statuta fuerit, tunc etiam, ea impedita, totum votum corruit. Hinc Sacerdos qui vovisset celebrare Missas personaliter, impeditus a celebratione Missae, non teneretur curare ut alii Sacerdotes illas celebrent. 3° Si denique actio sit ita secundaria ut ad augendam difficultatem statuta fuerit, tunc, ea impedita, res voto promissa sub obligatione remanet. Hinc qui vovit facere eleemosynam manu propria, si nequeat manu propria, tenetur manu alterius.

IV. Per accidens dari potest obligatio solvendi vota aliorum: quod accidit in duobus casibus: nempe si agatur de voto communitatis, vel de haeredibus, ut supra (*n.* 2774 *II.*) explicatum est. Sed quoad haeredes valde notabilis est doctrina Frassinettii, qui (*not.* 36 *ad n.* 103) dicit, obligationem non subsistere si defunctus, dum votum emisit, intentionem habuerit interpretativam obligandi se ipsum tantummodo, et non haeredes; quod ex indiciis colligi debet, Voverat, v. g., aedificationem templi, quod vita sua durante se aedificaturum esse existimabat, nec tamen morte praeventus aedificare potuit. Sciebat ille, suos haeredes a tam pia voluntate quam maxime esse alienos; unde praesumendum est quod, si casum praevidisset, minime vovisset. Quid si insuper testamentum fecisset, vel commode facere potuisset, et nihilominus de hoc nihil dixisset?

2812. *Quid de culpa in voti transgressione quoad speciem et gravitatem?*

I. Quoad *speciem*, in vovente est contra religionem; et interdum potest esse insuper contra iustitiam si in favorem ter-

tii qui illud acceptaverit, vel contra alias virtutes si de re aliunde praecepta factum fuerit. — In haeredibus autem, etsi praecipue sit contra iustitiam, tamen pergit esse quoque contra religionem, quia *subrogatum sapit naturam eius in cuius locum subrogatur*. Cf. Laymann (*De vot.* c. III. *n.* 6).

II. Quoad *gravitatem,* si materia voti sit levis, culpa transgressionis erit semper levis; si vero materia sit gravis, culpa quoque erit gravis; sed in hoc casu exceptio esse potest, si nempe vovens in materia gravi sub levi tantummodo in ratione voti se obligare intendisset.

2813. Ad dignoscendum an materia sit gravis. dantur duae regulae.

*Regula I.*ª Materia censetur gravis quando, si praeciperetur ab Ecclesia, obligaret sub gravi (cuiusmodi esset ieiunium, auditio Missae, Confessio, Communio, una hora canonica, vel quidquid aliud quod his aequivaleret).

*Regula II.*ª Materia censetur gravis 1° si sit satis difficilis et onerosa (ut peregrinatio, magna oblatio etc.); 2° si sit quidem facilis sed valde aestimabilis, sive in se (ut Communio), sive propter finem voventis aliasque circumstantias.

2814. *An materia, quae esset levis in aliis praeceptis, possit aliquando esse gravis in voto? Et proinde an votum de evitando peccato veniali possit aliquando obligare sub gravi?* Mihi videtur affirmandum, abstinere enim a peccato veniali interdum non solum valde laboriosum, sed etiam (attento speciatim fine voventis) valde fructuosum esse potest. Quid enim si Sacerdos ad pigritiam valde inclinatus, de illa vincenda, ut multa opera bona facere possit, votum emitteret? Cf. S. Lig. (*n*, 211).

2815. *Si votum habens tractum successivum quid leve periodice vel quotidie praestandum respiceret, singulae transgressiones eruntne semper veniales, an vero materiam gravem et mortale peccatum tandem aliquando efformabunt?*

I. Si distantia sit talis ac tanta, ut in morali aestimatione transgressiones uniri non possint (votum fuit, v. g., recitandi *Salve Regina,* vel faciendi exiguam eleemosynam, in quodam festo B. V. singulis annis); et tunc certe materia gravis nunquam efformari poterit.

II. Si autem in morali aestimatione transgressiones possint uniri; tunc, si votum adimpleri debeat ex iustitia (ut in haeredibus, vel si factum fuerit in favorem tertii qui acceptaverit), uniri reapse censentur, et sic materia gravis efformari poterit.

Si vero votum ex sola religione adimplendum sit, ab intentione voventis decisio pendet, neque obligatio gravis ponenda erit si de intentione se obligandi sub gravi non satis constet. Intentio huiusmodi praesumi debebit si votum fuerit quidem de pluribus levibus sed ad modum unius (vovisti, v. g., quotidianas preces novendiales, vel quotidie aliquid facere ad sanctificandum mensem maii, vel quindecim decades Rosarii recitando unam decadem singulis diebus etc.); tunc enim materia gravis aderit non solum si omnia omittas, sed etiam si valde defectuose illa praestes, aut pluribus diebus deficias. Idem dic si rem aliquam magni momenti (v. g., levamen alicuius pauperis) per plura levia (v. g., per leves eleemosynas quotidianas) assequendam explicite et clare tibi praestitueris; vel si in casu deficientiae ad supplendum te obligare intenderis. Si autem levia periodice praestanda ita voveris; ut neque deficentias supplere intenderis, neque aliquid magni momenti tibi explicite praestitueris, neque illa quid unum constituant; tunc transgressiones non unientur et erunt semper veniales, ut puta, si de tribus *Ave* quotidie recitandis votum feceris. A fortiori materiae leves coalescere non possent si praeterea fuissent diversae speciei; vel si in diversis votis, aut ex diversis motivis, aut ad honorem diversorum Sanctorum promissae fuissent; vel denique ad colendos quosdam dies inter se satis distantes (v. g., ferias sextas) fuissent directae.

2816. *Peccatum intervenitne solum si votum non servetur?* Minime sed intervenit etiam

I. Si omittantur illius circumstantiae. Vovit, v. g. quis peregrinari ad Sanctuarium *faciendo ibi oblationem* vel *eleemosynam*. Omissio autem circumstantiae erit gravis vel levis, prouti multum vel parum aestimanda sit.

II. Si voti executio ultra debitum tempus differatur. Non loquor de casibus in quibus dilatio substantialem voti transgressionem includat (ut puta, si vovisses audire Missam in festo talis Sancti, vel ieiunium in singulis sabbatis etc.); bene vero loquor de casibus in quibus votum non sit adhuc fractum, et non obstante dilatione adhuc servari possit et debeat. In tali hypothesi sic distinguendum est:

Si votum sit de re quae unico actu perficiatur (v. g. oblatio) vel non perpetuo durare debeat (v. g., peregrinatio), tunc facile est quod dilatio non multum considerari debeat et proinde peccatum mortale minime constituat. Excipe nisi dilatio ipsa

propter speciales rationes (*cf. n.* 2806) periculosa vel perniciosa foret.

Si e contra votum sit de re per totam vitam servanda (v. g., votum religionis) utique tunc (advento tempore quo monasterium ingredi debes) facile erit quod dilatio (utpote quae cultui divino et bono voventis detrahit), si vovens nulla prorsus causa excusetur, gravem reatum inducat. Credo tamen res huiusmodi non adeo subtiliter esse accipiendas, et latiorem interpretationem, iuxta sensum communem, admittere. Cf. Ballerini (*Op. th. De vot. n.* 66).

III. Denique ordinarie peccatum aderit, si quis voti emissi sine iusta causa poeniteat. Equidem voti emissi poenitere (perseverante voluntate illud adimplendi) *per se* non est peccatum; agitur enim de actu, quem apponendi nulla aderat obligatio (Scavini n. 214). Attamen, maxime si de voto castitatis agatur, peccatum facile intervenit, quia, aegro animo illud servando, periculum transgressionis magis magisque adaugebitur; unde peccatum ipsum etiam mortale esse potest. Cf. Sanchez (*XII.* 2).

PUNCTUM V.

De cessatione voti.

2817. *Quot modis votum cessare potest?* 1° Suapte natura: 2° Dispensatione vel Commutatione: 3° Irritatione.

§ I.

De cessatione voti suapte natura.

2818. *Quomodo votum cessare potest suapte natura?*

I. Si factum fuerit ad tempus vel durante conditione, cessat finito tempore vel desinente conditione.

II. Cessat per adimplementum. Quid si opus promissum (v. g., Rosarii recitationem) praestaveris quidem, sed quin efformaveris intentionem adimplendi votum? Certe votum non adimplebis, si efformaveris intentionem contrariam (scilicet non adimplendi), vel si illud opus ad alium finem incompatibilem applicaveris (v. g., recitando Rosarium pro poenitentia sacramentali), vel si opus ex alia intentione (etsi *per se* compatibili) praestitum, nequeat esse iuxta intentionem, quam vovendo habueris. (Solitus eras, v. g., recitare Rosarium quotidie in

honorem B. Virginis, et vovisti unum Rosarium pro defuncto: utique sensus esse videtur quod solum Rosarium more et fine consueto recitatum, ad votum adimplendum non deserviat). In aliis casibus Theologi dicunt, cum S. Lig. (*n.* 224), quod votum adimpleretur, quia unusquisque censetur habere voluntatem satisfaciendi prius suis obligationibus (*Cf. n.* 1716 *et seqq.*).

III. Cessat si materia voti evaserit inepta, scilicet ex bona mala vel inutilis, aut ex meliori minus bona, aut ex possibili impossibilis (sive physice sive moraliter). Do exempla.

Ex bona mala. Vovisti religionem, sed postea parentes versantur in necessitate, vel Pontifex tibi praecipit ut Episcopatum suscipias. Vovisti peregrinationem, sed postea munera tua vel obedientia Superioris exigunt ut domi remaneas. Vovisti ieiunium; sed, debilitate postea subveniente, ieiunando muneribus tui status satisfacere nequires. Vovisti eleemosynam tali pauperi; sed haec ad ebrietatem aut libidinem illius fovendam deserviret etc.

Ex bona inutilis. Vovisti subvenire pauperi; sed hic non amplius eget. Sufficit si evadat inutilis ad finem voventis, quamvis in se adhuc bona et optima esset. Vovisti v. g. Missam applicandam pro recuperatione sanitatis patris tui; sed ille, antequam Missam celebretur, moritur vel sanitatem recuperat.

Ex meliori minus bona. Vovisti, v. g., matrimonium ut vitiis finem imponeres; sed, illo non adhuc contracto, felici eventu vitiis finem imposuisti et castitatem iam facile servare potes. E contra fecisti votum servandi perpetuam castitatem (vel religionem ingrediendi, vel Ordines Sacros suscipiendi); sed postea tentationes et lapsus efficiunt melius esse ut matrimonium contrahas. Attamen (ut alias innui) in hoc secundo casu, ob periculum hallucinationis, petenda esset dispensatio.

Ex possibili impossibilis. Vovisti ieiunium; sed postea nequis ieiunare ob infirmam valetudinem. Vovisti eleemosynas; sed postea ob paupertatem illas elargiri nequis etc.

Tria notanda sunt: 1° Cessaret votum quamvis ex voventis ipsius culpa, eius materia inepta evasisset. 2° Si materia ipsa evaderet inepta solum ad tempus (v. g. vovisti ieiunare singulis sextis feriis per totam vitam: et dein duobus aut tribus mensibus aegrotas) vel solum pro aliquo casu (vovisti, v. g., obedientiam, sed postea aliquod illicitum tibi praecipitur); tunc votum non iam cessat, sed solum pro tempore vel casu illo suspenditur. 3° Vota solemnia privato iudicio nunquam cessationem, et vix unquam suspensionem pati possunt.

IV. Cessat votum privatum, si postea talis superveniat circumstantia, quae, si praevisa fuisset, factum non fuisset. Principium istud est S. Thomae dicentis (4. d. 38. q. 1. a. 3. ad 1.): *Id liberare a voti vel iuramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impedivisset.* Idemque dicunt alii multi, inter quos S. Lig. (*n.* 226). Rationem autem adduxi supra (*n.* 2777 II.)

Exempla. Vovisti oblationem pretiosam, aut eleemosynam, aut expensam aliam quamlibet, quia putabas tibi eam summam fore superfluam: et dein, ob morbum, aut furtum, aut deficiens lucrum etc., summa ipsa indiges. Vovisti te aedificaturum ecclesiam vel capellam quia putabas te aut unicum filium tuum sine prole moriturum, et dein tibi vel filio proles nascitur etc.

Advertendum est tamen quod ille, quem emissi voti poenitet, nunquam considerare poterit hanc solam circumstantiam, tamquam sufficientem ut (sine dispensatione) se a voto liberum reputet; nec tunc valeret ratio quod, si hanc circumstantiam praevidisset, votum non fecisset. Secus enim de omnibus votis actum esset.

V. Denique omnia vota privata, sive personalia sive realia (non tamen si fuerint a tertio acceptata) cessant per professionem religiosam; ut patet ex Cap. *Scripturae* (de vot. III. 34) dicente: « Reus fracti voti aliqualiter non habetur, qui « temporale obsequium in perpetuum noscitur Religionis obser- « vantiam commutare »: idque verum est, quamvis professus rem istam ignoraverit. Si tamen huius rei certior evadens vota pristina post professionem renovaret, illa reviviscerent; sed ita ut Praelatus ea irritare posset, ut infra videbimus. — Haec autem dispositio ad professionem votorum simplicium applicari non potest; sed hac de re vide Lehmkuhl (*n.* 466).

PUNCTUM VI.

De votorum et iuramentorum dispensatione et commutatione.

2819. *Quid est dispensatio voti?* Est condonatio seu remissio obligationis ex voto ortae, nomine Dei concessa.

2820. *Quis possit a votis dispensare?*

I. Summus Pontifex circa omnes Christifideles, eiusque potestas etiam ad vota solemnia extenditur.

II. Episcopi, Vicarii Capitulares et Praelati Religiosi iurisdictionem quasi episcopalem habentes, sed ex officio solum circa suos subditos et exclusis votis Summo Pontifici reservatis; quae sunt votum castitatis, religionis etc. (vide dicta *n.* 1908 et Lehmkuhl *n.* 477). Attamen (iuxta plures) Episcopi dispensare valent (hac in re sicut et in aliis similibus) etiam peregrinos ex consensu tacito propriorum Episcoporum. Insuper, supposita urgenti necessitate, a votis quoque reservatis dispensare possent.

III. Quotquot a S. Sede vel ab Episcopo etc. delegati fuerint (et quoad Regulares recole dicta *n.* 1918 *et seq.*).

Caeterum nec simplices Confessarii, nec Parochi, et nequidem Vicarii generales (seclusa speciali delegatione) a votis dispensare possunt.

2821. *Dispensatio a votis potestne semper dari pro quolibet foro?* Negative: interdum enim Superior concedit facultatem dispensandi solum pro foro interno (prout accidit in Regularibus quoad saeculares), aut etiam in solo foro sacramentali, scilicet actu confessionis.

2822. *Valeretne dispensatio si absque causa concederetur?*

Negative: idque verum esset quamvis a Summo Pontifice concederetur; nemo enim potest valide dispensare sine causa in lege aliena, qualis semper est lex divina. Sufficit tamen causa aliqua, quae iudicio dispensantis censeatur iusta, etsi forte de facto talis non esset; secus enim nimii scrupuli nimiaeque incertitudines sequerentur.

Causae possunt esse 1° si votum emissum fuisset cum imperfecta deliberatione, v. g., in aetate puerili, sine consideratione et nimia facilitate, in aestu passionis, ex metu naufragii etc.: 2° bonum publicum vel spes maioris honoris divini: 3° periculum transgressionis; 4° magna difficultas executionis (maxime non praevisa): 5° si vovens vexetur magnis scrupulis.

Caeterum difficillime causa erit sufficiens si agatur de voto solemni. In aliis causa maior exigitur vel minor sufficit, secundum quod maioris vel minoris momenti votum sit. Causa etiam aliquantulum minor sufficere poterit si de dispensatione non totali, sed mixta cum commutatione agatur.

2823. *Quid de voto in favorem tertii?*

I. Si fuerit quidem in favorem tertii sed sine ulla iuris stricti translatione, si nempe quis vovisset quidem se facturum aliquid in favorem tertii, sed huic nihil adhuc dixisset, vel promisisset; tunc voti dispensatio locum habere poterit.

II. Si vero promissio intervenisset, distinguendum secundum quod in favorem entis ecclesiastici vel in favorem personae particularis votum factum fuerit. In primo casu dispensatio a S. Sede obtineri poterit; non item in secundo, nisi promissarius renuntiet.

2824. *Quid de Commutatione?*

I. Commutatio potest esse 1° in melius; 2° in aequale: 3° in minus, scilicet in bonum notabiliter minus, si enim esset parum minus, censeretur aequale (parum pro nihilo).

II. Commutatio *in melius* (si sit *certe* melius) fieri potest etiam sola auctoritate propria. Vovisti, v. g., lampadem ar-

genteam, et vis potius periclitanti puellae dotem tribuere. Hoc tamen fieri nequit in votis solemnibus; qui scilicet in religione laxiori professionem emiserit; sine licentia Superioris (quae caeteroquin, supposita voluntate vere bona, negari nequibit), ad strictiorem transire non potest. (C. *Licet* de Regul.) Lehmkuhl excipit etiam alia vota reservata.

III. Commutatio *in minus* vel etiam *in aequale* fieri potest solum ab habente legitimam auctoritatem. Si tamen auctoritate tantummodo propria commutatio fieret *in aequale*, non esset grave peccatum. S. Lig. (*n.* 244).

IV. Qui potest dispensare, certe potest etiam commutare. Delegatus vero ad commutandum nequit dispensare, nisi commiscendi dispensationem cum commutatione facultas ei facta fuisset. Hoc diverso modo esse potest. Aliquando enim Superior concedit facultatem *commutandi dispensando;* tunc principaliter exigitur commutatio et solum aliqua levis dispensatio permittitur; unde perinde est ac si sola facultas commutandi concessa fuerit (ut enim dixi supra, parum pro nihilo). Aliquando e contra Superior concedit facultatem *dispensandi commutando;* tunc principaliter conceditur facultas dispensandi, et solum aliqua commutatio exigitur, unde bonum notabiliter minus subrogari potest.

V. Quamvis agatur de commutatione facienda *in aequale*, exigitur causa. Si tamen tunc Superior sine causa dispensaret, dispensatio esset quidem illicita, sed (iuxta S. Lig. *n.* 245) valida: quod practice verum videtur, quia aliqua levis causa semper aderit.

VI. In votis reservatis, si Superior commutaverit materiam reservatam in non reservatam, cessat reservatio. S. Lig. (*n.* 260).

VII. Facta legitima commutatione (sive propria sive Superioris auctoritate, ut supra) licebit semper redire ad primum opus (nisi commutatio in melius novo voto confirmata fuerit).

Si autem opus substitutum redditum fuerit impossibile, tenebitur vovens redire ad primum, si auctoritate propria substitutionem fecerit; secus si auctoritate Superioris commutatio facta fuerit absolute: quod (iuxta S. Lig. *n.* 249), verum esset, quamvis ex voventis ipsius culpa opus ipsum impossibile redditum fuisset.

2825. *Circa validitatem, durationem et conditiones dispensationis estne aliquid notandum?*

De his recolenda sunt principia generalia, quae iam supra *n.* 1944 *et seqq.* 1995 *et seqq.* exposita fuerunt.

2826. *Quae hucusque dicta sunt de dispensatione et commutatione votorum, valentne etiam pro iuramentis?* Affirmative.

PUNCTUM VII.

De votorum et iuramentorum irritatione.

2827. *Quid est irritatio?* Est annullatio aut suspensio voti, quae, absque recursu ad auctoritatem ecclesiasticam iurisdictionalem, fit ab illis, quibus iure sive positivo sive naturali vota annullandi aut suspendendi potestas competit. Lessius (*II.* XL. 68).

In hoc itaque praecipue irritatio distinguitur a dispensatione (vel commutatione), quia dispensatio per recursum ad auctoritatem ecclesiasticam iurisdictionalem obtinetur; irritatio vero ab aliis (ut statim explico), et quidem etsi vovens nollet (atque adeo per modum non concessionis vel condonationis, sed imperii) peragitur.

2828. *Quotuplex potest esse irritatio?* Duplex, scilicet *directa* et *indirecta.*

§ I.

De irritatione directa,

2829. *Quomodo contingit irritatio directa?*

Accidit quando quis ius habet annullandi atque annullat revera votum radicitus et totaliter, unde perinde fit ac si vovens nunquam vovisset. Ius istud habent 1° Praelati Religiosi quoad suos subditos; 2° Patres quoad filios impuberes; 3° probabiliter etiam mariti respectu ad propriam uxorem. Haec potestas provenit a iure positivo cum fundamento congruentiae in iure naturali. Ecclesia scilicet statuit ut Religiosi, impuberes, et (probabiliter) uxores, etsi vovere possint valide, tamen vota emittere nequeant absolute et firmiter, sed solum sub conditione quod Praelatus, vel pater, vel maritus votum non irritent, qua secuta irritatione, votum ipsum perpetuo corruat. Idque verum est quamvis de votis Summo Pontifici reservatis ageretur. Qui autem votum irritavit, nequit, retractata voluntate efficere ut denuo reviviscat.

Dicunt Theologi communissime, irritationem esse validam (attamen aliqualiter illicitam) quamvis sine causa peracta fuisset et votum nullum damnum nullumque praeiudicium inferret, vel etiam actus mere internos respiceret; unde sub hoc quoque respectu irritatio a dispensatione differt.

2330. *Quid speciatim notandum circa irritationem directam quae a Praelatis religiosis peragatur?*

I. Quod revera hanc facultatem habeant, patet ex consuetudine omnium Ordinum religiosorum, et fundamentum habetur etiam in principio generali exposito in iure canonico. Legitur enim in Cap. *Si religiosus* 27. *De Elect.* in 6.: « Eius (Religiosi) arbitrium non ex sua, cum velle et nolle non habeat, sed « ex illius quem vice Dei super caput suum posuit et cuius imperio se subie- « cit, voluntate dependeat ». Et in can. *Non dicatis* 11 q. 1. Caus. 12: « Cum « huius nostrae Congregationis fratres non solum facultatibus sed etiam volun- « tatibus propriis in ipsa ordinationis susceptione renuntiaverint, et se per pro- « missam obedientiam penitus aliorum potestati et imperiis in Christo et pro « Christo subdiderint etc. ».

II. Praelati Religiosi sunt 1. Summus Pontifex (non tamquam caput Ecclesiae sed tamquam supremus Praelatus omnium Religiosorum): 2. Episcopus, sed solum quoad Moniales sibi subiectas: 3. Generalis, Provincialis, Guardianus (seu Rector Monasterii); sed non pro Religioso qui ad Episcopatum evectus fuisset; tunc enim non amplius subditus esset: 4. Vicarius, absente Superiore si tunc absolutam iurisdictionem habeat: 5. Etiam Abbatissae (probabiliter) Cf. Ballerini (*Op. th. VI. II. 109*). 6. Denique delegati.

Quum autem haec facultas fundetur in voto obedientiae, quod etiam a Sodalibus Piarum Congregationum emittitur, multi ad eorum quoque Superiores illam extendunt. Cf. Lehmkuhl (*n. 462*). Certe tamen ad Novitios (qui professione adhuc non fecerunt) minime extenditur.

III. Excipiuntur vota substantialia, quae ipsam professionum constituunt, et excipitur etiam votum ad strictiorem religionem transeundi, qua de re unusquisque in professione ipsa libertatem sibi reservat. Baller. (*l. c. 110*).

2331. *Quid speciatim notandum circa irritationem directam quae a Patre erga filium impuberem peragatur?*

I. Lex antiqui testamenti (*Numer. XXX. 4)* dicebat: « Mulier si quippiam « voverit et se constrinxerit iuramento, quae est in domo patris sui et in aetate « adhuc puellari: si cognoverit pater votum, quod pollicita est et iuramentum « quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit: quidquid pollicita est « et iuravit, opere complebit. Sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater, « et vota et iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni eo « quod contradixerit pater ».

Lex ista retenta fuit ab Ecclesia et refertur ad litteram in iure canonico (Decr. II. p. Caus. XXXIII. q. 2. c. 14). Habentur etiam alii textus (l. c. XX. q. II. C. 2): « Puella si ante duodecim annos aetatis sponte sua sacrum sibi « velamen assumpserit, possunt statim parentes eius vel tutores id factum ir- « ritum facere si voluerint. At si annum et diem, id dissimulando consenserint, « ulterius nec ipsi nec ipsa mutare hoc poterunt ». Et (*l. c. q. I. C. I.*). « Fir- « ma tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta iam aetas esse coeperit ».

II. Haec facultas, in defectu patris, ad alios petriam potestatem habentes, atque adeo ad avum paternum, tutorem, et matrem devolvitur: imo mater vota filii irritare potest etiam praesente patre, qui non contradicat.

III. Comprehenduntur vota omnia sive personalia, sive realia, etsi de bonis propriis filii ageretur, imo et quamvis voti executio referretur ad tempus in quo filius a patria potestate solutus erit. Cf. Ballerini (*l. c. 114*).

2332. *Quid speciatim notandum circa irritationem directam quae a marito peragatur?*

I. Lex antiqui testamenti *(l. c. 11-16)* dicebat: « Uxor in domo viri cum se « voto constrinxerit et iuramento, si audierit vir et tacuerit, nec contradixerit

« sponsioni, reddat quodcumque promiserat. Sin autem extemplo contradixerit, « non tenebitur promissionis rea, quia maritus contradixit, et Dominus ei pro- « pitius erit. Si voverit et iuramento se constrinxerit, ut *per ieiunium vel cae- « terarum rerum abstinentiam* affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut « faciat sive non faciat. Quod si audiens vir tacuerit et in alteram diem distu- « lerit sententiam, quidquid voverat atque promiserat reddet, quia statim ut « audivit, tacuit. Sin autem contradixerit postquam rescivit, *portabit ipse « iniquitatem eius* » (quae postrema verba sic intelligo : voti fracti reus erit maritus si absque causa rationabili contradixerit).

Haec etiam lex retenta fuit in iure canonico (l. c. Caus. XXXIII. q. V. C. « XI.) : « Manifestum est ita voluisse legem, foeminam esse sub viro, ut nulla « vota eius, quae *abstinentiae* causa (*ut ieiunare : Gloss.*) voverit, reddantur « ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo ». Ubi additur, uxoris vota solvi quamvis maritus prius consenserit, si postea dissentiat: idque verum esse in votis abstinentiae, sed non in voto continentiae (ab usu coniugii), quod semel permissum revocari non potest.

II. Legem istam esse intelligendam de irritatione directa docent D. Thomas, S. Ligorius aliique plures ; sed alii multi censent e contra de sola irritatione indirecta, atque adeo solum pro casibus in quibus vota uxoris iuribus mariti praeiudicent (quod suadent verba *per ieiunium etc.*) intelligi debere. Ego dicerem 1. uxorem solvi a voto quando illius observantia pacem turbatura esset, non vero si de re occulta nullamque turbationem afferente ageretur. 2. Maritum peccare (et pro modo materiae, etiam graviter) si absque causa iusta uxoris vota irritet (*portabit ipse iniquitatem eius*): 3. Mortuo marito, votum reviviscere. Sic autem huiusmodi irritatio, meo sensu, potius indirecta esset. Eccur enim, maxime quum hodie mariti plurimi sint impii, dare illis auctoritatem irritandi, et quidem in perpetuum. etiam illa piarum uxorum vota, quae nihil praeiudicant? Quomodo lex huiusmodi utilis et necessaria, atque adeo valida, esse posset?

III. Caeterum, si cuncederemus facultatem istam maritos habere, certe solum ad vota, quae tempore subiectionis (scilicet matrimonii) emissa fuissent, extendi deberet.

§ II.

De irritatione indirecta.

2833. *Quid de irritatione indirecta?*

I. Contingit quando quis ius habet super materiam voti, illamque voventi subtrahit aut prohibet ; unde, tali subtractione aut prohibitione durante, voti executio impossibilis aut illicita evadit. Ius autem super materiam voti habere potest dupliciter: 1° si circa illam dominium vel ius administrationis habeat (ut puta, si uxor aut filius eleemosynam vovissent de bonis quae sint mariti vel patris, aut sine horum consensu alienari nequeant) : 2° si votum praeiudicium utcumque iuribus alterius afferre, aut iusta Superioris praecepta impedire posset.

Exempla. Genitores et Curatores filiorum puberum (qui vivant in familia) sic irritare possunt vota, quae familiae ipsi praeiudicent etc.

Uxor irritare potest vota mariti, qui longam peregrinationem inire, vel habitare alibi, vel dormire seorsim, vovisset.

Idem dic de haeris quoad ancillas, que vovendo nimia ieiunia, preces, Ecclesiarum visitationes etc., ad servitia debita praestanda ineptae redderentur.

Sic etiam Pontifex, Episcopus, et Rector communitatis irritare possunt vota subditorum, quae cum iustis eorum praeceptis sint incompatibilia. Subditus, v. g. voverat ieiunium, et Episcopus iubet magisterium vel praedicationem, prohibendo ieiunium incompatibile etc.

II. Irritationis indirectae facultas pleno iure naturae conceditur, ut per se patet.

III. Extenditur etiam ad vota, quae ante tempus subiectionis emissa fuerint (ad differentiam irritationis directae; *cf. n.* 2832 *III*), si illa tempore subiectionis iuribus alterius inferant praeiudicium. Illo autem cessante, votum (secus ac in irritatione directa, *cf. n.* 2829) denuo reviviscit.

2834. *Quid de voto non petendi debitum matrimoniale?*

Si factum fuerit a marito, irritari potest ab uxore: uxoribus enim praeiudicare solet. Imo videtur ex se ipso invalidum (Cf. Ballerini *l. c.* 112).

Si vero factum fuisset ab uxore motivo virtutis, tunc ordinarie, tamquam bonum et marito non praeiudicans, validum, et forsan a marito minime irritabile erit.

CAPUT VII.

DE TERTIO DECALOGI PRAECEPTO,

SCILICET DE SANCTIFICATIONE FESTORUM

2835. *Memento ut diem sabbati sanctifices.. Non facies omne opus in eo* (Exod. XX.).

Hic agitur de sanctificatione festorum non solum quatenus iure naturali et positivo divino, sed etiam quatenus iure ecclesiastico praecipitur atque determinatur. Ecclesia enim diem Sabbati in diem dominicum commutavit, et alia quoque intra annum festo de praecepto adiecit, atque auditionem Missae praecipit.

2836. *Sanctificatio festorum, quatenus est obligatoria, in quo consistit?* 1° In abstinentia ab operibus servilibus et aliis quibusdam: 2° In auditione Missae.

ARTICULUS I.

DE ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS ET ALIIS QUIBUSDAM.

I. Exponenda sunt principia generalia: 2. indicandae sunt in particulari causae excusantes.

PUNCTUM I.

De principiis generalibus.

2837. *Quaenam sunt hoc in puncto principia generalia?*

I. Opera possunt esse servilia, liberalia, communia et forensia.

Servilia dicuntur illa, quae olim ad servos (it. *schiavi*) spectabant, nunc autem ab agricolis, operariis et pauperibus ordinarie exercentur, et consistunt in laboribus materialibus, in quibus longe plus corpus quam mens occupatur.

Liberalia sunt quae olim a solis liberis et dominis exercebantur, et in quibus plus mens quam corpus occupatur, aut sola delectatio quaeritur. Ad hanc classem Auctores reducunt studere; docere; pingere (non tamen pingere parietes vel currus agricolarum, aut tingere pannos vel ligna): facere lineamenta (it. *il disegno*): choreas ducere: musicam componere; canere, sonare, organa pulsare; acu retrahere imagines vel similia (non tamen vestium ornamenta): operationes aritmeticas peragere vel ducere rationes (it. *i conti*): scribere: imo etiam transcribere, etsi nihil intelligatur (non enim accidentalis conditio scribentis, sed natura operis consideratur): denique (iuxta plures) collocare characteres praelo imprimendos (non tamen illos praelo imprimere). Cf. Ballerini (*Op. th. VI.* III. 31).

Communia sunt, quae tam a servis quam a liberis fiebant; v. g , iter facere (sive pedibus, sive equo, sive curru, sive navi, sive manu ducendo aliquod animal *non onustum*): emere et vendere (privatim), etc.

Forensia sunt quae ad publica iudicia spectant.

2838. II. Generatim permittuntur opera liberalia et communia; prohibentur autem opera servilia et forensia, nisi iustae causae excusent.

III. Dixi *generatim :* principium enim vere supremum ad determinandum quid liceat et quid non liceat, et an talis vel talis causa excuset vel non excuset, est consuetudo proborum et persuasio communis, ita ut de re illa iam nemo scandalizetur; vel e contra scandalum subsistat. Profecto quaedam opera vetantur, etsi sint liberalia (v. g. publice docere, it. *far scuola*): et circa quaedam opera servilia consuetudo potest esse diversa iuxta diversa loca et tempora; eademque causa, quae ad excusandum censetur sufficiens uno loco vel uno tempore, alio loco vel alio tempore talis esse non posset.

2839. IV. Dicunt plures, nihil influere si opus liberale pro mercede, aut opus servile ex mera charitate vel alia sancta intentione perficeretur; item nihil influere si corporis defatigatio in opere liberali subsistat, vel in opere servili non subsistat. Quamvis hoc etiam *generatim* verum sit (et profecto si quis tota die etiam ex fine lucri scriberet, minime delinqueret); tamen, iuxta communem persuasionem, cum mica salis intelligi debet. Sic, v. g., venari, piscari, flores artificiales facere etc. ex brevi recreatione quidem licitum esset, sed si modo mercenario (saltem si longo tempore et cum defatigatione fieret) illicitum foret; unde dicendum quod hae circumstantiae efficere possunt ut quaedam opera vel prohibeantur quamvis sint liberalia, vel ex liberalibus servilia evadant. Hinc Benedictus XIV. (*De Syn. XIII.* xviii. 10) dixit: « Inter opera servilia piscationem quoque recensendam esse, *quotiescumque ad lucrum* « *exerceatur* ». Certe opus non fit servile propter peccatum (v. g. legendo turpia).

2840. V. Circa causas excusantes vel culpam minuentes, notandum quod 1° quanto magis opus est materiale, laboriosum et diuturnum, eo maior causa ad excusandum exigitur. 2° Excusationis difficultas crescit si laboretur publice, coram aliis, vel cum strepitu: aut diebus solemnissimis. 3° Labor paullo facilius excusatur si horis nocturnis, vel etiam pomeridianis (absolutis iam divinis officiis), peragatur. Cf. Bened. XIV. (*l. c.*). 4° Ordinarie valet principium quod Ecclesia non obligat cum gravi incommodo (intellige *extrinseco,* nempe ultra damnum amissionis lucri consueti). 5° Aliquando tamen hoc principium non valet, ut patet ex vindemia, quae (apud nos) die festo peragi nequiret, quamvis forte uva, si tunc non colligatur, grave periculum (propter pluvias) subitura esset. 6° Suprema regula itaque erit semper consuetudo (ut dixi). 7° Aliquando denique non sufficit ut causa excusans subsistat, sed

exigitur ut a Parocho (prout olim in more erat quoad tritici messem) licentia petatur.

2841. VI. Opera servilia (seclusa causa excusante) vetantur sub gravi; ita tamen ut detur parvitas materiae. Peccatum mortale communiter reponitur in labore protracto ad duas horas cum dimidio (*Lig.* 316); sed interdum tempus brevius sufficere potest (quid enim si agricola die festo una hora, vel etiam unico horae quadrante, terram araret?). Interdum e contra tempus diuturnius exigitur: quod contingere potest speciatim si labor vel 1° sit leviusculus et de liberali participet (v. g. facere flores artificiales; *Gury n.* 356): vel 2° fiat ex causa aliqualiter (quamvis non ex toto) excusante: vel 3° sit interpolatus.

2842. VII. Sicut die festo non licet laborare, ita ne licet quidem inducere alios ad laborandum, seclusa necessitate. Dicunt tamen non peccare mortaliter haerum, qui, v. g., sex famulos induceret ad laborandum per horam, sive simultanee sive successive; hoc enim nihil aliud esset quam inducere sex personas ad peccandum venialiter. S. Lig. (*n.* 303). Excipe nisi ratione scandali hoc esset mortale.

PUNCTUM II.

Indicantur in particulari causae excusantes.

PRIMA CAUSA

Necessitas sive publica sive privata.

2843. *Quinam praecipue hac de causa plus vel minus excusari solent vel possunt?* Agricolae, olitores, venditores, barbitonsores, pistores, parantes necessaria ad victum quotidianum, pistores, pauperes, addicti operibus quae interrumpi non possunt, coacti ab aliis, denique interdum sartores et sutores.

2844. *Quid in particulari de* AGRICOLIS? Agricolae hodie apud nos,

Quoad triticum facere possunt quidquid exigitur ut tempestive metatur, in tuto collocetur, machinâ (*trebbiatrice*) trituretur, et iam trituratus ad aream deferatur (supposita necessitate) ut soli expositus exsiccetur. Praxis (*n.* 379-383).

Quoad foenum, nequeunt die festo illud excidere, sed possunt illud vertere, et (si pluvia ingruat) in parvos cumulos congre-

gare. Illud autem in magnam massam collocare (*fare il pagliaio*) nequeunt, nisi forte id operis die antecedenti fuisset incoeptum. Praxis (*n.* 384).

Quoad stramen, nihil permittitur, nisi forte propter foeni penuriam illud supplere deberet; aut ageretur solum de massa incoepta aliquo modo cumulanda, si pluvia ingrueret. (*l. c.* 385).

Herbam et folia pro animalibus colligere possunt etiam pro mane diei sequentis, sed non ultra.

Alios fructus terrae (*v. g. phaselos*) *colligere et cannabem recidere* nequeunt. Possunt solum res istas iam collectas custodire, ne pluvia ingruente detrimentum subeant, aut ne cannabis maceratio excessiva evadat.

Quoad uvam, zeam (gran turcò), *et fructus arborum,* apud nos die festo agricolae nihil facere possunt.

Quoad itineris susceptionem cum curru, sub vespere diei festi possunt sic iter suscipere, si quando ad loca longinqua se conferre, a quibus foenum emptum, aut quid simile, domum vehere debeant. (*l. c.* 389).

2845. *Quid de* OLITORIBUS? Possunt hortum irrigare et colligere fructus sequenti mane vendendos. Si tamen de magna et extraordinaria collectione, et speciatim si de educendis e terra parvulis plantis in magna quantitate ageretur; tunc dies sequens expectandus esset, nisi indeclinabilis necessitas urgeret.

2846. *Quid de* VENDITORIBUS?

Quoad venditores *in apothecis,* hodie apud nos non videntur scrupuli iniiciendi, si (quamvis vendant res non necessarias) se gerant iuxta loci consuetudinem, quae tamen forte talis est ut non tota die, sed solum quibusdam horis, apotheca aperta (vel tantummodo semiaperta) teneatur.

Quoad venditiones *in nundinis* et *mercatibus consuetis,* licebit certe merces vendendas deferre, et emptas domum vehere etc.

Denique *venditiones privatae* licitae sunt, quamvis in illis multum temporis impenderetur: non tamen liceret v. g. triticum emptum mensurare, transvehere etc. Si denique ageretur de contractu ope Notarii et publici instrumenti stipulando (etsi iudex non interveniret) inspicienda esset consuetudo.

2847. *Quid de* BARBITONSORIBUS? Propriam operam praestare possunt; sed videndum ne forte consuetudo hoc ad quasdam horas restringat vel exigat ut apotheca semiclausa teneatur.

2848. *Quid de* LABORIBUS DOMESTICIS, *et speciatim de* CONFECTIONE PANIS, FARINAE CRIBRATIONE et PANNORUM LOTIONE?

I. Necessaria ad victum et decentiam quotidianam fieri, atque

etiam obiecta poliri possunt; nec est obligatio anticipandi die sabbati. Idem dic de officina et machinis parvo labore poliendis.

II. Panem conficere non licet, nisi ex necessitate, quae contingere solet in quibusdam operariis pauperibus, qui solum die sabbati pecuniam ad emendam farinam, solumque die dominica (eo quod in crastinum summo mane abire debeant) panem (quo indigent) conficiendi commoditatem habent.

III. Farina generatim cribrari nequit die festo ad conficiendum panem die sequenti, farina enim pridie cribrari vel confectio pani differri poterit. Excipe semper casum necessitatis, et nota quod levis causa excusaret, ut parva farinae quantitas (quanta scilicet pro fermento exigitur) cribrari possit.

IV. Pannos die festo lavare non licet: illos autem iam elutos soli exponere in privatis cavaediis licet tempore hyemali; non item aestivo, nisi forte de licentia Parochi (quae licentia tempore aestivo publicis purgatricibus, quae in locis publicis magnam pannorum copiam exponunt, dari non deberet).

2849. *Quid de* PISTORIBUS? Panem nedum publico usui, sed etiam aliquibus pauperibus familiis necessarium (ut supra) coquere possunt.

2850. *Quid de* ADDICTIS AD OPERA QUAE INTERRUMPI NON POSSUNT? Huiusmodi sunt, v. g., addicti ad vias ferreas, coquentes lateres, laborantes in vitro, fundentes ferrum, molitores (S. Lig. *n.* 277), bombycibus folia ministrantes, etc. Folia tamen pro bombycibus solum in proportione necessitatis colligi poterunt.

2851. *Quid de* ITINERANTIBUS OB MERCEDEM? *Quid de* VECTORIBUS? *Quid de* MULIONIBUS? Iter facere vel currere (etsi ob mercedem): item curru vehere personas: haec certe licent. Difficultas est de mulionibus qui vecturas mercibus aliisve rebus onustas de loco ad locum transferunt. Hi iter iam incoeptum interrumpere ordinarie (propter incommoda quae ut plurimum contingerent) non tenentur. Plures dicunt posse etiam iter incipere, quia non ipsi sed iumenta laborant. Sed vera decisio a locali proborum consuetudine pendet. Praxis *n.* 407.

2852. *Quid de illis qui ad* LABORANDUM COGUNTUR AB ALIIS?

I. Si agatur de operibus quae cogentibus sint necessaria seu utcumque licita, tunc nulla difficultas.

II. Si inique ea opera exigantur; tunc solum damno vel incommodo proportionato excusari poterunt, vel si, recusando, maius malum provocaturi essent. Hinc facile excusantur famuli et agricolae qui a proprio domino (cavendo tamen a scandalo prout fieri poterit): item uxores quae a marito: item filii qui

a patre ad laborandum cogantur. Hac de causa hodie non raro excusantur etiam operarii, qui, a dominis officinae, vel ab architectis, vel ab adventoribus divitibus quibus inserviunt, laborare coguntur.

2853. *Quid de* PAUPERIBUS? Hi aliqualiter laborare possunt, si secus se suosque filios alere nequirent: cavendo tamen a scandalo. Casus iste accidere solet in mulieribus pauperculis, quae, tota hebdomada mercede conductae, solum diebus festis filiorum vestes resarcire possunt. S. Lig. (*n.* 297).

2854. *Quid speciatim de* SARTORIBUS, SARCITRICIBUS et SUTORIBUS? Isti solent laborare diebus festis, et quidem interdum toto mane usque ad meridiem. Dicunt se ad id esse coactos, quia adventores pro die festo (maxime vero si aliqua magna occurrat solemnitas) vestes aut calceos exigunt. Haec autem opera (aiunt) ex una parte acceptari debent, secus enim adventores (necessarii aut valde utiles) amitterentur, et ex alia ut plurimum ante festum totaliter expediri nequeunt. Quatenus res ita reapse se haberent, isti artifices deberent quidem cavere a scandalo meliori modo possibili, sed laborare possent; de vera enim necessitate ageretur. Saepe tamen (maxime si de consuetudine ageretur) necessitas huiusmodi est conficta, tum quia in eam sponte se coniiciunt (non laborando prima hebdomadae die, et non adhibendo infra hebdomadam debitam sollicitudinem); tum quia laborant etiam pro iis adventoribus, qui (maxime rogati) ex operis dilatione minime reapse alienarentur. Interdum etiam sarcitrices possent aliquam aliam sociam (sive stabilem sive precariam pro modo necessitatis) ad secum laborandum vocare, vel aliquid operis aliis tradere, vel denique non nimio labore se onerare, et quae infra hebdomadam expediri nequeunt, non acceptare. Cf. S. Lig. (*n.* 303) et Gury (*n.* 361. 10).

Hinc sedulo notent confessarii quod, maxime quoad personas conscientiae parum meticulosae, earum agendi rationem non de facili approbare debent; prout faciunt multi qui, re minime perpensa, illico dicunt: *eia age, si habes necessitatem laborare potes.* Agitur de re ex una parte nimis momentosa, et ex alia hallucinationibus nimis subiecta; unusquisque enim facillime sibi persuadet se laborare ex necessitate, etiam quando vera, gravis et indeclinabilis necessitas minime adest. Id patet exemplo sarcitricum piarum, quae adventores non amittunt, quamvis nunquam, aut certe multo minus et rarius, diebus festis laborent. Supposita itaque spe fructus, confessarius poenitentes bene examinet, et, gravi defectu detecto, gravissimis verbis eos admoneat, qui vanis rationibus se hac in re mortaliter peccare minime existimant. Dixi *supposita spe fructus;* prudentia enim, ne admonitio de peccato mortali magis malum quam bonum productura sit, sicut in aliis rebus, ita etiam in ista (speciatim si agatur de viris qui vix semel in anno ad confessionem accedunt) necessaria est.

Quoad illas autem sarcitrices, quae dicunt: *Pater, feci quidquid potui ut opus ante festum perficerem; laboravi praeter consuetum usque ad mediam noctem, sed finire non potui, unde laborem diei festi adiungere coacta sum:* quoad illas, inquam, quae sic dicunt, indulgentia habenda est; ex hoc ipso enim sacrificio vigilandi praeter consuetum usque ad mediam noctem, praesumi debet quod de casu verae necessitatis agatur.

Puellae, quae sarcitricis artem addiscere volunt, quantum possunt eligere debent magistram diebus festis reverentiam habentem, tum ut ipsae divinum mandatum observent, tum ut periculum sequendi malum magistrae exemplum evitent. Magistra autem bonae conscientiae, si harum puellarum ope interdnm vere indigeat, saltem identidem eas admonere debet quod talis labor ex vera necessitate peragitur; et quod, si necessitas non excusaret, illicitus esset.

SECUNDA CAUSA

Occasio lucri extraordinarii.

2855. Non lucrum ordinarium, non scilicet stipendium consuetum; sed lucrum notabile quod fortuito se offerat pro casu extraordinario, legitimam constituere potest causam, ut quis die festo laborare possit; attamen remoto scandalo. Exemplum datur in aquarum confluvio, quo adveniente piscari ligna in flumine licitum erit. Idem dic de piscatoribus, si occasio magnae piscium capturae occurrat. Sententiam istam ut probabilem, imo ut forte probabiliorem S. Ligorius (*n.* 301) admittit. Excipe tamen semper, nisi in loco id operis tamquam illicitum tunc quoque haberetur.

TERTIA CAUSA

Charitas.

2856. Intellige pro casu fortuito et absente scandalo, v. g., si quis vestem consuat, ut illam pauperi graviter ea indigenti in eleemosynam tradat. Dixi *pro casu fortuito;* non enim liceret (ut bene notant Gury et Scavini) omnibus et singulis diebus festis laborare pro vestibus pauperum, et multo minus alia opera servilia peragere, ut lucrum exinde perceptum in pauperum levamen impendatur.

QUARTA CAUSA

Pietas.

2857. Licet aliquid operis pro ecclesia paupere gratis facere; item conficere rosaria, scapularia etc., ut gratis distribuantur. Sed hoc solum pro aliqua hora, aut pro casu fortuito (et sem-

per secluso scandalo) intelligi debet. Etsi enim agatur de obiectis devotionis, observandum quod praeceptum abstinendi ab operibus servilibus altioris gradus et maioris momenti est. Cf. S. Lig. (293) et Scavini (*II.* 243).

2858. Aliqui notant quod etiam *propria necessitas spiritualis* excusare potest, ut puta, si quis secus esset in periculo indulgendi otio et vitiis. Si excusat, inquiunt, necessitas corporalis, a fortiori spiritualis excusabit. Sed practice doctrina ista raro potest habere locum; alia enim suppetunt media bene impendendi tempus et tentationes vincendi. Dixi *raro*, quia interdum tales occurrere possunt circumstantiae (maxime si persona semper sola domi remaneat) ut occupatio in aliquo labore leviusculo ad modum recreationis iure hac etiam de causa permitti possit, curando tamen ut scandalum vitetur.

QUINTA CAUSA

Dispensatio.

2858. Aliud est declarare quod in tali circumstantia quis potest absque ulla licentia ad opera servilia incumbere, et aliud est dispensare seu licentiam concedere. Primum est in potestate confessariorum; secundum autem est dumtaxat in potestate Superiorum, inter quos ex consuetudine (pro quibusdam casibus particularibus) veniunt quoque Parochi. Vide Scavini (*II.* 26), qui iure notat quod petitio licentiae a proprio parocho non raro ab Ecclesia exigitur etiam pro casibus, in quibus lex per se cessat; idque ad evitanda pericula hallucinationis et ne christifideles in nimiam libertatem proruant. Id animadvertant confessarii.

2860. Etiam ad dispensationem concedendam iusta causa exigitur; sed causae, quae non essent plene sufficientes ad certe excusandum, saepe ad legitime dispensandum sufficere possunt.

2861. Dispensatio dari debet solum pro casibus in quibus dari solet. Interdum tamen aliqua exceptio fieri poterit, ne, licentiam denegando, de malo maiori (omnibus perpensis) timendum sit.

2862. Sed quid si casus urgeat, et petendi dispensationem tempus vel commodum non adsit? Tunc sufficit dispensatio rationabiliter praesumpta. Ita Gury (*Cas. consc. I.* 228) et Scavini (*l. c.*).

ARTICULUS II.

DE AUDITIONE MISSAE.

2863. Q. I. Quomodo audienda sit Missa? R. 1° Integre, 2° attente, 3° modo humano, 4° ex intentione.

2864. *Quomodo audietur* integre? Per se loquendo, audiri debet a principio usque ad finem, sed sequentes observationes fieri debent:

A) Qui perveniunt Missâ iam incoeptâ sed ante offertorium, non tenentur aliam audire, quia 1° quod magis est momentosum in Missa (et sive certe sive probabiliter ad substantiam Sacrificii pertinet) ab offertorio incipit; 2° Olim Missa fidelium ab offertorio incipiebat: 3° Omissio partis non auditae (quae olim Missam Catechumenorum constituebat) gravis, iuxta plures, non censetur. Si tamen ex voluntaria negligentia id evenisset, utique culpa (etsi venialis) adfuisset. Intellige haec omnia dummodo reliquum Missae totum usque ad finem audiatur. Cf. S. Lig. (*III.* 310) et Baller. (*l. c.* 103).

B) Qui perveniunt post offertorium, si inadvertenter id accidat, non equidem peccant; sed, si possint, aliam Missam audire tenentur; si vero non possint, tunc saltem illi Missae parti assistere debent (*S. Lig. l. c.*), dummodo non pervenerint, Missâ quasi finitâ, tunc enim ad nihil tenerentur. Si autem non inadvertenter sed voluntarie adeo cunctentur ut solum post offertorium Ecclesiam ingrediantur, tunc peccant mortaliter, nisi aliam Missam audiendi intentionem habeant.

C) Adverte tamen quod communiter Christifideles apud nos in ea sunt conscientia ut pro validitate Missae non ad offertorium sed ad evangelium attendant; et quidem ita ut censeant in principio evangelii ipsius (pro validitate) praesentes esse debere.

D) Non sufficit audire duas dimidias Missas, quae a diversis Sacerdotibus celebrentur simultanee; unde Innoc. XI damnavit sequentem propositionem: « Satisfacit praecepto Eccle« siae de audiendo Sacro, qui eius duas partes, imo quatuor, « simul a diversis celebrantibus audit »; Ecclesia enim nedum Sacrificium, sed etiam durationem temporis in actu religioso impendendi, considerat. Si autem non simultanee sed successive huiusmodi partes (subsistente unione morali) audirentur; tunc S. Lig. (*l. c.* 311) auditionis validitatem admittit si in una eademque Missa consecratio et communio adsint; neque desunt

Theologi graves qui adhuc benignius loquuntur et talem circumstantiam minime exigunt (Cf. D'Annibale *III.* 470). Pro licito tamen causa rationabilis (v. g., difficultas aliam Missam expectandi) semper exigeretur. Lehmkuhl (*I.* 560).

2865. *Quid si quis in decursu Missae discedat ad breve tempus et redeat?* Casus iste multipliciter contingere potest, et decisio pendet 1° a duratione absentiae; 2° a dignitate partis quae non auditur; 3° a distantia loci ad quem recedens se confert; 4° ab ipsa qualitate motivi abeundi. Hinc Theologi dicunt, esse grave si omittantur omnia ante evangelium et simul omnia post communionem (*S. Lig. l. c.* 310); aut (propter partis dignitatem) si quis actu consecrationis atque insuper actu communionis discederet. An autem auditio Missae substantialiter vitietur, si quis solo momento consecrationis discederet et statim rediret, caeteris omnibus auditis: id negant auctores non pauci, quibus accedit Lehmkuhl (*l. c.*), si (prout practice contingeret) ex instantanea et brevissima necessitate ad locum vicinum quis se conferre cogeretur. Facilius excusatur Missae inserviens, si, ad providendum aliquid pro Missa ipsa, ad Sacristiam aliumve locum vicinum se conferret (*S. Lig.* 309). Dicunt autem non esse grave abire solo momento offertorii (*S. Lig. l. c.* 310); vel dum musici canunt *Kyrie, Gloria*, *Credo* (Croix *III. I.* 671), vel dum Sacerdos nimis diu haereat in *Memento* (Salmant. *V. VI.* 6). Abesse autem toto tempore quo in dominica *Palmarum* legitur *Passio*, grave videtur; *Passio* enim Missae illius diei efformat partem audiendam atque magnam (Scavini *I.* 253).

2866. *Quomodo Missa audietur* ATTENTE? Quamvis quaelibet distractio voluntaria aliquam culpam includat, tamen difficile est quod attentionis defectus sit talis ac tantus, ut Missa fuerit tamquam non audita et alia audiri debeat; non enim expedit quod facile, propter solius attentionis defectum, aliam Missam audiendi fidelibus obligatio imponatur; et magna profecto differentia fieri debet inter absentem et inter praesentem distractum (*Lugo de Euch. XXII.* 5). Hinc, ut Missa fuerit tamquam non audita, oportet ut distractio fuerit *valde protracta*, *intensa* et *quae non facile accidere possit inadvertenter*. Si quis itaque toto aut fere toto tempore Missae (et speciatim ab offertorio usque ad communionem) loqueretur cum socio circa negotium, quod funditus mentem occuparet, certe Missam non audiret. Secus si identidem dumtaxat aliquod verbum proferret, aut si mente aut oculis in aliquod obiectum abriperetur; in primo e-

nim casu attentio ad Missam non destruitur, et in secundo (quamvis forte attentio destruatur) de re nimis facili agitur; unde, nisi reflexe consideretur tali modo ad Missam attendi non posse, praecepto satisfieri videtur. Cf. *Lugo* (*l. c.* 13, 41) et *Scavini* (*I.* 254), qui docet quod Musici, pulsantes organa, attollentes folles organorum; atque etiam qui, per ecclesiam circumvagando, eleemosynas colligunt, Missam audiunt.

2867. *Sed quid si quis tempore Missae confessionem sacramentalem perageret?* Etsi plures Theologi censeant quod Missam non audiret, quia ad illam non attenderet, sed aliud faceret; neque cum Sacerdote Sacrificium offerente neque cum aliis Missam audientibus (proper actionem illam externam ab auditione Missae alienam) uniri censeretur; nihilominus, si aliam Missam audire nequiret et confessionem (qua valde indigeret) ad aliud tempus facile differre non posset (prout contingere solet in famulabus et uxoribus se cito expediendi necessitatem habentibus); tunc praesumendum est Ecclesiam consentire, maxime si momento consecrationis attentio praestaretur. Sed, praescindendo etiam ab hac stricta necessitate, Ballerini (*Op. th. VI.* III. 91) docet quod, supposita intentione, Missae sufficienter assisteret qui tunc confessionem faceret; idque mihi quoque probabile videtur.

2868. *Quid de Missa audienda* MODO HUMANO*?* Ebrius, vel dormiens, vel non advertens quod Missa dicatur, non satisfaceret. Secus esset, si quis vexatus a somno dormitaret quidem, sed ita leviter, aut per intervalla tam brevia, ut in substantia Missam quoque audiret. *D'Annibale* (*III.* 469).

2869. *Quid de* INTENTIONE*?* Intentio certe exigitur; qui enim ingressus Ecclesiam ob alios fines, Missam quidem audiret, sed sine ulla intentione se uniendi cum Sacerdote ad Sacrificium offerendum (seu nulla efformata intentione audiendi Missam), praecepto non satisfaceret. Intentio tamen audiendi Missam non debet confundi cum intentione positiva satisfaciendi praecepto, quae non exigitur; unde si quis falso credens esse diem ferialem, Missam ex devotione audivisset, praecepto iam satisfecisset, Excipe nisi illam applicasset ad finem diversum, qui cum satisfactione praecepti incompossibilis esset. Sed de hoc in quaestione sequenti. *S. Lig.* (*I.* 163. 164).

2870. *Quid si die festo duas Missas audire deberes, unam ad satisfaciendum praecepto, aliam ex voto vel poenitentia sacramentali; et, primae Missae auditionem, non pro praecepto, sed pro voto vel poenitentia applicasses?* Tunc voto vel

poenitentiae satisfecisses; et aliam Missam ad satisfaciendum praecepto audire deberes. Idem dic si primam Missam applicasses ad lucrandam indulgentiam, quae audiendo Missam de praecepto lucrari non posset.

2871. *Quid si prava aliqua intentio adiungeretur intentioni audiendi Missam?* Haec praecepti adimplementum non impediret, si aliunde sufficientem attentionem non excluderet. Exemplum habes in eo qui pergeret ad Ecclesiam ut quidem Missam audiret, sed etiam ut foeminam videret. Ballerini (*I.* 317. *not. c.*).

2872. Q. II. Ubinam Missa audiri debet?

Secluso privilegio, audienda est in templo, vel oratorio publico, in quo scilicet detur aditus omnibus. Multi dicunt sufficere si oratorium spectet ad aliquam communitatem, prout sunt oratoria interna quae legitime erecta sunt in seminariis, monasteriis, conservatoriis, carceribus et hospitalibus. At vero de doctrina ista (quoad communitati extraneos) ego valde dubito. Certe oratoria ista non sunt publica, ut patet ex responso S. C. Indulgentiarum (*die* 22 *Aug.* 1842); et Card. Petra apud Ferraris (*v. Oratorium n.* 77) scripsit: « Illud autem, an saecu- « lares ibi Missam audientes satisfaciant praecepto, certum est « regulariter non satisfacere ». Excipe tamen semper nisi adesset privilegium aut consuetudo.

2873. In privatis oratoriis (quae in domibus nobilium esse solent), si habeatur indultum apostolicum, Missae praecepto satisfacere licet; attamen 1. diebus solemnioribus exceptis; 2. domino dumtaxat eiusque familiae; eaque praesente, hospitibus et aliquibus famulis, quorum praesentia in oratorio tempore Missae conveniens sit. *D' Annibale* (*III.* 8) *et Ballerini I.* 348). Idem dic de ipso Sacerdote celebrante et de illo qui Missae inservit; hi enim domino deserviunt. Dominus autem potest quidem hoc privilegio uti, sed probabiliter non obligatur; unde, si forte Ecclesiam adire nequiret, Missam audire in oratorio non teneretur. Hoc autem tamquam certum (meo sensu) haberi debet, si ad Missam habendam stipendium Sacerdoti dari deberet; ut enim optime scripsit Tamburini (*IV. II.* § 2 *n.* 4), « Hoc praeceptum obligat ad audiendam Missam, non vero « ad illam peculiari stipendio procurandam ». *Cf. Ballerini* (*l. c.*).

2874. *Missa potestne audiri in quacumque Ecclesiae parte?* Affirmative quamvis Sacerdos celebrans, propter Ecclesiae ipsius vastitatem, valde longe esset; non enim exigitur ut Missa praecise audiatur, sed sufficit ut sciatur eam tunc celebrari.

2875. *Necessitas audiendi Missam in Ecclesia debetne ita stricte intelligi, ut distantia exigua ab Ecclesia ipsa obstet?* Negative; satis enim est ut locus cum Ecclesia immediate communicet; ita ut qui Missam audit tamquam unus ex assistentibus non absone existimari possit. Vide in re simili decretum S. C. Indulg. apud Scavini (*IV.* 440 *e*).

2876. *Si festum sit locale, satisfacitne qui extra territorium Missam audit, ita ut domum rediens Sacro iterum interesse non teneatur?* R. Videri posset quod non satisfaciat, quandoquidem Missa audiri debet in loco ubi praecipitur; extra enim praeceptum non adest; et proinde qui Missam extra territorium audit nulli praecepto satisfacere potest. Praeterea si incolae Missam alibi audirent, localis solemnitas in loci templis non distingueretur. Attamen praxis in contrarium semper fuit; unde scripsit Lugo (*De Euch. VVI.* 39. 40) quod praeceptum audiendi Missam in hoc casu includit conditionem implicitam *dummodo non fuerit iam audita.* Ita sentit etiam Antoine (*De Leg. IV.* VI).

2877. Q. III. Quinam teneantur audire Missam?

R. Tenentur omnes Christifideles (nisi vel sint excommunicati vel legitime excusentur) postquam septennium compleverint. Plures dicunt attendendum esse non iam an puer septennium compleverit, bene vero utrum rationis usum sat perfecte acquisierit, quod etiam ante septennium contingere potest. Sed haec regula nimiis perplexitatibus et scrupulis aditum aperiret; et aliunde, quum iamdudum in proverbium evaserit quod pueri ad leges Ecclesiae observandas obligari incipiunt solum quando septem annos compleverint, iuxta hunc antiquissimum et communissimum fidelium sensum, lex interpretari debet. Adde, casum pueri, qui usum rationis perfecte acquisierit ante septennium, esse rarum; leges autem positivae pro casibus raris non fiunt. Hanc sententiam S. Lig. (*III.* 270) vocat probabilem. Caeterum vide D'Annibale (*I.* 191. *not.* 32), et Salmant. (*XXIII.* n. 130).

2878. *Quinam tenentur audire Missam si festum sit locale?*

I. Non tenentur vagi et peregrini (cuiusmodi sunt etiam divites rusticantes), quia legibus locorum particularibus non subiiciuntur. Intellige secluso scandalo.

II. Tenentur incolae et advenae, qui scilicet in eo loco domicilium aut quasi domicilium habent.

2879. *Quid, si quis a patria sua discessurus esset eo ipso die quo festum locale celebratur? Tenereturne ante discessum Missam audire?* Negative, si ante finem obligationis, scilicet

ante meridiem, discessurus sit. Discessus enim causam ab obligatione locali eximentem constituit; unde, quum ille sciat se eo die fore exemptum, iam nequit obligari ad Missam prius audiendam; perinde enim esset ac si quis haberet debitum solvendum intra annum, atque sciret se ante finem anni plenam remissionem obtenturum. Idque (iuxta aliquos) verum est, quamvis tempore ultimae Missae (quae v. g. hora decima celebretur) adhuc esset in patria. Illam quidem (aiunt) audire teneretur si remansurus foret in patria, quia secus se coniiceret in necessitatem non audiendi Missam dum adhuc obligatio subsisteret; non vero si discessurus sit, quia tunc obligatio cessaret. Paucis: sicut non teneretur Missam audire hora decima qui solvetur ab obligatione audiendo aliam hora undecima, sic non tenetur dictam ultimam Missam audire qui per discessum a patria ab obligatione ipsa solutus erit. Ball. (*Op. th. Vol. I. Tr. III. n.* 189).

2880. *An peregrinus debeat audire Missam* 1° *si in loco festum generale sit suppressum, aut* 2° *si in loco vigeat festum generale in patria sua suppressum, aut* 3° *si in patria festum locale celebretur?* Ad I.um Negative, quia peregrini gaudent privilegiis locorum. Ad II.um Affirmative, quia peregrini extra patriam privilegiis patriae non guadent. Ad III.um Negative, quia peregrini extra patriam legibus patriae non ligantur.

2881. *An vagus debeat audire Missam si in loco festum generale sit suppressum?* Negative, quia vagi, quamvis legibus generalibus subiiciantur, tamen locorum quoque privilegiis gaudere possunt. S. Lig. (*I.* 159).

2882. Q. IV. Quaenam causae ab auditione Missae excusent?

R. Excusat quodlibet impedimentum notabile seu motivum rationabile; nempe quaevis causa mediocriter gravis quae notabile aliquod damnum aut incommodum afferat. Ratio est quia Ecclesia est discreta et pia mater, quae filios suos nimis onerare non vult. S. Lig. (*III.* 324). Differentia tamen fieri debet inter omissionem Missae pro una vel altera vice, et omissionem perpetuam aut diuturnam, pro qua causa maior exigitur. Insuper, si impedimentum removeri aut cum auditione Missae conciliari sat facile posset (cf. *n.* 2888), id fieri deberet. Hae regulae valent etiam circa illos qui subditos habent, quatenus iisdem libertatem Missam audiendi denegare possunt aut relinquere debent, secundum quod motivum rationabile et grave habeant aut non habeant. In omnibus autem casibus a consuetudine et praxi timoratorum regula tutissima sumi poterit. Veniendo autem ad particularia, excusationes intervenire possunt propter damnum

1.° in bono vitae; 2.° in bonis fortunae; 3.° propter nonnulla alia incommoda personalia; 4.° propter damna et incommoda aliorum; 5.° propter bonum spirituale proximi.

2883. *Quid de damno in bono vitae?* Ex hoc capite excusantur 1.° Aegroti, puerperae, valetudinarii et convalescentes, etiam (consulto tamen medico aut persona prudenti, si possint) in dubio. 2.° Qui ad Ecclesiam adeundam (v. g., propter distantiam, intemperiem, viae asperitatem, virium debilitatem, senectutem, statum, conditionem etc.) nimiae et non consuetae defatigationi subiicerentur. Nec vectura uti tenentur, nisi consuetudo aliter exigat, prout apud nos contingit quoad nobiles ruri degentes; qui insuper (attento etiam scandalo) non facile excusari debent, eo quod magnam noctis partem ludendo insumpserint, et mane hora Missae dormientes illam relinquant. 3.° Sunt qui dicunt se Ecclesiae aerem ferre non posse. Hoc motivum non semper est insulsum. Non solum quibusdam foeminis gravidis, sed etiam aliis, Ecclesiarum aerem physice graviterque nocere (interdum usque ad deliquium) compertissimum est; et medici catholici dicunt, huic rationi, consideratis circumstantiis, suum pondus dari debere. Cf. Capellmann (*Medicina pastoralis. De frequentatione templi*). 4.° Excusantur ii, qui a satellitibus inquiruntur (vulgo *banditi*); item milites, si illis audiendi Missam tempus non relinquatur; et in genere quotquot propter Missae auditionem gravibus periculis aut poenis obviam ituri essent. 5.° Excusarem denique illos qui machinam triturantem ducunt (*i macchinisti delle trebbiatrici*), quamvis tempore Missae a labore supersedeant, casu quo praecedenti nocte non dormierint, et sic somno aliquantulum indulgendi extraordinariam necessitatem habeant.

2884. *Quid de damnis in bonis fortunae?* Ex hoc capite excusantur quotquot in operibus vel officiis sibi licitis ita occupantur, ut sat commode neque antea aut postea Missam audire, neque opus suspendere, aut ad aliam horam differre, neque alios (saltem alternatim) sibi substituere possint. Hoc (speciatim ubi Missarum penuria adsit; maxime vero si Missa vel unica celebretur, vel multum distet, vel difficile inveniatur) contingere potest quoad laborantes in fusoriis, machinam viae ferreae (intellige semper eo die) ducentes, nautas, molitores, viatores, muliones et aurigas (qui neque differre neque interrumpere queant iter absque gravi iactura), gregem vel domum ex necessitate custodientes, etc. Idem dic de famulis, quibus herus vel apothecae dominus libertatem non relinquat ut Missam audire possint.

2885. *Circa famulos istos estne aliquid specialiter notandum?* Hi, si, aliquantulum citius surgendo vel opus solerter finire curando, Missam audire queant, ad id tenentur. Si hoc fieri nequiret, tunc alium dominum inquirere deberent; exceptis sequentibus casibus, nempe 1° Si id raro accideret; 2.° Si alibi idem inconveniens aut forsan peiora mala inventuri essent (cf. De Occasionariis *n.* 269); 3.° Si nimis grave aut damnosum eis foret illud servitium deserere; 4.° Si dominus propter veram necessitatem eorum opera ita indigeret ut eos ad Sacrum mittere nequiret. Notandum etiam quod, si forte unica Missa celebraretur, et aliquis semper domi remanere deberet, curandum esset ut modo unus, modo alius alternatim domi remaneret; ita tamen ut dominus se ipsum Missa privare (nisi forte paucis vicibus) non teneatur, ut ad illam famulos mittat.

2886. *Quid de tabernariis (it. bottegai), cauponibus, pharmacopolis, barbitonsoribus, sutoribus, sartoribus, et sarcitricibus?* R. Supposito etiam quod licite labori aut venditioni incumbant iuxta dicta (*n.* 2846, 2854), difficile est quod momentum et possibilitatem Missae audiendae absque gravi damno, si velint, non inveniant; unde in praxi excusari nequeunt, nisi forte in aliquibus circumstantiis extraordinariis, quae caeteroquin certe admitti debent, dicente S. Lig. *III.* 332): « Valde probabiliter « excusatur, qui ob Missam audiendam omittere deberet nego- « tium cum damno gravi ».

2887. *Quid de amissione lucri?* R. Amissio lucri non utique exigui, sed (attenta conditione personae) notabilis et extraordinarii (ut puta si hora Missae pauperi occurreret occasio lucrandi quatuor vel quinque francos) damno gravi aequiparatur, et proinde excusat.

2888. *Quid de aliis incommodis personalibus?* Sufficientem excusationem constituunt 1.° Magna verecundia, v. g., apud nos, si quis calceos non haberet, si persona nobilis veste aut famulatu convenienti careret, si puella nimis verecundaretur eo quod in Missa proprii matrimonii publicationes fierent (intellige semper nisi haec incommoda, v. g., alibi Missam audiendo, declinari facile possent); 2.° Publica reprobatio, ut puta, si quis tempore luctus contra morem foris prodiret, maxime si ageretur de vidua, aut si cadaver adhuc domi adesset. 3.° Necessitas spiritualis, ut puta, si quis hora Missae deberet pergere alibi ad confessionem sacramentalem peragendam, qua valde indigeret, neque ad aliud tempus illam differre posset.

2889. *Quid de damnis et incommodis aliorum?* Ex hoc ca-

pite excusantur praecipue 1.° Matres et nutrices, quae aliis infantulos custodiendos relinquere nequirent; 2.° Assistentes infirmis, non solum si eorum assistentia personalis vere necessaria esset, sed etiam si infirmus ex ipsorum discessu nimis et periculose perturbaretur,

2890. *Quid de necessitate proveniente a bono spirituali proximi?* Propter illud excusarentur 1.° Puellae quae ex fornicatione uterum gestarent; tunc enim, praeter infamiam nimiumque ruborem, scandalum quoque interveniret. 2.° Matres quae necessitatem haberent remanendi domi ad custodiendas filias degentes in periculo. 3.° Uxores, quae, propter auditionem Missae, marito occasionem praebiturae essent zelotypiae, magnae et ineluctabilis discordiae, aut blasphemiarum. Propter solas blasphemias tamen omittere quidem possent Missam pro aliqua vice, sed non perpetuo; et idem fere dic de timore discordiae: si enim marito impio mulier in hoc cedat, forsan cedere etiam debebit quoad confessionem, orationes, religiosam filiorum educationem etc.; unde difficile discordia talis ac tanta atque adeo ineluctabilis esse poterit ut vere excuset. 4.° Foeminae, quae advertissent se in Ecclesia ab aliquo turpiter concupisci, maxime si molestiis gravibusve tentationibus exponerentur; nec aliam Ecclesiam adire possent. 5.° Si hora Missae occasio opportunissima se offerret aliquod magnum malum (v. g. rixam) impediendi, vel bonum (v. g. pacem inter duos inimicos) procurandi etc.

Hucusque dicta sunt fere totaliter iuxta doctrinam S. Lig. (*III.* 324-332).

CAPUT VIII.

DE QUARTO DECALOGI PRAECEPTO.

« *Honora patrem tuum et matrem tuam* ». Agendum est itaque de obligationibus filiorum erga parentes.

2891. *Ad quid tenentur filii erga parentes?* Debent illis 1.° obedientiam, 2.° reverentiam, 3.° amorem.

ARTICULUS I.

DE OBEDIENTIA PARENTIBUS DEBITA.

2892. *Quid de obedientia filiorum erga parentes?*

I.° Filii parentibus (qui loco Dei sunt familiae rectores) obedire debent, exceptis duobus casibus, nempe 1° si illicita pete-

rent; 2° si, excedendo limites propriae potestatis, irrationabiliter aliquid exigerent.

II.° Inobedientiae filiorum ordinarie sunt culpae veniales; ut plurimum enim vel agitur de rebus exigui momenti, vel parentes leviter iubent, vel filii non satis rei aut mandati gravitatem considerant.

III.° Interdum tamen inobedientiae a culpa mortali excusari nequeunt; quod contingit 1° si ex una parte agatur de re gravi simulque de mandato gravibus verbis expresso, et ex alia filius advertenter et obstinate obedire reluctet. Ageretur autem de re gravi, si filius, v. g., nocturno tempore a domo abesset, iniquos socios vel cauponas frequentaret, aleis aliisve vitiis ruinosis indulgeret, officia religiosa omnino aut fere omnino negligeret, labori aut studio minime attenderet, sicque tempus absumeret et expensas pro ipso factas inutiles redderet. Ageretur etiam de re gravi, si filia, v. g., cum procis conversaretur, aut sola amasios alloqueretur etc. Peccatum mortale adesse posset 2° si res praeceptae essent quidem leves, sed inobedientia filii adeo continua foret, ut parentes nihil ab ipso obtinere possent; multo magis si ipse apertis verbis ab eorum mandatis se subtraheret, dicendo: v. g., *nolo ut mihi aliquid praecipiatur.*

ARTICULUS II.

DE REVERENTIA PARENTIBUS DEBITA.

2893. *Quid de reverentia filiorum erga parentes?*

I.° Filii parentibus (ratione eorum praeeminentiae, et gratitudinis eis debitae) specialem praestare debent reverentiam, quamvis, v. g., prae senio stupidi essent, aut dementes evasissent, aut errores etiam magnos commisissent etc.

II.° Defectus reverentiae saepe est venialis, ut puta, quando filii cum aliqua arrogantia respondent, vel actus faciunt qui aliquem levem contemptum significant. Interdum e contra irreverentiae sunt graves; et notandum quod illae irreverentiae, quae, si contra alios committerentur veniales essent, graves esse possunt si contra patrem vel matrem committantur.

III.° Irreverentiae aliquando in verbis et aliquando in factis consistunt.

Irreverentiae *in verbis* de facili graves sunt in sequentibus casibus, nempe si filii parentibus gravia opprobrent; si in ipsorum praesentia gravia mala (quamvis non ex corde) ipsis imprecen-

tur; si contra ipsos graves contumelias proferant, prout contingere posset si filia matrem appellaret, *bestia, strega, ladra, schifosa* etc. Forte non gravis esset contumelia si illam appellaret *vecchia stordita, ignorante* etc. Sed, ad decidendum in praxi an aliqua contumelia sit mortalis vel venialis, familiae conditio et educatio considerari debet; quaedam enim verba quae enormem irreverentiam praeseferrent, si de personis nobilibus et bene educatis ageretur, levem irreverentiam important si de rusticis et plebeiis agatur.

Irreverentiae *in factis* essent graves, v. g., si filius parentes percuteret, aut etiam dumtaxat contra ipsos brachium elevaret, nisi forte haec elevatio ad declinandas verberationes fieret. Nihil dico de filio qui ad patris sui uxorem (novercam) carnaliter accedere auderet.

IV.° Irreverentiae commissae (si fuerint graves) sunt reparandae. Si fuerint enormes, v. g., si filius parentes percusserit, tunc (intellige si agatur de re recenti et non adhuc condonata) filius debet procul dubio se humiliare et veniam petere. Si autem irreverentiae non fuerint enormes, tunc parentes non solent exigere aut expectare a filio huiusmodi humiliationem; unde ille in hoc casu malum commissum satis reparabit si se emendatum ostendat. S. Lig. (*Prax.* 34).

ARTICULUS III.

DE AMORE QUO FILII PARENTES PROSEQUI DEBENT.

2894. *Quid de amore filiorum erga parentes?*

I.° Filii speciali amore prosequi debent parentes propriae existentiae auctores, quamvis multos defectus haberent, et quamvis ab iisdem valde male habiti fuissent.

II.° Culpa mortalis contingere potest in sequentibus casibus:

1° Si filius parentibus mortem reflexe et ex corde exoptet, v. g., ut molestiae ab eorum infirmitatibus vel correctionibus vel mussitationibus provenientes tandem finem habeant.

2° Si eorum defectus cum gravi infamia propalet.

3° Si usque ad graves excandescentias, vel usque ad lacrymas (ad quas non sint faciles), vel quovis alio modo graviter eos conturbet et affligat; prout contingere posset, v. g., si filia (speciatim nobilis conditionis) sinat ut ex turpi commercio in paterna domo gravida efficiatur; aut si filius paternum patrimonium profundat et in vitiis dissipet; vel absque causa ratio-

nabili invitis parentibus paternam domum deserat; vel diu torvis oculis parentes aspiciat, verbum non proferat et ad instar inimici cum illis se gerat; vel demum si omnino impedire vellet ne pater testamentum conderet, aut (si forte viduus remansisset) novum matrimonium contraheret, aut (sine iusta causa) rei familiaris administrationem ei subtraheret.

4° Si filius parentibus pauperibus vel infirmis opem (dum posset) non ferat. Porro amor factis quoque in necessitatibus ostendi debet. (Si filii essent plures et facultatibus non aequaliter pollerent, tunc pro rata facultatum concurrere deberent. Cf. D'Annib. *II.* 629).

5° Denique filius contra parentum amorem graviter peccaret si eis morti proximis religionis subsidia non procuraret, et multo magis si quominus sacerdos accederet omnino impediret. Idem dic si postquam ex hac vita migraverint, suffragia statui convenientia in funere eis non procuraret.

2895. *Filius potestne invitis parentibus religionem ingredi?*

Si parentes in gravi necessitate versarentur, neminemque haberent, praeter filium, a quo opem expectare possent; tunc filius religionem ingredi nequiret. Praecepta enim praevalent consiliis, et filius, qui remanet in saeculo ut parentum necessitatibus opem ferat, dum ex una parte officium pietatis erga parentes adimplet, ex alia officio religionis erga Deum aequaliter, imo cum maiori merito, satisfacit. Excipe casum vix practicum, in quo filius in saeculo remanens magnum damnationis periculum evitare nequiret; tunc enim dicendum esset: *Charitas incipit a semetipso.*

Si vero parentes vel in magna necessitate minime versarentur vel aliis mediis sibi providere possent; tunc filius propter irrationabilem parentum reluctantiam se tanto bono privare minime teneretur; et hoc sensu scripsit S. Hieronymus: « Per calcatum perge patrem; per calcatam perge matrem; ad vexillum crucis evola; summum genus pietatis est in hac re esse crudelem ». Vide alia apud Scavini (*I.* 544).

2896. *An filii possint invitis aut insciis parentibus matrimonium inire?*

R. Si parentum reluctantia respiciat non personam, quam filius ducere vult, sed ipsum matrimonium; quatenus nempe exigant ut filius nullam ducat et in coelibatu semper remaneat: tunc filius, saltem ordinarie, obedire non tenetur. Dico *saltem ordinarie*, si enim ex una parte aeternae animae suae saluti aliter satis facile consulere posset; et ex alia matrimonium in

gravissimam ruinam coniecturum esset familiam, contingere posset quod filius ex charitate harum circumstantiarum rationem habere debeat.

Si autem parentum reluctantia solam personam respiciat; tunc plures Theologi dicunt observari debere an haec sit digna vel indigna, et subdunt quod persona potest esse indigna ex duplici capite, nempe 1° si sit malis moribus imbuta; 2° si sit conditionis valde inferioris. *Sanchez* (*De matr. IV. XXVI.* 23). Quatenus autem sit indigna, tunc isti Theologi concludunt quod filius graviter peccaret si, invitis parentibus, eam in matrimonium ducere vellet. Sed regula ista in praxi exceptionibus non caret. Iuvenis nobilis, v. g., puellam ignobilem ardentissimo amore prosequitur. Iam a multis annis eius domum frequentat. Infinitis vicibus ei promisit se nunquam esse eam derelicturum, et de matrimonio tandem contrahendo mille ei fecit iuramenta. Misera puella annos suae iuventutis sic deperdidit, nullamque alium maritum inveniendi spem habet. Finge insuper quod iam sit gravida, et quod eius pater et fratres apud iuvenem ut sine mora illam ducat, imo et quod mortem ei minitentur etc. Nunquid (peto) in his circumstantiis iuvenis, si eius parentes huic matrimonio essent contrarii, eis obedire deberet? Minime; essent enim irrationabiliter inviti; et res eo usque processissent ut in comparatione malorum spiritualium atque temporalium, quae ex hoc matrimonio non celebrato provenirent, differentia conditionis iam non amplius esset attendenda. Vera itaque regula est ut circumstantiae omnes considerentur; et si, his perpensis, parentes *videantur rationabiliter inviti,* filii eorum voluntati stare debent; secus vero si eorum dissensus sit aut evaserit irrationabilis; tunc enim filii, saltem si a minoritate iam exiverint, non obstante parentum dissensu, matrimonium contrahere nedum possent, sed forsan teberent. Vide Tamburini (*Dec. V. II.* § 3), qui insuper notat quod, quamvis filii ordinarie de matrimonio, quod contrahere volunt, proprios parentes certiores reddere debeant, imo et eorum consilium in re tanti momenti postulare; nihilominus aliquando melius est ut rem totam illis occultam servent. Cur autem supra dixerim *saltem si a minoritate exiverint,* vide dicta in Tract. de Occasionariis (*n.* 118).

2897. Alii Theologi hoc loco loquuntur etiam de officiis tum parentum erga filios, tum famulorum erga dominos, tum subditorum erga superiores etc.; sed ego de his in tractatu *De statibus particularibus* verba faciam.

CAPUT IX.

DE QUINTO DECALOGI PRAECEPTO.

Non occides. Exod. xx. 13

Agendum est I. De occisione sui aliisque peccatis contra vitam propriam: 2. De occisione proximi: 3. De duello: 4. De bello.

ARTICULUS I.

DE OCCISIONE SUI ALIISQUE PECCATIS CONTRA VITAM PROPRIAM.

Agendum est 1. De suicidio: 2. De vita conservanda, periculis non exponenda, et non abbrevianda: 3. De mutilatione aliisque laesionibus proprii corporis.

PUNCTUM I.

De suicidio.

Agendum est 1. De suicidio directo: 2. De suicidio indirecto.

§ I.

De suicidio directo.

2898. *In quo consistit suicidium directum?* Consistit in inferenda morte sibi ipsi ex intentione directa; sive id fiat ponendo actionem occisivam (se nempe interimendo, v. g., cultro, sclopo, veneno, igne, capistro, asfissione, submersione, praecipitatione etc.), sive id fiat omittendo ea quae ad vitam conservandam necessaria sunt (v. g., non sumendo cibum).

2899. *Suicidium directum estne peccatum? Potestne unquam esse licitum?*

I. Est certe peccatum. Patet 1. iure naturali; homo enim non est dominus vitae suae, sed solum administrator et custos, Deoque debet in hoc mundo servire donec ille voluerit; unde, se occidendo, disponit de re non sua sine consensu domini, et Deo servum adimit. Sic graviter delinquit, ut infertur etiam ex communi omnium sensu quo suicidae infames reputantur. Delictum autem est gravissimum, et forte maius homicidio, etiam quia per poenitentiam (morte subsecuta) reparari non potest.

Patet 2. iure divino positivo: *Non occides* (Exod. XX) — *Ego occidam et ego vivere faciam* (Deut. LII. 39) — *Tu enim es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem* (Sap. XVI 13). Patet 3. iure canonico, quod vetat ne suicidae ecclesiastica sepultura donentur.

II. Est certe illicitum, si ex taedio vitae, vel ad evitanda mala ingruentia, vel etiam ad finiendas spirituales dimicationes, perpetretur. Theologi communiter dicunt, suicidii illiceitatem (seclusa positiva Dei permissione) statuendam esse absolute. Attamen non plene constat quod sit illicitum in duobus casibus: nempe 1° si quis a legitimo iudice damnaretur ad mortem, eique daretur facultas sententiam per se ipsum exequendi, v. g., sumendo venenum, quod nisi faceret modo atrociori interimendus foret (cf. Baller. Palmieri *n.* 28. 29): 2° Si persona sive ad fidem catholicam audacter coram Tyranno martyrium minitanti protestandam (prout fecit S. Apollonia quae in rogum se coniecit), sive ad castitatis violationem in casu flagranti evitandam, se occideret. Cf. Lessium (*II.* IX. *d. VI.* 23).

§ II.

De suicidio indirecto. et de permissione mortis certae et imminentis.

2900. *Quandonam accidit suicidium indirectum?* Quando quis ponit actionem, quae habet quidem pro effectu mortem, sed simul aeque immediate habet alium effectum; qui autem actionem ipsam ponit, hunc effectum, non vero mortem, intendit.

Exemplum. Titius fugiens ab incendio (quod totam domum pervasit) se praecipitat e fenestra, ex tali praecipitatione certe moriturus. Ille non iam mortem (quam vellet evitare), sed fugam, intendit; et haec fuga habet duos effectus aeque immediatos, scilicet evitationem incendii (quam intendit) et mortem (quam praevidet quidem sed non intendit).

2901. *Quandonam accidit permissio mortis certae et imminentis?* Quando quis, mortem huiusmodi non intendendo, ex aliquo motivo illam non impedit, aut ponit se ipsum in occasione qua mors ab aliis sibi inferatur.

Exemplum dari potest in eo, qui ad ostensionem audaciae non fugiat sed firmus persistat in loco, ubi ab inimicis suis certo certius occidetur.

2902. *Quid de suicidio indirecto et de permissione mortis certae et imminentis, quoad licitum?*

Per se loquendo, haec certe non licent (nostram enim vitam conservare debemus). Attamen interdum possunt evadere licita, sed solum ex causis gravissimis. Huiusmodi causae essent sequentes:

I. *Necessitas fugiendi a morte atrociori in casu flagranti;* prout contingeret in fugiente ab incendio et se praecipitante a fenestra (ut supra).

Sedulo notandum, aliud esse se praecipitare *ad fugiendum* in casu flagranti, et aliud se praecipitare *ad mortem sibi inferendam*, ut mors magis atrox, quae in futurum impenderet, evitaretur. Hoc secundum foret suicidium directum et non liceret. Exempla. Damnatus ad mortem a fenestra (ut supra) vel in puteum se coniicit, cum intentione sibi inferendi mortem minus atrocem ad evitandam atrociorem. Tyrannus minitatur Titio mortem atrocissimam nisi praecipitatione se interimat. Titius id exequi non posset; et posset solum se praecipitare, si, in casu flagranti et Tyranno ad illam mortem atrociorem inferendam adveniente, talis praecipitatio esset unicus modus fugiendi. Baller. (*l. c. n. 26*).

II. *Obligatio specialis*, qua quis ex officio suo certissimum imminentis mortis periculum adire, vel ab eo non fugere teneatur, prout contingere potest in milite.

III. *Iustitia.* Casum habes in reo, qui (etsi de poena capitali ageretur) iudici se sistit, delictum confitetur, a carcere aperto non fugit etc. Imo poterit etiam petere a iudice ut se digna mortis poena puniat. A fortiori posset sponte se iudici sistere et se reum declarare, si hoc exigeretur ad liberandos innocentes, quibus delictum imputatum fuisset. Ballerini (*l. c.* 30).

IV. *Bonum publicum* (etsi solum temporale). Celebre est exemplum Sampsonis, qui « apprehendens ambas columnas, qui- « bus innitebatur domus....., ait : Moriatur anima mea cum « Philistiim etc. » (Iudic. XVI). Unde patet quod quis potest etiam, propter maioris boni assecutionem, de morte sua gaudere. Exemplum simile habes in eo qui, evidenti morti se exponendo, pro salute patriae arcem hostilem incenderet, vel navim submergeret ne hostes ea potirentur etc.

A fortiori id liceret si ageretur de bono publico *spirituali*, ut puta, si quis se praesentaret Tyranno ut animus adderetur aliis ad fidem audacter profitendam etc.

V. *Charitas heroica et bene ordinata* (etsi ageretur de bono non publico sed solum particulari). Exemplum habes in exponente seipsum telis, ne haec feriant patrem, vel amicum, vel principem ; aut si quis in naufragio cederet tabulam amico vel patri familias; aut si quis fame moriturus unicum panem haberet, illumque alteri pariter fame morituro daret; aut si quis

pro alio ad mortem damnato morti se offerret etc. Baller. (*l. c.* 25). Dixi hos heroicae charitatis actus debere esse *bene ordinatos ;* non enim morti posses sic te exponere, si vitae tuae conservatio esset valde necessaria reipublicae vel familiae ; aut si in statu peccati mortalis versareris (Ballerini *l. c.*).

VI. *Ad salvandam castitatem.* Exemplum esset in muliere, quae ad sui violationem evitandam permitteret potius occidi, vel fugiendo se praecipitaret etc.

PUNCTUM II.

De vita conservanda, periculis non exponenda et non abbrevianda.

2903. *Quid de vita conservanda?*

I. Datur obligatio nedum alimenta sumendi, sed etiam medicamina adhibendi, ut vita conservetur.

II. Hoc verum est, quamvis vita aerumnosa valde, vel etiam doloribus atrocibus in mortis propinquitate obnoxia esset ; et qui tunc alimenta respueret, ut citius moreretur, de suicidio directo reus foret (Minor videtur esse malitia si de sola medicinarum recusatione ageretur).

III. Haec obligatio communiter (scilicet praescindendo a circumstantiis specialibus) respicit sola media ordinaria, et utilia; non vero extenditur ad res extraordinarias, vel ad remedia sive valde dolorosa, sive nimis dispendiosa, sive parum vel nihil spei afferentia , sive denique talia quae motivo virtutis laudabiliter respuantur. In his autem sensus communis semper regula tutissima erit. Hinc ad vitam conservandam vel longiorem reddendam, ut plurimum, non aderit obligatio, sive se conferendi ad regiones aeris melioris, vel ad loca dissita pro balneis, aquis mineralibus etc. ; sive accersendi medicos peritissimos pro consultationibus ; sive se subiiciendi amputationibus, aut operationibus capitalibus (sc. mortis periculosis). Pariter mulier (et maxime pudica virgo) facile quidem tenebitur acceptare medicamina in partibus secretioribus manu mulieris; sed motivo virtutis poterit recusare medicum, idque maxime si honestus non esset, et tentationibus illam subiiceret. Motivo virtutis poterit etiam Carthusianus infirmus recusare cibos ex carne etc.

Dixi *ordinarie et praescindendo a circumstantiis specialibus;* interdum enim, propter bona valde praevalentia et necessitatem

familiae, societatis etc. (et maxime ex obedientia et iussu Superioris), media quoque extraordinaria sub obligatione cadere possunt.

2904. *Quid de vita periculis non exponenda et non abbrevianda?*

I. Exponere se periculo gravi mortis absque iusta causa certe non licet. Exemplum habes in iis qui cum magna febri iter agunt, laborant etc., vel ex iactantia vel stultis sponsionibus (it. *scomesse*) gravibus periculis se exponunt. Idem dic de abbreviatione vitae, prout contingit in illis qui potionibus alcoolicis aut aliis vitiis ita indulgent, ut, attentis circumstantiis (v. g. infirmae valetudinis), iam manifeste mortem sibi accelerent.

2905. II. Attamen non solum causae gravissimae (ut supra *n.* 2902), sed etiam causae minores et plus vel minus graves, iuxta maiorem vel minorem periculi gradum, excusare possunt; cuiusmodi sunt, v, g., propria ars, propria negotia, ratio remedii, fuga a malo vel periculo maiori, motivum virtutis etc.

Propria ars. Ex hoc capite excusari possunt, v. g. funambuli, domatores belluarum ferocium vel cum illis publica spectacula dantes, aereostatici, cunilatorii (*minatori*), quidam machinis viae ferreae vel trituratricibus addicti (cum speciali periculo), inservientes infirmis etc.

Propria negotia. Nempe pro suis negotiis, v. g., se conferentes ad loca peste infecta, vel periculosis itineribus aut navigationibus se committentes etc.

Ratio remedii. Qui nempe chirurgicis operationibus capitalibus (sc., ut dixi, mortis periculosis) se subiiciunt; quod non solum propter maiorem spem salvandi vitam (quae secus, etsi tardius, certe aut valde probabilius amitteretur); sed etiam ad infelicitatem (v. g., propter atroces dolores, vel intolerabiles deformitates) auferendam, licitum esse potest. Attamen usus *morphii* per iniectiones subcutaneas (quod ex una parte mortem valde accelerare potest, et ex alia dolorem quem lenit postea adauget) solum cum magna discretione, in exiguissima dose (v. g. ad summum 5 vel 6 centigr. in die, si infirmus sit adultus), et (si agatur de morbo chronico) cum interruptionibus, licitus esse potest.

Fuga a malo vel periculo maiori; ut puta, si quis damnatus ad mortem se deiiceret e fenestra cum spe sic salvandi vitam.

Motivum virtutis. Huc veniunt discretae poenitentiae carnisque macerationes, assistentia peste infectis, professio religionis valde austerae etc., quae utique, non obstante periculo mortis aut aliqua vitae abbreviatione (etiam in persona debili), licita esse possunt. Cavendum tamen ne ex alio capite illicita evadant, ut puta si uxor, vel pater familias, vel Parochus etc. (propter huiusmodi poenitentias) propriis officiis satisfacere nequirent.

2906. III. Pericula autem levia et remota (v. g., defatigationes, vigiliae, animi turbationes etc.) non considerantur. Reapse sunt nimis frequentia, atque insuper ut plurimum causis passim occurrentibus excusantur. Imo, quamvis de vitiis (non graviter et manifeste corporali saluti noxiis) ageretur, sensus

communis contra quintum praeceptum non videtur recognoscere reatum. Ballerini (*l. c.* 36).

PUNCTUM III.

De mutilatione aliisque proprii corporis laesionibus.

2907. *Quaenam sunt hoc in puncto principia generalia?*

I. Mutilatio aut laesio proprii corporis, sive directa sive (v. g. exponendo se periculo) indirecta, absque iusta causa, non licet. Attamen, etiam in mutilatione directa, potest dari parvitas materiae, ut puta, si quis absque necessitate sibi dentem extraheret, aut minimam digiti vel auris particulam recideret, aut levissimum vulnus (v. g. acu) infligeret.

II. Causae iustae (ut statim explico) mutilationem aut laesionem (etiam directam) licitam reddere possunt.

III. Mutilationes, quae sint necessariae ad salvandam vitam, v. g. secando pedem, brachium etc., quia secus, propter morbum aut aliam causam (Cf. Baller. *l. c.* 44), moriendum esset, certe licerent, Idem dic de aliis operationibus chirurgicis, quae ad citius convalescendum, vel utcumque ad maius malum avertendum, peragi solent.

IV, Licent quoque flagellationes (etiam cruentae) et aliqua levia vulnera, vel leves adustiones, quae motivo virtutis, ad carnem macerandam vel devotionem ostendendam, fiant.

2908. *Potestne quis gravia quoque vulnera sibi inferre vel etiam se mutilare aut castrare motivo virtutis?* Exempla habemus quarundam sanctimonialium quae nasum et labrum superius sibi amputarunt ut horrorem incuterent barbaris eas secus violaturis; item cuiusdam sanctae virginis quae perdite dilecta a Rege Hispaniarum propter oculos pulcherrimos, illos sibi eruit atque ad Regem ipsum misit; item cuiusdam Marci anachoretae qui pollicem sibi abscissit ne in Episcopum eligeretur (cf. Baller. *l.* c. 42 et S. Leonardum, Pred. *Fuga delle occasioni*). At vero communiter dicunt, facta huiusmodi speciali Dei inspirationi vel ignorantiae et bonae fidei esse attribuenda; quod dicunt etiam a fortiori de illis sanctis virginibus quae motivo virtutis se nedum mutilaverunt sed interfecerunt (*cf. n. 2899. II*). Attamen Lehmkuhl (*I. 578*) dicit: « Quis accusare audeat heroicum illud exemplum virtutis, quo Sanctus quidam « in scorti sibi insidias parantis faciem praecisam morsu linguam expuit? ». Certe omnes conveniunt non licere se castrare motivo servandae castitatis, idque ab Ecclesia quoque prohiberi atque irregularitate plecti; sed notat Ballerini (*l. c. 43*) pro casu isto specialem intervenire rationem, quia scilicet huiusmodi mutilatio reipsa a tentationibus carnalibus non liberat.

2909. *An liceat pueros, cum eorum consensu, castrare sine periculo vitae, ut vocem suaviorem habere et sic per totam vitam magnum lucrum sibi comparare possint?* Negant communius (cf. Bened. XIV. *De Syn. X.* VII);

sed plures affirmant. quia (attenta etiam utilitate propter huiusmodi cantum Ecclesiae proveniente) sufficiens videtur adesse ratio quae hanc mutilationem cohonestet. S. Lig. (*III. 374*) dicit sententiam negantem esse probabiliorem, sed affirmantem absque ulla reprobatione refert, eiusque auctoritatis et rationis fundamenta adducit. Ballerini autem (*l. c. 47*) hanc sententiam sua probabilitate destitui non videri, censet.

2910. *Quid de operatione vulgo dicta* Porro, *quae est vera castratio, qua scilicet uterus cum ovariis mulieri adimitur? Potestne mulier illam permittere?* Affirmative certe, si fiat ad evitandam mortem quae ex uteri morbo esset secutura. Negat autem Villada (*Cas. consc. III. pag. 267 et seqq.*) si fieret ad reddendam foeminam sterilem, quamvis casus esset huiusmodi ut in sequenti partu mortem esset subitura; ab usu enim matrimonii (ait) abstinere posset. Sed quid si attentis circumstantiis a tali usu abstinere nequiret? Idem dicit si pro bono prolis (intelligo ad salvandum foetum) talis operatio perageretur. Iudicent sapientiores. Palmieri (apud Baller. *l. c. n. 102*) scribit: « Qui « vero putent castrationem identidem licere ob alios fines, puta ad suavitatem « vocis obtinendam, ii consequenter permittent et ob alias proportionate graves « causas, praeter conservationem vitae, usum huius operationis ».

ARTICULUS II.

DE OCCISIONE PROXIMI.

Agendum est 1. de occisione iniusti aggressoris: 2. de occisione malefactoris: 3. de occisione innocentis: 4. de abortu.

PUNCTUM 1.

De occisione iniusti aggressoris.

2911. *Quaenam est substantia doctrinae quoad occisionem iniusti aggressoris?*

Si aggressor sit vere iniustus sive formaliter sive materialiter, licet illum occidere (attamen servato moderamine inculpatae tutelae) ad defensionem vitae, vel integritatis membrorum, vel bonorum fortunae (ad quae habeatur *ius in re*), vel pudicitiae, vel iuris coniugalis, vel libertatis, in casu flagranti. Hoc autem cuilibet et contra quemlibet aggressorem sic iniustum licet, saltem ordinarie. Licet non solum per se sed etiam per alios, et nedum ad defensionem sui sed etiam ad defensionem aliorum. Aliquando denique non solum licet, sed etiam oportet. In aliis autem casibus offensores occidere non licet.

2912. *Cur dixisti*; si aggressor sit vere iniustus? Quia certe non licet occidere eos qui manus in te iniicere iure possint (contra illos enim ius defensionis non datur): cuiusmodi essent

1. satellites aliive qui publica et legitima auctoritate te capere aut etiam morte afficere possint vel debeant: 2. quisque iure defensionis te apprehendere velit, ut arma contra illum sumpta deponas, aut res ei ablatas restituas etc.

2913. *Cur dixisti :* SIVE FORMALITER SIVE MATERIALITER? Quia, si necessarium sit, liceret occidere aggressorem quamvis ex ebrietate vel amentia etc. sui compos non esset, vel, ex igorantia, bona fide procederet, et sic non formaliter sed solum materialiter iniustus foret.

2914. *Quid de clausula:* SERVATO MODERAMINE INCULPATAE TUTELAE?

I. Ad occisionem deveniri non potest, quando quis aliis modis moraliter possibilibus se tueri valet.

II. Primus modus potest esse fuga: ad quam tamen invasus tenetur solum si nedum sit physice possibilis, sed etiam duo concurrant; nempe 1. fuga ad salvandam vitam vel bona fortunae etc. sit utilis, neque adsit periculum ne fugiens in fuga ipsa occidatur: 2. fuga sit satis decens (v. g. si persona invasa esset plebeia aut ordinariae conditionis, vel ecclesiastica, vel senilis aut puerilis aetatis, vel foemina, vel pater familias cui non expediat, resistendo, se periculo exponere; aut si aggressor ebrius vel demens foret, aut si manifesta subsisteret virium incompetentia); non vero si fuga esset nimis indecora et ignominiosa, v. g., si invasus officialis exercitus foret. Cf. Ballerini (*l. c.* 60).

III. Alii modi consistere possunt in mediis defensivis quidem sed mortem minime afferentibus, v. g., aggressorem minitando et terrefaciendo, clamoribus auxilium petendo, sclopum in aerem explodendo, ei arma auferendo, illum pugnis vel calcibus afficiendo, fuste illum verberando, et denique pugione vel sclopo illum quidem vulnerando sed non occidendo.

Si autem certe sufficiant media minus laesiva, media magis laesiva adhiberi nequeunt; unde, v. g., inermem tu valde magis robustus armis (et maxime pugione vel sclopo) offendere nequires: neque adhibere posses pugionem vel sclopum si fustis certe sufficeret et in promptu esset. Haec tamen arma adhibere posses si fustem necessarium non haberes, vel nescires an sufficiens foret (agitur, v. g., de aggressore nocturno, vel utcumque nescis an inermis an vero et quomodo armatus sit). Ballerini (*l. c. n.* 71). Advertendum quod saepe in his circumstantiis non omnia considerari possunt, neque semper satis discerni valet utrum sola percussio sufficiat, an vero vulneratio exigatur, neque ictus

lethalis a non lethali facile distinguitur. Reatus itaque in defectu moderaminis in casibus claris et facilibus, non vero in confusis et difficilibus, practice reponi debebit.

2915. *Cur dixisti*: LICET OCCIDERE AD DEFENSIONEM? Quia non licet occidere si aggressor desisteret, vel defensio esset certe impossibilis (v, g. si unus contra centum foret), vel factum iam fuisset plene consummatum (tunc enim non de defensione sed de vindicta seu punitione ageretur), maxime vero si aggressor, post factum sive attentatum sive plene consummatum, fugeret; qua de re habemus prop. ab Inn. XI. damnatam, quae dicebat: « Fas est viro honorato occidere..... si quis impingat « alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel fu- « stis ictum fugiat ». Quod enim licet, est defensio (ad iniuriam impediendam), non vero vindicta (ad iniuriam reparandam). Quod autem defensio etiam cum laesione vel morte aggressoris vere liceat, patet tum iure naturali (unde semper dictum fuit licere vim vi repellere), tum iure canonico, dicente Alex. III. « Vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittunt », et Catechismo Rom.: « Licet etiam salutis suae tuendae causa « alterum occidere ». Nec audiendi sunt Iansenistae qui dicunt hanc occisionem esse contra ordinem charitatis, quia ad defendendam vitam temporalem, aeternae damnationi proximum exponis; charitas enim incipit a semetipso, et improbi homines longe audaciores evaderent atque delicta multiplicarent, si scirent defensionem huiusmodi non esse licitam: aliunde iniquus aggressor sibi imputet si tali periculo se exponit. Aliqui dicunt licere quidem vulnus vel mortem inferre, sed non licere vulnus ipsum et mortem intendere. At vero hoc est solum confusionem et scrupulos inducere. Dicendum est quod invasus potest intendere laesionem vel etiam (si oporteat) mortem aggressoris non tamquam malum illius sed tamquam medium suae defensionis; sicut milites in bello intendunt mortem inimicorum ad bonum patriae, et carnifex mortem rei pro bono societatis. Cf. Baller. (*l. c.* 59).

Dixi non licere laedere aggressorem *ad vindictam;* sed hoc exceptionem habet quoad aliquas leves vindictas, quae ad salutarem correctionem fiunt nec malas consequentias habere solent. Exemplum habes in puero latrunculo qui, postquam res ablatas reddere coactus fuerit, moderate verberaretur. Idem dic de foemina honesta, quae, post tactum vel osculum ab aliquo lascivo (ea non consentiente) receptum, alapis vel fuste vel aliis icti-

bus non graviter laesivis illum percutere potest, dummodo immediate.

2916. *An possit quis occidere aggressorem non solum ad defensionem vitae et membrorum, sed etiam ne aliqua levi percussione (v. g. alapa) iniuste afficiatur?* Ut quis impediat ne alapa sic afficiatur, certe ad occidendum aut vulnerandum statim procedere nequibit. Poterit tamen luctari manibus. Sed contingere potest quod lucta quae prius erat de alapa, postea (v. g., alio promente fustem vel gladium) convertatur in luctam de vita; et tunc occisio quoque licita evadere posset. Casus iste saltem verificabitur (iuxta plures) in viro cui alapa nimis ignominiosa esset.

Dicit Croix *(n. 803)*: « Si quis ignominiosam percussionem minetur et in« tentet viro, qui sine gravi nota aliter declinare non potest (v. g. militiae dux), « potest hic opponere gladium et certe alius desistet ab incoepto: quod si et « hic gladium seu arma promat, tunc ille vir, si ob defensionem sui armis « pugnare cogatur, non honorem modo sed et vitam defendit ». Cf. Baller. (*l c. 59*) et Lehmkuhl *n. 835. 4*).

2917. *Quid notandum circa defensionem* BONORUM FORTUNAE?

I. Possunt certe defendi propriae res temporales, et, debitis concurrentibus circumstantiis, etiam occisione furis. Patet non solum ex sensu communi et communissima Theologorum sententia, sed etiam ex sacris litteris: « Si effringens fur domum « sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus « fuerit; percussor non erit reus sanguinis » (*Exod. XXII.* 2). Vide etiam Cap. *Dilecto* (*de Sent. excom. in VI°*), et D. Th. (2. 2. *LXIV.* VII).

2918. II. Dixi: *debitis concurrentibus circumstantiis.* Nempe oportet 1° ut occisio reservetur ad casum extremum: 2° ut fur (si fieri possit) prius moneatur: 3° ut agatur de re magni valoris; vel, ad rem non magni valoris defendendam, cum fure inita fuerit lucta, qua vita in discrimen versetur, nisi fur ipse occidatur. Hinc, occidere possum furem 1° volentem actu ingredi domum meam: 2° actu furantem v. g. meos boves; 3° fugientem cum bovibus ablatis (intellige, ut infra melius declaratur, si furtum impediendi aut ablata recuperandi alia media desint, et curando ut, v. g., clamore, fur advertat se fore occidendum nisi ablata relinquat). Casus autem luctae incoeptae pro re non magni momenti contingere posset, v. g., si fur marsupium mihi auferre vellet; et ego (quamvis non multa pecunia in illo adsit) resistam et luctam instituam, ut supra (*n.* 2916). Cf. Ballerini (*l. c.* 65). Dicit Lehmkuhl (*n.* 835)

quod etiam in casu luctae, etsi non exigatur ut res sit magni valoris, tamen tunc quoque alicuius notabilis valoris esse deberet.

2919. III. Quidquid sit de hoc, certe, secluso autem casu huiusmodi luctae, nequit occidi fur ad servandam vel recuperandam rem exigui valoris. Qui itaque a longe videat furem auferentem gallinam vel aliquos uvae racemos, aut ficus, aut panes, aut caseos etc., nec velit vel possit ad illum (v. g., armatum) accedere ut furtum impediat, nequit sclopetum contra eumdem explodere. Idem dic si latrunculus cum huiusmodi rebus exigui momenti (etsi prius cum ipso lucta intercessisset) fugeret. Hoc patet ex sensu communi, et ex prop. ab Innoc. XI damn. quae dicebat: « Regulariter occidere possum furem pro conservatione « unius aurei ».

Hinc facilius occidere licet furem nocturnum, et difficilius furem diurnum: unde Exodi *(l. c.)* dicitur « Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpe« travit, et ipse morietur ». Tunc enim facilius potest 1. peti auxilium: 2. cognosci an fur mediis minus laesivis repelli valeat: 3. cognosci quanti valoris sint res quas auferre vult: 4. interdum posset etiam cognosci fur ipse, et per iudicem puniri, atque ablatum recuperari. Cf. Baller. (*l. c.*).

2920. IV. Determinare autem quando res sit magni aut non magni valoris, unde liceat vel non liceat furem occidere, distinguere oportet inter pauperes et non pauperes. Quoad pauperes, magnus valor potest esse nedum aureus sed forte etiam aliquid minus (quo, v. g. quartam vel tertiam partem locationis domus pauper solveret, quam impos solvendo secus esset, aut vestem ad arcendum frigus pro hyeme emeret). Nec obstat prop. damnata; illa enim dicebat *regulariter*. Quoad non pauperes autem, et maxime quoad absolute divites, certe (ut constat ex prop. ipsa) non sufficit valor unius aurei. Quid amplius itaque exìgitur; sed quantum? Etsi ageretur de ditissimo, S. Lig. (*n.* 383) valorem 40 ducatorum, scilicet circa 30 scutatorum, sufficere censuit. Caeterum rem istam magis determinare impossibile est. Cf. Baller. (*l. c.* 61-63).

2921. *Cur dixisti*: BONORUM FORTUNAE AD QUAE HABEATUR IUS IN RE? Quia non licet occidere quemquam pro bonis, de quibus habeatur quidem ius ad rem sed non in re; secus enim homicidiis mundum repleremus. Patet ex duabus propos. ab Innoc. XI damnatis: « Non solum licitum est defendere defensione occisiva « quae actu possidemus, sed etiam ad quae ius inchoatum ha« bemus, et quae nos possessuros speramus » — « Licitum est « tam haeredi, quam legatario contra iniuste impedientem ne vel

« haereditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere; « sicut et ius habenti in cathedram vel praebendam contra « earum possessionem iniuste impedientem ».

2922. *Quid de occisione ad defensionem* PUDICITIAE?

Difficile est quod mulier aliis mediis (v. g. utendo manibus, unguibus etc.) se defendere nequeat: et maxime si vir lascivus solos tactus vel solas blanditias quaereret. Si tamen media ista essent impossibilia vel certe aut probabiliter inefficacia, tunc mulier (speciatim si de violatione ageretur) graviter vulnerando vel etiam occidendo invasorem (tum ob iniuriam in re valde magni momenti, tum ob periculum consentiendi) se defendere posset. Cf. Ballerini (*l. c.* 66).

2923. *Quid de occisione ad defensionem* IURIUM CONIUGALIUM? Difficillimum est quod hac de causa occisio liceat. Si maritus deprehendat adulteros in facto, tunc iniuria iam esset illata et non de defensione sed de vindicta ageretur; unde damnata fuit ab Alex. VIII. prop. quae dicebat: « Non peccat maritus occi« dens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam ». Casus autem, in quo ante factum necesse sit marito uxorem vel adulterum occidere ne adulterium consumment, nec alia media sufficiant, quandonam verificabitur? Si tamen verificaretur, occisionem in casu flagranti licere, innuit. Baller. (*l. c.* 76).

2924. *Quid de occisione ad defensionem* LIBERTATIS? Casus esset si quis iniuste te ligare vel in carcerem coniicere aut detinere vellet. Quod autem tunc defensio (etiam cruenta, si opus sit) liceat, certum est, ut dicunt Lugo (*X* 181), D'Annibale (*II* 320) etc.

2925. *Cur dixisti occisionem iniusti aggressoris licitam esse solum* IN CASU CERTO ET FLAGRANTI? Quia secus homicidiis ianua nimis lata aperiretur. Praeterea in casibus incertis adesset periculum (propter hallucinationem) occidendi innocentes; et in casibus non flagrantibus deesse solet necessitas; forte enim quod timetur non accidet aut aliis mediis impediri potest. Tria tamen sunt advertenda:

I. Si quis obviam veniens de prava te occidendi intentione signa praebeat, illum admonendi ne accedat ius habes. Quod si admonitus non desistat, potes illum, tamquam ius tuum cum tanto discrimine laedentem, interficere; ut patet etiam a militibus excubias agentibus, et in appropinquantes (contra vetitum) sclopum explodentibus. Ballerini (*l. c.* 71).

II. In aliquo casu licet etiam praevenire aggressionem, si nempe tria concurrant oportet enim 1° ut agatur de vita: 2° ut

casus sit certus: 3° ut desint alia media, ita ut (si expectes) proditorie vel utcumque non valens te defendere, certe sis occidendus. Exemplum dant in uxore, quae certe sciat se noctu occidendam a marito nec possit fugere. In praxi tamen quantum cavere oporteat a periculo hallucinationis unusquisque videt. Cf. Baller. (*l. c.* 71), Lugo (*X.* 156), et S. Lig. (*III.* 387).

III. Postquam fur rem abstulerit, cum eaque fugerit, casus flagrans perdurat donec dominus illum insequatur. Cessante autem illa prima insecutione, non amplius poterit dominus sclopum contra eundem explodere, aut (regulariter) vim adhibere. Dico *regulariter;* donec enim res ablata apud furem remaneat in specie, si dominus nequiret per iudicem illam recuperare, posset se conferre ad locum ubi adest, illamque, vim vi repellendo, sibi vindicare. S. Lig. (382. 383), Lugo (*l. c.* 181), Ballerini (*l. c.* 69) etc.

2926. *Cur dixisti occisionem iniusti aggressoris, ut supra, licitam esse* CUILIBET ET CONTRA QUEMLIBET? Quia ius defensionis habet etiam filius contra patrem, subditus contra principem, religiosus contra suum superiorem, laicus contra clericum (nec adesset excommunicatio), clericus contra quemlibet (nec fieret irregularis). Pariter nihil referret si aggressor fuisset a te offensus et provocatus; vel si ex errore procederet aut (ut supra dicebam) ebrius vel amens esset. Excipi tamen debet casus in quo bonum publicum defensionem cruentam vetet, ut puta, si ageretur de innocente qui vellet se defendere (et a fortiori si inutiliter) contra satellites aliosve publicos iustitiae ministros, qui, iuxta leges iustas aut de mandato iudicis (qui iuxta allegata et probata processerit), illum capere et in carcerem detrudere debeant. Cf. Praxis (*Ed. II. n.* 3178). Theologi idem dicunt si ex occisione invasoris magna mala publica (v. g. bella) secutura essent. Ballerini (*l. c.* 69. 70).

2927. *Cur dixisti occisionem iniusti aggressoris licitam esse* ETIAM PER ALIOS? Iniuste aggressus ad sui defensionem uti potest opera famulorum aut aliorum quorumcumque (quod enim quisque licite facere potest per se, potest etiam per alios). Idque verum esset non solum quando, propter timiditatem vel imperitiam aut virium incompetentiam (v. g. si aggressores essent plures) auxilio vel opera aliorum indigeret; sed etiam quando ipse solus posset se defendere, sed nollet; imo interdum potest adesse obligatio utendi opera aliorum, ne invasus cum nimio damno familiae aut Reipublicae discrimini se exponat. Ballerini (*l. c.* 74).

2928. *Cur dixisti occisionem iniusti aggressoris licitam esse quoque* AD DEFENSIONEM ALIORUM? Hoc licet in sequentibus casibus:

I. Si invasus, habens ius ad defensionem (etiam cruentam, ut supra), auxilium petat expresse.

II. Si ius habens ad dictam defensionem, illam petat interpretative. Exemplum est 1° in depositariis, in commodatariis, in custodibus, et in aliis quibuslibet, qui res aliorum magni valoris (domino absente) contra fures defendunt. Secus esset si dominus esset praesens nec resisteret, dum facile posset. 2° In defendente contra aggressorem pudicitiam foeminae, quae non resistit, quia resistere non potest. Secus esset regulariter, si consentiret; tunc enim nec vis inferretur nec iniuria subsisteret. Dixi *regulariter;* idque statim explico.

III. Si persona quidem consentiret, sed iniuria in te quoque redundaret, atque esset talis ut tu vim vi repellendi ius haberes. Agitur, v. g., de uxore vel de tua sorore, quam consentientem alter violare vellet; aut de patre tuo, cui (patienter omnia ferenti) alter lutum vel sputa in faciem esset coniecturus; tu enim (intellige semper ante factum) luctam cum illo inire, illumque *armata manu* resistentem occidere quoque posses.

IV. Si persona quidem consentiret, nempe suae defensioni renuntiaret, sed ageretur de vita; quum enim nemo sit dominus vitae suae, iniuria semper subsisteret; et proinde aggressor vitae alterius, quamvis invasus defensioni renuntiaret, occidi posset. Cf. Ballerini (*l. c.* 76-78).

2929. *Cur dixisti quod seipsum vel alios defendere contra iniustum aggressorem non solum licet,* SED ALIQUANDO OPORTET?

I. Invasus nedum posset sed deberet defendere seipsum 1° si esset valde necessarius suae familiae aut Reipublicae: 2° si esset in statu peccati mortalis. Praescindendo ab his duobus casibus, mortem suam permittere posset.

II. Quomodo autem et quousque mulier vi oppressa seipsam defendere teneatur, vide dicta *de Occasionariis* (n. 247 et seqq.).

III. Loquendo vero de defensione aliorum, difficile aderit obligatio alios defendendi *ex sola charitate;* oporteret enim ut facile (nempe sine magno incommodo et periculo) id fieri posset. Baller. (*l. c.* 79). Facilius adesse potest obligatio *ex pietate,* nempe ad salvandum patrem vel filium etc. Clara autem est obligatio *ex iustitia* (etiam cum periculo vitae) in iis omnibus qui ex officio (seu pacto expresso vel tacito) ad aliorum vitae vel rerum defensionem tenentur; cuiusmodi sunt, v. g., mili-

tes vectigalium, custodes vinearum aut sylvarum, famuli quibus herus sclopum (utique in signum, quod illo ad custodiam vel defensionem uti debent) tradit etc.

2930. *Cur dixisti quod occisio aggressoris licet quidem ad defensionem vitae, vel integritatis membrorum, vel bonorum fortunae, vel pudicitiae, vel libertatis; sed* IN ALIIS CASIBUS NON LICET*?* Quia licet quidem vim vi repellere si de factis (ut supra); non autem si de sola offensione honoris vel famae, aut si utcumque de solis verbis iniuriosis, sive privatim sive publice sive etiam iudicialiter proferendis, agatur. Ratio est quia homicidiis ianua nimis lata aperiretur. Et hac de re sequentes habemus propositiones damnatas.

« Est licitum Religioso et Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel « de sua Religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defen- « dendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel « ipsi religioso vel eius religioni publice et coram gravissimis viris praedicta « impingere, nisi occidatur ». Damn. ab Alex. VII.

« Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, « si aliter haec ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum si quis impin- « gat alapam vel fuste percutiat, et *post* impactam alapam vel fustis ictum fu- « giat ». Damn. ab Inn. XI.

« Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a « quo iniqua certo imminet sententia, et aliâ viâ non potest innocens damnum « vitare » Damn. ab Alex. VII.

PUNCTUM II.

De occisione aliisve punitionibus malefactoris.

2931. *Quaenam summatim est doctrina, quae circa malefactoris punitionem teneri debet?*

I. Malefactor est qui utcumque (sive contra te sive contra alios) deliquit, et indiget punitione, ut a malefaciendo cesset, vel etiam ut caeteri timorem habeant.

II. Princeps supremus, et qui ab illo auctoritatem habent, possunt et ordinarie debent punire malefactores, (etiam non subditos in territorio delinquentes) quantum oportet pro bono societatis, pro merito, et iuxta leges. Haec auctoritas extenditur ad poenam non solum carceris, fustigationis, relegationis, exilii etc., sed etiam mortis.

Patet 1. ex sacris Litteris, v. g. (*Exod. 22*): « Homicidium perpetravit, « et ipse morietur » (cf. Lugo *X. 57*). Patet 2. ex usu omnium Nationum. Patet 3. ex merito; qui enim de magnis delictis et speciatim de homicidio rei

sunt, utique mortem merentur. Patet 4. ex necessitate; ut plurimum enim aliis poenis (etsi de carcere durissimo atque perpetuo ageretur) nec malefactores sufficienter deterrerentur (maxime si pertinerent ad societates in quibus confidere possent se liberationem a sociis esse obtenturos), nec caeteris (ne delinquere incipiant) timor (quantum satis) incuteretur.

2932. III. Regulariter, solum post criminis probationem ad formam iuris peractam et reo audito, poenam infligere licet. Dixi *regulariter;* aliquando enim bonum commune exigit ut viis magis promptis procedatur. Attamen, si de poena mortis agatur, semper oportet ut saltem de crimine perpetrato certitudo plena subsistat.

IV. Quoad poenam mortis, oportet semper ut congruum et determinatum tempus reo concedatur, quo animae suae consulere et Sacramenta recipere possit. Eo autem elapso, occidi posset, quamvis sibi non consuluisset aut aliud tempus peteret.

2933. V. Reus non adhuc captus, si (propter circumstantias) bonum publicum sic reclamet, potest proscribi; potest scilicet Princeps supremus edicere ut unicuique liceat illum capere vel etiam occidere. Tunc autem edictum stat pro monito ut animae suae consulat: nec ille vim vi repellere potest (S. Lig. III. 380).

Hoc excepto casu, satellites, qui reum capere atque ad carcerem deducere debent, illum fugientem occidere nequirent.

VI. Poenae leviusculae (prout de more) a genitoribus, magistris, haeris, et maritis infligi possunt; sed, exceptis his casibus, ad punitionem procedere privata auctoritate nemini licet. Ratio est quia (propter hallucinationes, excessus, iurgia, et speciatim propter subsequentes vindictas etc.) maxima mala provenirent; et aliunde adsunt iudices, qui, sine huiusmodi malorum provocatione, saltem magna ex parte malefactores puniunt et sic rei huic prospiciunt. Quamvis autem apud tribunalia civilia multa impunita remaneant, non ideo bonum publicum sinit ut vindictae et punitiones privatae permittantur. Si tamen societas non esset constituta et de barbaris sine ullo capite politico ageretur (qui casus fere methaphysicus est); utique tunc iudicium aliqualiter diversum dandum esset. Vide Lugo (*X*. 77-79).

De occisione innocentis aliisque corporalibus eiusdem laesionibus.

Ago breviter 1. de principalibus distinctionibus circa occisionem innocentis: 2. de occisione directa: 3. de occisione indirecta: 4. de circumstantiis speciem mutantibus: 5. de aliis innocentis laesionibus corporalibus.

§ I.

De principalibus distinctionibus circa occisionem innocentis.

2934. *Occisio innocentis quotuplex esse potest?* Praescindendo ab occisione *mere casuali* (circa quam non refert immorari), occisio *voluntaria* 1° potest esse *directa* et *indirecta*, secundum quod mors proximi intenditur, aut non intenditur: 2° potest causari *actu positivo* (v. g. gladio, veneno etc.), aut *actu negativo* (v. g. si genitores non alerent infantem): 3° Aliquando potest esse *licita* (ut statim explicabitur), sed ut plurimum est illicita et *iniuriosa*. Quatenus autem sit iniuriosa, *homicidium* appellatur.

Ut tamen actu negativo vera iniuria (atque adeo homicidium) constituatur, semper oportet nt quis ex iustitia vel officio opem ferre debeat; si enim quis ex sola charitate ad id teneretur, quamvis forte mortem indigentis exoptaret et directe intenderet (atque adeo ab ope ei ferenda abstineret), non ideo homicidii reus esset.

§ II.

De innocentis occisione directa.

2935. *An occisio directa innocentis unquam liceat?* Seclusa speciali permissione divina, et (iuxta aliquos) secluso etiam casu in quo innocens ex allegatis et probatis reus mortis appareret atque adeo iudex et carnifex illum morte afficerent; qua de re cf. *Praxis* (Ed. II. *n.* 3207); certe in aliis casibus innocens directe occidi nequit. Patet 1° ex Sacris Litteris: « Insontem « et iustum non occidas » (*Exod. XXIII*). Patet 2° ex sensu communi Theologorum omnium. Patet 3° Quia, sicut nemo potest sibi ipsi vitam auferre; a fortiori non licebit occidere alios.

Nemo itaque occidere potest innocentem, quamvis ille consentiret; aut quamvis iam iam post brevissimum tempus moriturus esset: aut quamvis id fieret pro eius bono temporali vel spirituali (ut scilicet a doloribus intolerabilibus, vel a morte atrociori, vel a periculo peccati et damnationis aeternae eriperetur): aut denique quamvis bonum publicum id reclamare videretur, Casus esset si peste affecti (ne pestis diffundatur) occiderentur: vel si inciperetur occisio obsidum prorsus innocentium (ut inimicus id resciens discedat, aut, videndo repressalia, ab occisione obsidum desistat, servet fidem etc.); vel si Tyrannus exigeret caput alicuius innocentis, secus civitati excidium allaturus etc. Cf. Ballerini (*l. c.* 84).

§ III.

De innocentis occisione indirecta.

2936. *Quoad occisionem indirectam innocentis, quaenam doctrina summatim teneri debet?* Per se occisio innocentis, quamvis indirecta, delictuosa est. Licita tamen esset, dummodo 1° causa proportionata interveniret; 2° cautelae non sufficerent.

2937. *Explica quomodo* PER SE EST DELICTUOSA. Exempla. Gubernator navis ex negligentia non bene illam gubernat, et sic naufragium sequitur. Venator explodit sclopum cum periculo occidendi viatores. Coementarius deiicit tegulas in publicam viam, non appositis signis. Medici negligunt aegrotos. Mater secum retinet in lecto infantulum sine repagulo, cum periculo illum suffocandi: etc.

2938. *Explica quomodo* LICITA EVADERE POTEST EX CAUSA PROPORTIONATA. Exempla. Dux dirigit tormenta bellica contra civitatem, vel incendit turrim inimicorum, in qua adsunt etiam innocentes. In curru fugiens a se persequentibus in angusta via, collidit puerum in ea dormientem. Tyranno minitante excidium civitatis nisi quis (caeteroquin innocens) ab ea expellatur, cives illum (ab eodem tyranno occidendum) expellunt. Se defendens contra iniquum aggressorem cogitur contra eum explodere sclopum quamvis ille innocentem apprehendisset atque ante se posuisset (Aliud esset si quis, ad occidendum aggressorem, occideret prius diverso ictu innocentem, quo non occiso, aggressorem ipsum bene conspicere non posset; tunc enim de occisione directa ageretur).

2939. *Cur dixisti*: SI CAUTELAE NON SUFFICERENT? Quia, si,

adhibendo cautelas, occisio innocentis evitari posset; tunc, illis non adhibitis et innocente occiso, reatus homicidii certe subsisteret. Exemplum habes in eo qui fugit a se persequentibus (ut supra), si puerum dormientem declinare aut clamando a somno excutere potuisset.

§ IV.

De abortu.

2940. *Quid est abortus?* Est eiectio foetus non mortui sed immaturi et non adhuc vitalis.

Si foetus esset vitalis, et sine intentione illum occidendi expelleretur, tunc non iam abortus sed *partus acceleratio* (seu *partus artificialis*) accideret. Est autem vitalis post septimum gestationis mensem (scil. post 30 a conceptione hebdomadas); imo ut plurimum post solas 28 hebdomadas (scil. post mensem sextum cum dimidio). Ut tamen infans non solum sit vitalis, sed etiam vitam sanam et robustam habiturus sit, usque ad 31 hebdomadas (scilicet octavum mensem) expectandum esset. Cf. Lehmkuhl (*II. 841*).

2941. *Quomodo distinguitur abortus?* Distinguitur inter *directum* et *indirectum*. Directus autem subdistinguitur, inter directum *quoad mortem*, et directum *quoad solam eiectionem*; aliud enim est si mors et aliud si eiectio tantummodo intendatur.

Exempla. Foetus intra uterum ferro micidiali enecatur (quod dicitur *craniotomia*). En abortus directus qnoad *mortem*. — Mulier coniugata versatur in periculo mortis, nisi, balneis aut scissione membranae foetum involventis, abortum faciat. En abortus directus solum quoad eiectionem.

Non ita pridem communiter distinctio fiebat etiam inter abortum *foetus animati* vel *non adhuc animati*; sed nunc communius censent foetum iam inde a primo conceptionis momento animatum esse.

2942. *Abortus estne semper peccatum?* Distinguendum est inter abortum indirectum et directum.

Certe abortus, etsi solum indirectus, cui v. g., nisibus excessivis (it. *sforzi*), percussionibus, terroribus, saltibus, cursu veloci etc., occasio detur absque necessitate, peccatum foret; est enim occisio innocentis, qui insuper sine baptismo mori cogitur. Sed, supposita necessitate (quae vere sit ineluctabilis), abortus praevisus sed non intentus a peccato excusaretur. Hinc remedia abortus periculosa (v. g. balnea, sanguinis emissiones, emetica etc.) non licent in morbis levibus; sed in morbis gra-

vibus (si nempe secus mors aut periculum mortis ingrueret aut diuturni magnique dolores tolerandi forent) sumi et suppeditari possent. Cf. Praxis (Ed. II. *n.* 453-457). Foeminae, quae valde facile abortibus subiiciuntur, ad cautelas adhibendas magis aliis tenentur, sed non cum tali ac tanto incommodo ut quidquid leve evitare debeant.

2943. Quid de abortu directo? Si sit directus etiam quoad mortem, tamquam illicitus in quovis casu haberi debet. Patet ex novissima decisione S. Officii (14 *Aug.* 1889) dicente: « In « scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse opera- « tionem chirurgicam quam *craniotomiam* appellant......., et « quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam foe- « tus, vel matris gestantis ». Idque intelligendum est etiam pro casu extremo, in quo secus tam mater quam foetus certo certius essent morituri, ut patet ex alia eiusdem S. Officii decisione (21 *Maii* 1884). Cf. Praxis (*l. c.* 465).

Si autem abortus esset directus solum quoad foetus eiectionem, tunc subdistinguendum foret.

Si agatur de casibus ordinariis mulierum, quae ex delicto gravidae abortiuntur, de peccato (secus enim abortibus ianua latissima aperiretur) non erit ambigendum, ut patet ex propositione ab Innoc. XI damnata, quae dicebat: « Licet procurare « abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gra- « vida occidatur aut infametur ». Cf. Viva (*in h. pr.*).

Si autem ageretur de mulieribus quae, propter impossibilitatem pariendi, simul cum foetu essent moriturae, unde necessarium foret foetum ipsum in primis mensibus expellere; tunc Ballerini, Palmieri, Lehmkuhl, Gury aliique censent, eiectionem huiusmodi licitam esse. Idem dic si, ex uteri gravidi morbo, illum (operatione Porro) abscindere oporteret; tunc enim haec abscissio *directe* non foetum sed uterum respiceret.

ARTICULUS III.

DE BELLO.

2944. *Quid est bellum?* In genere est pugna multitudinis contra multitudinem sive diversi Status, sive diversae factionis. In primo casu *bellum* simpliciter, et in secundo *bellum civile*, vel *repressio seditionis* appellatur. Sic autem bellum distinguitur a *rixa*, quae est pugna paucorum vel singulorum contra paucos vel singulos sine praevio condicto; secus enim esset *duellum*.

2945. *Loquendo de bello unius Status contra alium, quomodo distinguitur?* 1° Potest esse *defensivum* vel *offensivum*, secundum quod ad aggressionem repellendam, vel ad iniuriam vindicandam iusve suum repetendum, ineatur: 2° *certe iustum*, vel *certe iniustum*, vel *dubie iustum*.

2946. *Quid exigitur ut bellum sit licitum?* Exigitur 1° ut sit iustum: 2° ut sit necessarium: 3° ut a Supremo Principe intimatum vel imperatum fuerit: 4° ut in illo contra ius gentium nihil fiat.

2947. *Quid de prima conditione:* IUSTUM? Oportet ut a parte contraria vera iniuria commissa fuerit vel hic et nunc committi velit. Exemplum habes in invasione iniusta; in usurpatione provinciae vel civitatis; in fractione pactorum; in gravi contumelia Principi vel Nationi illata; in gravibus offensionibus aut damnis quorum reparatio recusetur; in auxilio contra nos iniuste dimicantibus praestito; in bello iniusto contra alios (et maxime confoederatos) qui auxilium a nobis petant etc. Non itaque licet bellum facere ex sola ambitione, vel contra illos qui iuste bellum nobis inferant, quibus non iam resistere sed satisfacere oportet.

2948. *Quid de secunda conditione:* NECESSABIUM? Hoc exigitur, quia bellum mala immensa undequaque producit (occisiones innumeras, forte etiam innocentium, devastationes, expensas ingentissimas etc.). Si itaque ageretur de offensis non adeo gravibus, vel si pars adversa satisfactionem congruam dare esset parata, vel si utcumque res pacifice componi possent: utique tunc bellum illicitum foret.

2949. *Quid de tertia conditione:* A SUPREMO PRINCIPE INTIMATUM VEL IMPERATUM? Hoc exigitur propter necessitatem nedum maximae ponderationis, sed etiam directionis. Excipe nisi forte ageretur de aliquo parvo bello defensivo et cum spe boni effectus in casu flagranti, nec recurrendi ad Principem Supremum tempus suppeteret.

2950. *Quid de quarta conditione:* CONTRA IUS GENTIUM NIHIL PERAGATUR? Ius gentium consistit praecipue in pactis tacitis, fundatis in consuetudine, quae vel semper extitit vel noviter introducta fuit, quibus, etiam in bello, quaedam interdicta censentur. Hinc insidiae quidem, fictiones et stratagemmata consueta, licita erunt; non vero, v. g., veneno puteos inficere; mittere spiculatores clandestinos qui proditorie occidant Regem vel Duces; interficere legatos; vexillum pacis ficte explicare; non servare pacta induciarum vel pacis; cives pacificos, pueros, mulieres etc. di-

recte interficere; ad barbaras crudelitates procedere; continuare praelium contra cohortes (et a fortiori contra exercitum) dum iam arma deponant et se dedant. Aliud est de singulari milite, qui, fervente certamine, se dedere vellet. Dixi *fervente certamine;* eo enim cessante, milites captivi quidem reddi, sed non occidi possent. Cf. Gousset (*n.* 624 *et sqq.*).

2851. *An Principi liceat bellum facere in dubio de belli ipsius iustitia?* Supponendum imprimis quod dubium solvi nequeat. Deinde distinguere oportet. Bellum defensivum certe licebit; donec enim Princeps praetensionibus alterius cedendi obligationem non cognoscat, utique se defendere poterit. (Lehmkuhl *l.* 854). An autem bellum offensivum liceat, magna ex parte obscura res est. Ad vindicandam offensam de qua non certe constet, talem ac tantam poenam infligere certe non licet. In aliis casibus et controversiis licitum videtur bellum si de iustitia magna probabilitas habeatur. Idem (*l. c.*).

2952. *Quid de militibus qui de belli iniustitia certi sint?* Haec certitudo difficile haberi poterit (rationes enim potest habere Princeps, quas subditi non cognoscant); sed, supposito casu, milites *voluntarii* dimicare nequirent. Milites vero *coacti,* timore mortis aliarumve poenarum gravissimarum, utique possunt concurrere; sed ita ut adversarios (qui, iuxta hypothesim, certe essent innocentes) occidere nequirent, et proinde in aerem sclopum explodere deberent.

2953. Sed quid si miles qui ita ab occidendo, atque etiam ab aliis damnis inferendis, quantum potest, caveat, obviam habeat adversarium, qui ense illum interficere velit? Communiter dicunt, mortem potius esse patiendam; et haec decisio, actum adeo heroicum exigens, in maximam conscientiae turbationem magnumque peccandi periculum coniicit illos miserrimos, qui huiusmodi doctrinae notitiam habentes, ad exercitum se conferre et (si opus sit) dimicare coguntur. Eis itaque utilis esse poterit sequens doctrina, quam ex S. Antonino, Soto aliisque refert Tamburini (*VI.* I. *9*) inquiens: « Qui scit bellum in quo « militat esse iniustum, licite potest etiam in ipsa pugna (cum quadam cautione « iam iam afferenda) militem alterius iusti exercitus occidere, ne ipse ab hoc « occidatur. Ratio est quia iniustitia belli gerendi ex parte Principis non tollit « ius defendendi propriam vitam. Cautio autem est ut dictus miles iniustus ces- « set ab occidendo, et admoneat militem iustum de sua hac cessatione, nam « statim tunc non erit amplius miles iniusti belli, et sic poterit se defendere ». Reapse acciperetur pro inimico et aggressore, dum reapse amicus et innocens esset, et proinde se defendere posset. Cf. Lehmkuhl (*l. c. 858*) et Ballerini (*l. c. 149*). Nec valida est ratio Theologorum dicentium quod adversarius ius habet illum interficiendi propter delictum antecedenter commissum, dum ad bellum iniustum se contulit; revera enim (in hypothesi militis coacti atque a nocendo, ut snpra, abstinentis) ne antecedenter quidem delictum subsistit. Potior ratio esset quod adversarius, iure ipso belli, deditionem illam singularis

militis in aestu pugnae acceptare non tenetur, et potest illum occidere. Sed non repugnat dari posse casum duorum innocentium, quorum unus iure belli possit occidere, et alter iure innocentiae suae possit se defendere.

2954. *Quid de militibus, qui de belli iustitia ignari aut dubii sint?* Si Princeps bona existimatione gauderet, praesumendum esset bellum esse licitum, et sic milites, etiam voluntarii, possent (utique etiam occidendo) dimicare. Si e contra, propter notoriam Principis improbitatem, dicta praesumptio concipi nequiret, tunc milites voluntarii ad bellum accurrere non possent. Milites autem qui iussu proprii Principis bellum gerere coguntur, illud, sicut si certe iustum esset, gerere possent (etiam occidendo); donec enim quis est Princeps et societatem regit, nimia adest necessitas ut subditi, etiam in dubio, obtemperent. Aliunde ageretur de casu perplexitatis; periculum enim peccandi in militibus semper adesset, sive nempe occiderent (quia forte occisuri essent innocentes), sive non occiderent (quia forte iusto Principis imperio inobedirent et maximis damnis propriam nationem exponerent). Cf. Praxis (*n.* 3163) et Lehmkuhl (I. 854. 856. IV).

ARTICULUS IV.

DE DUELLO.

2955. *Quid est duellum?* Distinguere oportet inter duellum acceptum sensu stricto, et prout communiter fieri solet, poenisque ecclesiasticis subiicitur; et duellum acceptum sensu latiori.

Stricto sensu est pugna, quae, armis lethalibus et aequalibus, ex condicto (nempe praemissa conventione de loco, tempore et qualitate armorum), inter duos, quorum unus provocet (non vero cogat) et alius acceptet, sive usque ad ultimum sanguinem, sive usque ad primum sanguinem (ita tamen ut vulnus facile possit esse grave), sive denique usque ad certum ictuum numerum, absque legitima auctoritate perpetretur. Potest autem esse solemne et privatum. Cf. Baller. (*l. c.* 103), D'Annib. (*II.* 327), Villada (Cas. consc. *II. pag.* 343), Comment. Rom. Const. *Apostolicae Sedis* (*pag.* 550) etc.

2956. Sensu latiori autem, est pugna duorum, in qua dictae circumstantiae plus vel minus deficiant. Casus principales sunt sequentes:

I. Si ius haberes interficiendi alium cum quo duellum facis; quod accideret 1° Si esset tuus iniquus aggressor (quoad vitam,

vel bona fortunae, vel libertatem etc.); idque quamvis ille ipse arma tibi praeberet et diceret, v. g.: *aut dimica mecum, aut te occido* (nec esset alius evadendi modus): 2° Si duellum fieret ad finiendum vel evitandum bellum (ut fecit David cum Goliath): 3° Si Princeps duobus ad mortem damnatis concederet ut possent inire duellum, et victorem a morte liberaret. — In his casibus (uti patet) duellum licitum esset.

2957. II. Si duellum (attento modo quo fieret) nonnisi periculum alicuius levis laesionis includeret. Utique tunc a gravi culpa immune esse posset.

2958. III. Si pugna occisionis quidem aut laesionis gravis periculosa foret; sed fieret vel sine armis (v. g., solis pugnis); vel cum armis per se non lethalibus (v. g., baculo, saxis, ferro sine acie etc.); vel cum armis inaequalibus; vel sine praevio condicto circa locum, aut circa tempus, aut circa arma (prout contingere posset in rixa, etsi forte rixantes ad duellum in ipso loco vel in alio statim perficiendum se invitarent, aut illud ad tempus et locum indeterminatum remitterent). In his casibus pugna, quamvis forte duellum non appellaretur, a duello proprie dicto, quoad malitiam (si ratio defensionis deficiat), parum discreparet.

2959. *Dixisti, duellum esse posse solemne et privatum. Explica hanc distinctionem.* Dicitur *solemne* quando fit cum testibus (qui vulgo dicuntur *patrini*), et cum armis nedum in specie sed etiam in individuo praecise designatis (v. g. cum *his* duobus gladiis). — Dicitur autem *privatum* quando sine patrinis perpetratur.

2960. *Exceptis casibus recensitis supra (n. 2956. 2957), duellum estne semper graviter illicitum?* Affirmative.

Patet I. iure naturali; dum enim duellum facis, vis alium tecum duellantem occidere aut vulnerare, quin illum occidendi aut vulnerandi ius ullum habeas; neque refert quod ille consentiat; de vita enim illius nec tibi nec illi (quum solus Deus sit dominus vitae) disponere licet. Praeterea periculo mortis aut gravis vulneris exponis teipsum. Sic autem in duello tum homicidii tum suicidii malitia includitur. Adde periculum sic moriendi in ipso conflictu sine Sacramentis: adde turbationem familiarum: adde scandalum etc. Nec valent rationes sive vindicandi iniuriam, sive dirimendi litem, sive evitandi notam timiditatis, sive etiam amittendi gradum vel officium etc. Multo minus autem valent rationes ostentandi vires et dexteritatem, vel spectaculum populo praebendi, vel iudicium divinum

illo medio provocandi (quo postremo casu tentatio Dei interveniret). Denique, loquendo de solo reatu (non de excommunicatione, ut infra), non excusat metus, nisi metus ab ipso provocante proveniret, et res eo usque procederent ut pro vero aggressore (ut supra *n.* 2956 innuebam) ille considerari deberet.

Patet II. Iure canonico. Tridentinum (*XXV. XIX*) dicit: « Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo, introductus, « ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lu- « cretur, ex christiano orbe penitus exterminetur ».

Gravissimis etiam poenis, nempe excommunicationis Summo Pontifici simpliciter reservatae, infamiae, et privationis sepulturae ecclesiasticae (quamvis extra locum conflictus et cum signis poenitentiae ex vulnere accepto in duello mors accidisset), duellantes afficiuntur (Bened. XIV. Const. *Detestabilem*).

2961. Hae poenae incurruntur etsi solum ad primum sanguinem vel ad certum ictuum numerum, duellum perpetratum fuerit (Clemens VIII. Const. *Illius vices*). Excomunicationem autem incurrunt non solum duellum perpetrantes, sed etiam simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quilibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes (Pius IX Const. *Apostolicae Sedis*). Inter complices autem nedum patrini, sed etiam medicus et confessarius qui ex condicto cum duellantibus ad operam suam praestandam, vel etiam ad pugnae citius finem imponendi, illuc se contulerint, recenseri debent. (S. C. S. O. apud Acta *XVII. 601*).

2962. Attamen provocatio vel acceptatio ficta (nempe sine intentione duellum revera exequendi vel cum certitudine quod ab aliis impedietur) his poenis subiici non videtur in conscientia; etsi peccatum intervenire possit. tum quia aderit scandalum; tum quia, uno ficte provocante, alter vere acceptabit, aut vicissim. Baller. (*l. c. 106*) et Villada (*l. c. 353*).

2963. Spectantes autem ex industria ii solum esse censentur qui ex conventione vel eo modo palam ad locum conflictus se conferunt, ut quodammodo animum pugnantibus aut splendorem pugnae addant. Lehmkuhl (*II. 949*).

2964. Denique provocantes et acceptantes, duello quoque non secuto, poenas incurrunt; non item alii complices. Lehmkuhl (*l. c.*).

2965. Quod autem causae supra (*n.* 2960) recensitae a reatu non excusent, patet etiam ex sequentibus propositionibus; quarum prima ab Alex. VII, et aliae quinque a Benedicto XIV (*l. c.*) damnatae fuerunt.

I. « Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timidi- « tatis notam apud alios incurrat ».

II. « Vir militaris, qui, nisi offerat et acceptet duellum, tamquam formido- « losus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque of- « ficio, quo se suosque sustentat, privaretur; vel promotionis alias sibi debitae « ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive « offerat sive acceptet duellum ».

III. « Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis

« vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando « certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam ». (Attamen quoad poenas recole supra dicta *n.* 2962).

IV. « Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux vel « officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel of- - ficii ». Quoad excommunicationem tamen recole supra dicta *n. 2960.* (Cf. Villada *l. c. pag. 358*).

V. « Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum « ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum iactura pro- « pulsari nequit ». Hoc enimvero admitti potest solum casu quo offerens duellum tamquam iniquus aggressor haberi debeat.

VI. « Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civi- « tatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, « iustitia aperte denegatur ».

2966. Neque solum iure canonico, sed etiam a pluribus legibus civilibus, ut videre est apud Patroni (Dissert. *Il Duello*), duelli malitia recognita poenisque subiecta fuit. Vide etiam nostrum codicem poenalem (Art. 237-245).

CAPUT X.

DE SEXTO ET NONO DECALOGI PRAECEPTIS.

2967. Quum studium de hac materia reservari debeat ad tempus quo Sacerdotes ad confessionum audiendarum facultatem obtinendam proxime se disponunt, et minus expedire mihi videatur, ut tractatus adeo lubricus et periculosus in compendio, quod iuvenes in scholis prae manibus habent, inveniatur; de re ista, quam in opere, quod *Praxis Confessariorum* inscribitur, exposui, hic sileo prorsus.

CAPUT XI.

DE SEPTIMO ET DECIMO DECALOGI PRAECEPTIS.

Non furtum facies. — Non concupisces domum proximi tui etc. (Exod. XX).

2968. Quamvis haec praecepta respiciant tantummodo iustitiam servandam circa bona fortunae, tamen in hoc tractatu, claritatis gratia, praemittenda est notio de iustitia in genere, et huc illuc dicenda sunt aliqua de iustitia quatenus ad alia quoque bona refertur.

Materia ista vastissima est; sed in hoc brevissimo compendio scholastico solum principaliora, per summa capita discurrendo, exponi possunt.

Tractatus dividitur in duas partes. In prima de iustitia in genere eiusque violatione et reparatione; et in secunda de contractibus agendum est.

SECTIO I.

DE IUSTITIA IN GENERE EIUSQUE VIOLATIONE ET REPARATIONE.

ARTICULUS I.

DE IUSTITIA IN GENERE, DE DOMINIO, ALIISQUE NOTIONIBUS FUNDAMENTALIBUS.

2969. *Quid est iustitia?* Non loquor hic de iustitia *late sumpta* (quatenus, v. g., sumitur pro complexu omnium virtutum), et nequidem de iustitia *distributiva,* qua Princeps praemia et officia recte distribuit; aut de iustitia *vindicativa*, qua delinquentes puniuntur; aut de iustitia *legali,* qua subditi obedientiam Principi praestare tenentur; bene vero loquor de iustitia *presse sumpta,* quae *commutativa* appellatur, et definiri potest: *Virtus quae obligat ad non laedendum proximum circa ea, ad quae ius ita strictum habet, ut, in casu defectus, rectus ordo reparationem omnino exigat.*

Dixi *ad non laedendum proximum:* iustitia enim distinguitur imprimis a virtutibus, quae (uti aiunt) non sunt ad alterum, scilicet non respiciunt proximum, ut temperantia, fortitudo, castitas, fides, spes, religio etc.

Dixi *circa ea ad quae proximus ius strictum habet;* iustitia enim respicit proximum non quomodolibet, sed ita praecise ut vetet illum laedere in iure stricto (non vero quoad solam charitatem, gratitudinem etc.). Ius strictum autem est duplex; scilicet *ius ad rem* et *ius in re,* ut statim explicabo.

Dixi *ius proximi debere esse ita strictum ut, in casu defectus, rectus ordo reparationem omnino exigat.* Sic, v. g., famulus, qui praecedentis servitii salarium non recepisset, ius habet ut dominus nedum praestet ei salarium in futurum, sed etiam pro salario in antecessum non soluto illum compenset. E contra, quamvis pater ius strictum habeat recipiendi alimenta a filio ex pietate, tamen si filius illa non praestitisset, non ideo pater restitutionem (sicut famulus pro salario non recepto) exigere posset. Sic etiam pro obedientiae, vel simplicis fidelitatis, debitis non executis, ius strictum ad reparationem minime habetur. Idem dic de debito iustitiae legalis aut distributivae aut vindicativae, cui satisfactum non fuerit; nisi tamen hoc ita contigisset ut iustitia quoque commutativa laesa fuisset, ut infra explicabitur.

2970. *Quid est ius ad rem?* Est ius strictum ad habendam rem quae adhuc non habetur. Nomine autem rei intellige etiam actionem vel abstinentiam ab actione. Aliis verbis: ius ad rem est ius strictum ut alter aliquid (quod non adhuc tuum est) tibi aut aliis det, vel aliquid faciat aut non faciat. Sic ius strictum habes ut quis, v. g., tibi solvat pretium rei venditae, vel mercedem operis tui, vel legata; damna tibi illata reparet; faciat vel non faciat id, ad quod faciendum vel non faciendum se ex iustitia obligaverit: vi aut dolo non impediat alium ne tibi haereditatem relinquat, beneficium conferat etc.

2971. *Quid est ius in re?* Est ius ne tibi eripiatur res, quam, sive naturâ sive acquisitione, legitime habes vel possides. Sic *naturâ* habes vitam, facultates mentales, incolumitatem membrorum, libertatem etc. *Acquisitione* autem habere potes bonam famam, dignitatem, maxime vero bona fortunae; de quibus dominium, aut alia iura pleno dominio inferiora (v. g. ius usus, ususfructus, habitationis, simplicis possessionis, pignoris, custodiae etc.) acquiri possunt.

2972. *Quid est dominium?* Claritatis gratia praenotandum quod dominium potest esse *directum,* scilicet quoad rei proprietatem; et *utile*, scilicet quoad rei fructus sive naturales sive (prouti sunt pensiones fundi locati) civiles. Directum ordinarie est simul cum utili, et tunc *perfectum* seu *plenum* appellatur; interdum vero unus directum, et alter utile (ut in usufructu, emphyteusi et feudo) dominium habet; et tunc in utroque dominium *imperfectum* seu *non plenum* dicitur.

His praemissis, loquendo de dominio directo rei corporalis, hoc definiri potest: *ius quo res est propria cum exclusione aliorum, quo scilicet persona illam destruere potest, vel alienare, vel locare, vel saltem pro illa in recognitionem dominii aliquid exigere.* Dixi *persona,* sed hoc ita intellige ut etiam plures personae possint unius eiusdemque rei habere dominium in communi; et idem dic de societate, Civitate, Statu etc. Dixi: *alienare vel destruere potest;* et hoc intellige per se vel per alium (v. g. pupillus per tutorem); et sine alicuius iniuria, etsi forte illam licite destruere nequiret. Innui ius alienandi non esse de essentia dominii, et sufficere ius locandi, vel solum exigendi aliquid in recognitionem dominii ipsius; secus enim habentes fideicomissa (seu maioratus), et *directarii* in feudis et emphyteusibus (speciatim perpetuis) dominium directum (vetita eis fundorum venditione) habere non possent.

2973. *Quomodo praecipue distinguuntur res corporales,*

quae dominii obiectum esse possunt? Distinguuntur inter *immobiles* et *mobiles*. Notandum 1° quod illae res mobiles, quae rei immobilis partem (seu quid unum cum illa) constituunt (ut portae, tegulae domus, statuae in appositis murorum loculis collocatae etc.), aut quae ita sunt affixae, ut absque ruptione avelli nequeant, tamquam immobiles considerantur. Idem dic de arboribus et fructibus non adhuc avulsis aut collectis. Cod. it. (*A*. 407-415). Notandum 2° quod res mobiles possunt esse tales ut primo usu vel consumantur (ut pecunia, triticum etc.), vel non consumantur (ut libri, vestes etc.). In primo casu *fungibiles*, et in secundo *non fungibiles* dicuntur.

2974. *Quinam sunt modi acquirendi dominium?* Modi principales (qui sub se complectuntur multos alios modos secundarios) sunt duo: nempe dominium acquiri potest, interveniente occupatione aliisve necessariis, 1° *Voluntate prioris domini;* 2° *Vi legis.*

PUNCTUM I.

De modis acquirendi dominium voluntate prioris domini.

2975. *Quomodo dominium acquiri potest* VOLUNTATE PRIORIS DOMINI? 1° Per contractus: 2° Si dominus rem suam ita abiecisset vel dereliquisset, ut pateat eiusdem dominio renuntiare (casum habes in spicis, glandibus etc. quae post collectionem remanserint et pauperibus colligendae relinquantur): 3° Si ex aliis circumstantiis praesumendum sit dominum esse contentum ut rem alter accipiat et pleno dominio sibi applicet. In primo casu voluntatem *expressam,* in secundo *tacitam,* in tertio *praesumptam* seu interpretativam haberemus. Sed haec sunt explicanda.

2976. *Quomodo acquiritur dominium per contractus?* Hic est modus ordinarius; nempe per contractus, qui 1° sint legitimi (scilicet a lege non irritati), 2° dent ius *in re* et praecise quoad dominium directum. Huiusmodi sunt venditio, permutatio, donatio, mutuum, ludus etc., et saepe testamentum; non vero alii contractus quibus datur tantummodo *ius ad rem* (ut promissio), aut datur quidem *ius in re,* sed non dominium directum (ut locatio, commodatum, depositum etc., et aliquando testamentum, quo, v. g., solus ususfructus concedatur). Sed de contractibus ex professo agetur infra, ut dixi.

2977. *Quid notandum circa acquisitione dominii ex praesumpto domini consensu?* I.° Remanet quoddam vinculum, quod

scilicet dominus rem suam sumere posset, si forte illam vellet et sic praesumptio non esset iuxta veritatem. II.° Casus practici accidunt speciatim 1° In uxoribus, quae, absente marito, aliquam mariti ipsius rem consumant aut in eleemosynam dent. Idem dic de filiis et quandoque etiam de famulis, amicis etc.; 2° In illis qui pecuniam surripuerint, illamque (dum aliam pecuniam restituendam habent) expendant: 3° In illis qui res alienas surreptas domino nullatenus vel solum in aequivalenti restituere valeant; tunc enim illas (restituturi in aequivalenti) sibi applicare poterunt.

PUNCTUM II.

De modis acquirendi dominium vi legis.

2978. *Quomodo acquiri potest dominium* VI LEGIS? Vi legis sive naturalis sive positivae dominium acquiri potest 1° Si res sit nullius aut sine domino (independenter ab eius voluntate) remanserit. 2° Si rectus ordo exigat ut res, velit nolit dominus, alteri cedat.

§ I.

De casibus in quibus acquiritur dominium quia res sit nullius, aut sine domino remanserit.

2979. Hoc accidit 1° In animalibus quae sunt obiectum venationis aut piscationis: 2° In rebus inventis: 3° In thesauris: 4° In successionibus ab intestato et iure ad legitimam; 5° In rebus vacantibus.

In his praecipue casibus (exceptis successionibus ab intestato) ordinarie dominium acquiritur *per occupationem*, et res fiunt primi occupantis. Ad occupationem autem constituendam duo exiguntur; 1° rei apprehensio physica (sive manu, sive pede, sive vulnere, sive laqueo etc.), nec sufficit si quis prior illam videat: 2° animus illam sibi applicandi: unde si ab infante vel ebrio etc., aut ex curiositate aliove motivo (v. g., illam simpliciter amovendi), aut pro alio illam volenti, apprehenderetur, vera occupatio, quae dominium apprehendenti conferat, non constitueretur.

CASUS I.

Venatio et piscatio.

2980. ***Quid notandum in particulari circa animalia, quae sunt obiectum venationis aut piscationis?***

I. Inter animalia imprimis alia ex propria indole ab hominum conspectu abhorrent, et ista *fera aut sylvestria* dicuntur; alia e contra hominem nihil aut parum timent, vel etiam eiusdem consortio gaudent; et ista *domestica* appellantur.

2981. II. Loquendo de feris aut sylvestribus, plurima actu sunt semperque fuerunt nullius. Ad hanc classem pertinent ea omnia quae libere et longe lateque circumvagantur in aere vel terra vel aquis; quae scilicet nec capta fuerint nec industria hominum alicubi sedem fixerint. Hinc sunt nullius aves, accipitres, aquilae etc. in aere; belluae et serpentes in desertis et sylvis, lepores in campis etc.; pisces in mari, flumine, lacu, lacuna, canalibus etc.

2982. III. Animalia huiusce classis sunt certe obiectum venationis et piscationis; et, si (vulnere, laqueo, rete, hamo, etc.) capiantur, fiunt primi occupantis. Hic autem notanda sunt sequentia. 1° Animal ab uno vulneratum et ab alio captum esset vulnerantis, si vulnus fuisset adeo grave, ut manus illius effugere non potuisset; tunc enim physice et in substantia ab illo captum fuisset. 2° Animal quod insecutum ab uno in laqueum alterius incidisset, domino laquei (ut docet Lugo contra Molinam) attribuendum esset; physica enim apprehensio in insecutore nullatenus verificata fuisset. 3° Qui venatur in fundo alieno, invito domino, poterit quidem teneri de damnis, si (eo quod fundus ipse fuisset non apertus sed sepe circumdatus vel seminatus) transitu ius illius strictum violasset, eique, conculcatione segetum vel dissipatione ferarum, vere nocuisset; sed hoc non obstabit quominus captorum animalium dominium acquirat; dominus enim fundi quidem, sed non horum animalium, dominium haberet. 4° Qui venantur in loco reservato (it. *caccia bandita*) aut piscantur in lacu prohibito aut locato, utique tenentur compensare quantum detrimenti passus est reservatarius vel locatarius propter animalia capta; sed eorundem dominium acquirunt; reservatarius enim vel locatarius habet quidem ius venandi vel piscandi, non vero animalium, antequam illa coeperit, dominium; et quae a venatoribus vel piscatoribus illicite capta fuerunt, eiusdem manus effugere poterant.

2983. IV. Haec animalia, postquam capta fuerint, donec ligata, aut (v. g., in cavea vel piscina) clausa detinentur, sunt sub dominio detentoris. Idem dic si ita *cicurata* seu *mansuefacta* evasissent, ut, ea quoque libera relinquendo, domi remanere assueta evasissent. Sed quid si casu fugerent? Si illorum recuperatio statim desperata evaderet (ut in avibus contingere solet), tunc dominium statim amittitur, et animalia, quae sic pristinam libertatem absolute recuperassent, statim (sicut antea) nullius evaderent, et proinde obiectum venationis denuo esse possent. Si vero dominus haberet spem illa utiliter insequendi, vel utcumque recognoscendi atque recuperandi (ut, v. g., in simiis, ursis etc. facile contingeret), tunc dominium pro eo tempore perduraret. Caeterum observandae sunt etiam leges civiles; quae plus vel minus temporis ad illa insequenda, vel (si ab aliis capta fuissent) reclamanda, concedunt. Cf. Cod. it. (*a.* 713).

2984. V. Animalia sylvestria quae solent sedem figere in aliquo loco, simulque post aliquod tempus, vel quibusdam datis circumstantiis, ita effugere ut illorum recuperatio vel detentio impossibilis evadere possit (ut in apibus, cuniculis sylvestribus, columbis agrestibus, pavonibus etc. contingere solet); si sponte apud te sedem constituant, vel tu (dum prius erant nullius) illa coeperis, tua erunt, eorumque dominus remanebis, donec consuetudinem revertendi conservent, et proinde tunc obiectum venationis esse nequirent. Si autem sedem, quam apud te habeant, derelinquant, dominium tuum perdurabit solum donec illa (adhibendo media consueta, prout fit circa examina apum) ad te sicut prius reducendi spem habeas. Qui tamen dictos columbos vel cuniculos tuos ad suum columbarium aut vivarium ex industria attraheret, ad damni reparationem (etsi forte illorum nihilominus dominus evaderet) teneretur. Cf. Cod. it. (*A.* 462 cum not.).

2985. VI. Loquendo nunc demum de animalibus domesticis (cuiusmodi sunt canes, equi, aselli, boves, oves, sues, gallinae, columbi non agrestes et cuniculi non sylvestres etc.); haec considerantur sicut aliae res; eorumque proinde dominium non amittitur, nisi ea ipsa ita amittantur, ut, iuxta regulas hic statim explicandas circa res inventas, inventor illa sibi applicandi ius habeat. Huiusmodi itaque animalia obiectum venationis esse nequeunt. Hoc tamen non impedit quominus aliquando propter damna (v. g., si canis gallinas comederet) occidi possint.

CASUS II.

Inventio.

2986. *Quid notandum in particulari circa res inventas?*

I.° Si res inventa sit fructus vel pars fundi (ut venae metallicae aut fontes aquarum mineralium); tunc spectat ex toto ad dominum fundi; nisi leges civiles aliud determinent.

II.° Si res inventa nunquam dominum habuerit (ut lapilli in fundo vel littore maris) fit primi occupantis. Idem dic de rebus voluntarie a domino reiectis (ut supra dicebam).

2987. III.° Si res inventa a proprio domino amissa fuerit, non statim fit inventoris; amissio enim non efficit ut dominus statim dominium perdat. Patet 1° ex sensu communi omnium, qui res suas amissas quaerunt atque ab inventoribus repetunt: 2° ex legibus civilibus, quae inventores illas sic et simpliciter sibi applicantes puniunt *: 3° ex doctrina Ecclesiae, dicente Catechismo Rom.: *Sunt fures etiam qui,.... res.... inventas retinent, ait enim S. Augustinus: Si invenisti et non reddidisti, rapuisti.*

Dixi *non statim:* quibusdam enim servatis conditionibus potest inventor dominium acquirere; idque tum ex legibus civilibus, tum ex lege naturali.

Lex civilis apud nos rem inventam inventori pleno iure adiudicat, si illam Syndico loci consignaverit, et, publicationibus factis, intra biennium dominus non comparuerit.

Enimvero codex (Art. 715-718) dicit: *Chi trova un oggetto mobile, che non sia tesoro, deve restituirlo al precedente possessore: e, se non lo conosce, deve senza ritardo consegnarlo al Sindaco del luogo dove l'ha trovato. Il Sindaco rende nota la consegna anzidetta per mezzo di pubblicazione nelle forme consuete da rinnovarsi in due domeniche consecutive. Passati due anni dal giorno della seconda pubblicazione, senza che si presenti il proprietario, la cosa, oppure il suo prezzo...., appartiene a chi l'ha ritrovata. Tanto il proprietario quanto il ritrovatore, ripigliando la cosa o il prezzo, devono pagare le spese per essa incorse. Il proprietario deve pagare a titolo di premio al ritrovatore, se questo lo richiede, il decimo della somma o del prezzo comune della cosa ritrovata. Ove tale somma o prezzo ecceda le due mila lire, il premio per il soprappiù sarà solo del vigesimo.*

2988. Inventor in rebus non solum parvi, sed etiam (probabiliter) magni momenti, non tenetur in conscientia hanc legis

* Cod. it. poen. A. 420 dicit: « È punito, a querela di parte, con la detenzione sino ad un' anno o con multa da lire cinquanta a mille, chiunque, trovate « cose da altri smarrite, *se le appropria* senza osservare le prescrizioni della « legge civile ».

civilis normam sequi. (Praxis *n.* 1672). Quatenus autem soli iuri naturae stare velit, meo sensu, ius naturae dictat, ab interpretativa et rationabili domini voluntate regulam esse sumendam. Hinc

1°) Inventor rem inventam et in periculo constitutam semper sumere poterit; sed (supposita spe dominum inveniendi) solum cum intentione eam illi reddendi, si futurum sit ut appareat, vel (congrua media adhibendo) inveniri valeat. *Poterit* (inquam), sed non tenebitur, nisi charitas (attento rei valore, et facilitate illam custodiendi etc.) id exigat.

2°) Hac autem intentione rem sumendo, inventor celebrat quasi-contractum, qui dicitur *utilis negotiorum gestio;* obligat scilicet seipsum ad adhibendam moralem diligentiam, ut negotium domini circa rem eandem utiliter gerat.

3°) Imprimis illam custodire debet; et, si forte eam vendere oporteret vel expediret, eiusdem pretium servare teneretur.

4°) Ordinarie dominus comparet, nempe sponte sua seipsum cognoscere facit (affigit, v. g., monitum in publicis viis; vel curat ut publicationes fiant in ecclesiis aut diariis etc.); et tunc res ei erit restituenda.

5°) Saepe autem contingit quod ex una parte dominus sic non compareat (media scilicet praedicta non adhibeat, quia facile illa adhibere non possit, aut bonum exitum non speret; vel inventor ea fuisse adhibita non adverterit); et ex alia inventor ipse ex circumstantiis percipere valeat, aliqua media spem praebere dominum inveniendi. Huiusmodi essent, v. g. inquisitiones facere apud vicinos; rei inventae notitiam in Ecclesia publicare; admonere illos, ad quos dominus verisimiliter recursum habebit, ut puta, si res in Ecclesia, vel theatro, vel statione viae ferreae etc. inventa fuisset. Haec profecto, et similia media idonea, plus vel minus, iuxta maiorem vel minorem rei inventae valorem, spem boni effectus et gradum facilitatis, sunt adhibenda; et quidem non ex sola charitate (ut aliqui perperam dicunt), sed (propter praedictum quasi-contractum) ex iustitia; idque maxime si coniiciendum esset quod dominus facilius rem suam invenisset, si a nemine, vel ab alio huiusmodi diligentias adhibituro, sumpta fuisset. Cf. Scavini (*II.* 320).

6°) Diligentiis adhibitis, adhuc proportionato temporis spatio erit expectandum. Dico *proportionato;* plus enim erit expectandum si res sit magni valoris, aut dominus non censeatur vicinus etc. Arbitrio autem viri prudentis id poterit determinari.

7°) Hoc quoque tempore transacto, nec domino comparente, multi dicunt, rem aut eius pretium pauperibus dari debere, iuxta praesumptam domini voluntatem. Sed alii (meo sensu verius) docent praesumi quidem posse tale esse domini desiderium, sed non voluntatem absolutam (saltem rationabilem); quis enim de rebus inventis a periculo eripiendis et custodiendis, atque insuper de inquisitionibus faciendis, sollicitus erit, si tandem nihil lucri sperare poterit, et domino non comparente rem pauperibus dare debebit? Potius itaque praesumendum est, rerum amissarum dominos esse contentos quod, si inventores rem sumpserint animo illam custodiendi et reliqua praestandi (ut supra), possint etiam in praemium, si de facto haec praestaverint et dominus non comparuerit, de illa (ne in perpetuum eam custodire et servare cogantur) pro libitu suo disponere; ita tamen ut (nisi praescriptio legitima, per possessionem animo domini, apud nos, duobus annis continuatam, intercesserit) dominium absolutum non transferatur; sed quoddam vinculum remaneat, res scilicet domino sit restituenda, si forte (praeter expectationem) postea compareat et rem suam repetat. Idem dic de pretio, vel de quanto inventor factus fuerit ditior, si forte res tunc vendita vel destructa fuisset. Ita docent Sotus, Lessius (*II.* xiv. 48), Laymann etc. Equidem plures dicunt, rem evadere nullius, atque adeo sub dominio inventoris transire modo absoluto, et domino comparenti atque reclamanti non esse reddendam. Sed hoc (si quid opinor) esse non potest; in casu enim nec voluntate domini, nec necessitate naturali, nec lege positiva (quum praescripta legis civilis praestita non fuerint), uno verbo, nulla ratione dominium sic transfertur; unde etiam iudicialiter res repeti posset. Certe tamen res evaderet nullius, si quod dominus compareat et rem suam esse comprobet, iam impossibile esset.

8°) Comparente domino, res vel pretium ei tradi debet, sub duabus conditionibus; oportet enim 1° ut clare et indubie probet illam revera esse suam (aut a se possidendam): 2° ut de expensis et curis etc. propter illam toleratis inventorem (qui gratis haec praestare non intenderit) compenset.

9°) Si inventor diligentias, quas ad dominum inveniendum facere debuisset, non fecisset; tunc (si adhuc fieri nequeant), illo non comparente, rem ex toto (non vero, ut aliqui dicunt, solum pro rata spei quae aderat dominum inveniendi) pauperibus (iuxta praesumptam domini voluntatem) tradere deberet.

10°) Si denique inventor iam inde ab initio animadvertisset

impossibile esse quod dominus rem suam recognoscere possit aut recuperare velit; tunc statim illam sibi applicare ei liceret. Exemplum habes si quis in via, ubi plurimae transeunt personae, obolum invenisset, aut res parvi momenti a fluminis exundatione deportatas expiscasset; in primo enim casu dominus probare nequiret obolum esse suum, et in secundo pretium expiscationis et deportationis rei valore longe maius foret. Aliud esset si de rebus notabilis valoris (v. g de magnis cennabis acervis) ageretur; aut si quis res propter incendium in viam, aut propter naufragium in mare proiectas collegisset; res enim a periculo salvae, pro domino suo salvae evadunt.

CASUS III.

Thesaurus.

2989. *Quid notandum in particulari circa thesauros?*

I.° Thesaurus est obiectum sepultum vel absconditum, pretiosum, cuius nemo probare possit se esse dominum (Cod. it. *A*. 714).

Tria itaque exiguntur: 1. ut agatur de obiecto sepulto (in terra vel muro) aut quomodolibet (v. g. in secretiori arcae loco) abscondito: 2. ut obiectum sit pretiosum (v. g. multa pecunia, statua magni valoris etc.); secus, tamquam res simpliciter inventa (quae absolute evasisset nullius) consideraretur, et ex toto inventori cederet (exemplum habes in invenientibus sub terra numismata et similia parvi momenti): 3. ut nemo probare possit se esse dominum; quod contingeret quamvis constaret quaenam familia habitaverit ubi thesaurus invenitur; nisi etiam de persona quae illum deposuerit eiusque praesentibus haeredibus constaret. Antiquitas autem, quae iure romano exigebatur, iure novo italico non exigitur.

II.° Iure naturae thesaurus esset inventoris ex toto: sed iure italico (conformiter iuri romano) totus est inventoris solum quando repertus sit in fundo proprio. Repertus autem in fundo alieno, si casu (dum, v. g., operarius terram effodit vel domum destruit), partim est inventoris et partim domini fundi (attamen aliqui dicunt hoc esse verum solum post iudicis sententiam); si e contra ex industria repertus fuisset, videndum an inventor vel 1° pro domino (mandante ut eius nomine thesaurus inquiratur); vel 2° ex simplici licentia domini (qui scilicet, nihil pro se exigens, sit contentus ut alter thesaurum inquirat); vel 3° domino nihil sciente, processerit. Thesaurus ex toto in primo casu erit domini (secluso pacto speciali); in secundo inventoris; in tertio domini fundi. Attamen in hoc tertio casu communiter

docent agi de lege poenali, atque adeo partem, quae (si industria non intervenisset) ad inventorem spectaret, tradendam esse domino non iam statim in conscientia, sed solum eo reclamante et iudicis interveniente sententia. De his omnibus Cf. Praxis (*n.* 1676 *et sqq.*).

Notandum quod dominus fundi non est usufructuarius, vel beneficiatus; unde si thesaurus in fundo beneficiali inveniretur, pars non iam beneficiato, sed Ecclesiae tradenda foret.

CASUS IV.

Successiones ab intestato et ius ad legitimam.

2990. ***Quid de successionibus ab intestato et de iure ad legitimam?***

I.° Successio ab intestato intervenit quando quis moritur sine testamento; unde eius bona et iura *vi legis* transeunt ad personas quae a lege ipsa haeredes constituuntur. Mortuo, v. g.. patre sine testamento, eius haereditas devolvitur ad filios et (aliqua ex parte) ad uxorem.

II.° Ius ad legitimam intervenire potest quando quis moritur cum testamento, sed ita ut disponere possit de bonis suis solum in parte, et alia pars *vi legis* ad quasdam personas devolvi debeat. Mortuo, v. g., patre cum testamento, medietas eiusdem bonorum ad filios necessario devolvitur.

III.° Argumentum istud pro explicationibus ad tractatum de contractibus remittitur.

CASUS V.

Bona vacantia.

2991. ***Quid in particulari de bonis vacantibus?***

I.° Bona, quae a Theologis vacantia appellantur, sunt quae a defuncto ita relinquuntur, ut in eo casu lex civilis vocet haeredem fiscum (nempe publicum aerarium), quod maxime contingit quando quis moritur intestatus sine uxore, sine ascendentibus, sine descendentibus et sine collateralibus usque ad decimum gradum computationis civilis, nempe usque ad quartos consobrinos inclusive (Cod. it. *a.* 758): qui casus speciatim in expositis (it. *trovatelli*) verificari potest. Idem dic si dicti hae-

redes adessent quidem, sed vel prorsus ignoti atque irreperibiles forent, vel haereditati renuntiassent.

II.° De his bonis scribit Gury (*I.* 576): « Iure naturali primi « occupantis fiunt.... De iure positivo communiter Reipublicae « tribuuntur. Hoc tamen ex consuetudine ad sola immobilia « restringendum videtur, saltem ante iudicis sententiam ». Et addit sic sentire Carriere post plures iurisperitos. (Cf. Cod. adnot. *A.* 758).

§ II.

De casibus in quibus dominium acquiritur vi legis, quia rectus ordo exigat ut res, velit nolit dominus, alteri cedat.

Casus huiusmodi contingunt 1° In extrema necessitate (et subinde in quibusdam aliis necessitatibus) : 2° In occulta acceptione iure compensationis vel simili : 3° In praescriptione : 4° in accessione: 5° In confiscatione et expropriatione coacta, quae publica auctoritate legitime peragatur. Explico solum primos quatuor casus; quintus enim explicatione non indiget.

CASUS I.

Necessitas extrema et subinde quaedam aliae necessitates.

2992. *Quid de casu* ***necessitatis extremae?***

I.° Ut necessitas extrema constituatur, oportet 1° ut agatur de malo horribili (cuiusmodi esset mors aut mutilatio): 2° ut malum ipsum sit imminens: 3° ut quodcumque aliud medium omnino desit: 4° ut agatur de casu rarissimo et prorsus extraordinario (non vero, v. g., de capienda re aliena ad evitandam mortem naturalem).

II.° In extrema necessitate rem alienam invito quoque domino sumere licet, tunc enim omnia sunt communia. Sumi possunt etiam res magni valoris, nec postea pro illis destructis pretium erit solvendum. Cf. Praxis (*n.* 1253).

2993. *Quid de sumenda re aliena* ***in quibusdam aliis necessitatibus?***

I.° Hoc in puncto non possunt habenae laxari; secus enim alienarum rerum ablationibus ianuam nimis latam aperiremus;

unde damnata fuit propositio: « Permissum est furari non so« lem in extrema necessitate, sed etiam in gravi ».

II.° Attamen Theologi (etiam primi subsellii), non obstante damnatione huius propositionis (quam dicunt fuisse damnatam solum ob suam generalitatem), concedunt rem alienam sumi posse, equidem etiam ob necessitatem non extremam, sed in talibus circumstantiis, ut ianua (ut supra) furtis non aperiatur et dominus non sit rationabiliter invitus. Hinc exigunt 1° ut de casibus suapte natura raro occurrentibus agatur: 2° ut dominus tunc rei suae veram necessitatem non habeat: 3° ut vel agatur solum de ablatione momentanea sine rei destructione, vel aequivalens (si media suppetant) restituendi intentio adsit. Exempla. Ad cooperiendam tuam nuditatem, aliis supervenientibus, nonnisi vestem alienam (qua dominus ad se cooperiendum hic et nunc non indigeat) ad manus habes — Ad evitandum gravem dolorem capitis diurnum vel biduanum, indiges uno pane, quem dominus facillime dare posset, et rogatus forsan vel certe dare nollet. Lugo.

Hoc autem maxime verum est si ad impediendum grave malum non tuum, sed alienum, vel domini ipsius (in quibusdam casibus urgentissimis aut raro occurrentibus) id faceres. Titius, v. g., se ipsum aut alium gladio aut veneno occidere vult, et ego gladium ei aufero, aut venenum in terram abiicio. — Cajus, quando habet pecuniam, in ludis et ebrietatibus illam dissipat, et proinde eius uxor (non vero alia persona extranea) tempestive pecunia ipsa eum expilat. Cf. Praxis (*n.* 1251 *et sqq.*).

CASUS II.

Acceptio rei alienae iure compensationis vel simili.

2994. *Quid est compensatio?* Compensatio hic accipitur pro acceptione rei alienae, quam quis privata auctoritate exequitur ratione vel praetextu se compensandi in aequivalenti de damnis sibi illatis vel inferendis (qua in re compensatio stricte dicta consistit); aut habendi quod utcumque sibi debetur.

2995. *Compensatio estne licita; et sufficitne revera ut rei in compensationem acceptae dominium acquiratur?*

I. Licita ut certe, iuxta omnes: ita tamen ut quaedam exigantur conditiones: 1. ut sit iusta: 2. ut sit necessaria et cauta:

3, ut propter circumstantias et consequentias mala non evadat: 4. ut non sit violenta.

II. Sufficit revera ut rei sic acceptae dominium acquiratur (unde, si res ipsa periret, accipienti periret); attamen heic quoque vinculum remaneret, quatenus scilicet priori domino esset restituenda si forte illam reclamaret, et debito suo satisfacere paratus esset. Lugo.

Nunc conditiones praedictae sunt explicandae.

Conditio I.

Compensatio debet esse iusta.

2996. *Quid exigitur ut sit iusta?* 1. Ut iure stricto iustitiae vel pietatis aliquid tibi debeatur: 2. Ut debitum nec compensatum evaserit, nec elisum remanserit: 3. Ut non sit excessiva: 4. Ut fiat contra verum debitorem, atque ex bonis illius, nec iura cuiusquam laedat: 5. Ut non fiat in bonis, de quorum ablatione debitor praesumi debeat rationabiliter invitus: 6. Ut a debitore tuo directe vel indirecte laesus fueris in bonis fortunae: 7. Ut res sit non dubia sed certa: 8. Ut debitum sit maturum et liquidum.

2997. *Cur dixisti oportere ut **iure stricto iustitiae vel pietatis aliquid tibi debeatur?***

1. Non sufficit ut aliquid tibi sit debitum ex sola charitate, vel gratitudine, vel simplici fidelitate, vel mera congruentia.

II. Oportet ut agatur de iure stricto sive *iustitiae* (eo quod v. g. fraudationem mercedis, furtum, damna iniusta etc. passus fueris); sive *pietatis*, quod contingeret si filius vel pater alimenta (scilicet victum, vestitum etc.) stricte sibi debita sumeret. Dixi damna *iniusta;* non enim sufficerent damna, quae sine ulla iustitiae laesione alicui quis forte intulisset, v. g. si dominus famulum vel colonum, finito conventionis tempore, dimisisset; aut si quis, negotium aperiendo, occasio fuisset cur adventores a te recessissent; aut si quis iuste te accusasset etc.

2998. *Cur dixisti **oportere ut debitum nec compensatum evaserit, nec elisum remanserit?***

I. Compensatum evaderet, si, v. g., dominus fundi pacta graviora colono imposita pactis mitioribus compensaret.

II. Elisum remaneret, si v. g. iniustum damnum passus quidem fuisses, sed simul intulisses.

2999. *Cur dixisti oportere ut* ***compensatio non sit excessiva***?

Hoc per se patet; et casum habes in colonis qui, ad se compensandos pro uno, surripiunt decem; vel, dum rector familiae iam compensationem executus fuit, uxor quoque et filii alias compensationes superaddunt. Hinc si ovis tibi ablata fuisset, neque posses te compensare nisi auferendo vitulum, pretii excessum restituere deberes. Et si te compensasses, et debitor eiusve haeres (secutae compensationis ignarus) debitum tibi solveret; tunc pariter restituere deberes. Cf. Praxis (*n.* 1219).

3000. *Cur dixisti oportere ut* ***compensatio fiat contra verum debitorem, atque ex bonis illius et sine laesione iurium cuiusquam***?

I. *Contra verum debitorem.* Hinc damnificante filio, uxore, famulo, ministro etc. nomine proprio, nequis te compensare contra patrem, maritum, haerum, dominum etc.

II. *Ex bonis illius.* Hinc 1. nequis accipere quae sunt quidem apud tuum debitorem, sed, v. g., commodata vel furtiva; vel ad illius uxorem vel fratres etc. spectantia: 2. Nequis te compensare exigendo (v. g. fictione mandati) credita a debitoribus debitoris tui; illi enim debitum iterum solvere cogerentur, et sic rebus suis fraudulenter expilarentur: 3. Poteris quidem te compensare ex pecunia quam tuus debitor per te mittit ad tertium (antequam ad eum pervenerit), sed non ex pecunia quam tertius ad debitorem tuum mittit, nisi a debitore ipso vel eius mandatario acceptata fuisset. (Praxis *n.* 1220).

III. *Sine laesione iurium cuiusquam.* Hinc nequis auferre rem debitoris tui existentem apud tertium, si ei obligata sit (v. g. si illi data esset in pignus, aut commodata, aut locata etc.); tunc enim eidem tertio (qui nihil tibi debet) veram iniuriam inferres. Praxis (*n.* 1221).

3001. *Cur dixisti oportere ut compensatio* ***non fiat in bonis, de quorum ablatione debitor praesumi debeat rationabiliter invitus***? Exemplum. Loco sumendi pecuniam tibi debitam (prouti posses), equum ei carum vel hic et nunc ei necessarium surripis. Praxis (*n.* 1222).

3002. *Cur dixisti oportere ut* ***in bonis fortunae directe vel indirecte iniuste laesus fueris***?

I. Laesio directa contingeret, v. g., furto, rapina, usura, fraude in contractibus etc.; indirecta autem contingere posset ex laesionibus in alio genere, v. g., calumnia, stupro, vulnere etc., si nempe damna in bonis fortunae exinde sequerentur.

II. Si vero offensus in alio genere (v. g. calumniâ, contumeliâ etc.) non ideo in bonis fortunae laesus remansisset, tunc satisfactionem quidem (famae, honoris etc.) exigere, sed non aliis offensoris rebus se compensare posset; secus enim infinitis rerum alienarum ablationibus ianuam aperiremus. Attamen post factum, si nempe offensus in alio genere rem aliquam offensori iam abstulisset, et ille satisfactionem denegaret; tunc a rei ablatae restitutione probabiliter abstinere posset; non enim cogeris ius suum alteri reddere, si ille recuset reddere tuum. (*l. c.* 1223).

3003. *Cur dixisti oportere ut agatur de re non dubia sed certa?* Haec regula cum discretione intelligi debet. Distinguendum est imprimis inter dubium *iuris* et dubium *facti*. In dubio *iuris*, compensatio licet, si nempe probabile sit quod in talibus vel talibus circumstantiis compensatio liceat. Sic, v. g., probabile est quod filius qui longe magis aliis fratribus laboravit (dum non tenebatur, nec gratis laborare intenderit) se compensare possit. Praxis (*n.* 1215. 1227). In dubio autem *facti* subdistinguendum est inter dubium an debitum fuerit solutum, et dubium an debitum fuerit contractum. In dubio an fuerit solutum (intellige semper si dubium post accuratas inquisitiones et considerationes adhuc permaneat), compensatio licet; in dubio enim nemo est privandus iure sibi quaesito, pro eoque stat possessio, et sic etiam in foro externo iudicaretur. Exemplum habes in haeredibus creditoris defuncti, qui contra illius debitores ius habent, quamvis isti dicant se debitum solvisse et de hoc docucumenta non certa sed dubia et ambigua praebeant. Casus itaque in quo compensatio in dubio non licet, est quando dubitas an debitum erga te contractum fuerit. Ovem vel gallinam etc. perdidisti, et suspicaris a vicino tuo fuisse surreptam. Si tamen dubium de furto esset valde fundatum, etsi ne tunc quidem ad compensationem procedere liceret, tamen post factum videri posset quod non ex toto ad restitutionem tenearis. Cf. Praxis (*n.* 1228-1240. 1384 *et seqq.*).

3004. *Cur dixisti oportere ut debitum sit maturum et liquidum?* Haec quoque conditio cum mica salis intelligenda est; compensatio siquidem etiam propter periculum quod debitor debito suo non sit satisfacturus, permittitur, si hoc periculum sit verum, ut puta, si debitoris negotia corruere incoeperint; tunc enim creditor ius habet ad pignus. Idem dic a fortiori si non de periculo, sed de certitudine ageretur. Si tamen res pro compensatione ablata esset fructifera, fructus ante debiti maturitatem percepti, non iam ad illum qui se compensavit, sed ad debito-

rem spectarent. Denique vinculum semper semaneret rem ipsam restituendi, si forte futurum esset ut debitum solvatur.

Conditio II.

Compensatio debet esse necessaria et cauta.

3005. I. Debet esse *necessaria;* oportet scilicet ut causâ sufficienti excusetur; agitur enim de re quae nedum hallucinationis nimiaesque libertatis cum damno proximi, sed etiam aliis periculis, v. g., discordiarum, scandali etc, exponitur.

II. Causae sufficientes essent, v. g., impossibilitas probandi debitum in iudicio, evitatio litium aut magnarum expensarum, periculum amittendi benevolentiam debitoris et damna exinde subeundi (si debitum aperte exigeretur). Pro compensationibus autem leviusculis causae minores sufficerent.

III. Quod autem debeat esse *cauta,* patet ex dictis periculis; unde notandum quod ordinarie solum cum confessarii aut viri prudentis approbatione fieri potest.

Conditio III.

Oportet ut compensatio, propter circumstantias et consequentias, mala non evadat.

3006. Exempla. Potest adesse periculum ne qui se compensat detegatur et tamquam fur ab officio, a servitio, a fundo etc., cum sui suaeque familiae ruina, eiiciatur. Potest adesse periculum ne, v. g., filii, qui vident patrem rem alienam auferentem, scandalizentur; vel ne aliquis alius (v. g. famulus, aut rei ablatae depositarius, custos etc.) de furto aut incuria culpetur; vel ne iurgia sequantur, familiae pax turbetur etc. Quis non videt quod, si ruina praevisa sit magna et si debitum sit exiguum, charitas exigit ut creditor patientiam adhibeat et potius illud minoris momenti detrimentum patiatur? Idem dic si tu esses dives admodum, et propter compensationîs executionem alii creditores pauperrimi et multi, insoluti remanere cogerentur; saltem si de summa non adeo magna ageretur; speciatim vero si illi, ex maiori antiquitate crediti vel aliis de causis, ius praelationis plus vel minus certum haberent.

Conditio IV.

Oportet ut compensatio non violenter sed occulte peragatur.

3007. Ratio est quia ablatio violenta licet solum iure defensionis quando res tua adhuc existit in se et non pacifice vel clandestine detinetur, ut dixi supra (*n.* 2926. *III*); non vero quando *ius ad rem* tantummodo habetur iuxta dicta (*n.* 2921).

QUAESTIO.

Si in compensatione peragenda praedictae conditiones servatae non fuissent, adessetne onus restitutionis?

3008. Si compensatio fuisset certe iniusta, affirmative: si fuisset dubie iusta, vide dicta (*n.* 3003); si autem defecissent solum aliae conditiones, negative.

Varii casus practici.

3009. *Casus I.* **Colonus** se compensat dicendo. — 1. Pacta sunt nimis gravia; 2. Servitia et opera praesto aliaque incommoda suffero, ad quae ex pactis non teneor; 3. Dominus pactis non stetit; 4. Pacta immutavit eaque graviora reddidit: 5. Partem fundi mihi abstulit, vel arbores et vites evertit et nihilominus taxam non diminuit; 6. Quando in fine anni rationes conferuntur *(si fanno i conti)*, me defraudat; 7. Domini minister damna mihi affert; 8. Dominus absque ulla ratione me e fundo eiecit. — Ob haec motiva potestne colonus iuste se compensare?

R. Quoad *primum:* Si pacta sint vere iniusta, affirmo. Iniusta autem censeri debent 1. Si iam clare sint graviora illis quae communiter in loco adhibentur. Sed observandum (ut supra innuebam) ne forte dominus fundi alia pacta plus aequo mitiora adiecerit, quae plus aequo graviora compensent (Exigit, v. g., plus aliis in vecturis, servitiis, pullis gallinaceis, ovis etc.; sed, ad haec onera compensanda, exigit minus in taxa pecuniaria). Iniusta censeri deberent etiam 2. Si ex una parte, propter rerum complicationem et difficilem aestimationem, non conspiceretur an summatim sint, necne, iuxta illa quae communiter adhibentur; et ex alia parte (iuxta assertionem poenitentis) familia esset apta atque proportionata fundo, multum et bene laboraret, in omnibus parsimoniam adhiberet, et nihilominus propria reddituum pars pro alimentis non sufficeret. Cf. Encycl. *Rerum novarum* SS. D. N. Leonis XIII, et interpretationem allatam apud *Monitore Eccl.* VII. II. 155. 212. In dubio tamen pro pactorum iustitia standum erit, et practice certitudo de iniustitia non adeo facile habebitur.

Quoad *secundum,* adverti debet 1. Quaedam adesse servitia quae communi sensu non mercedem ex stricta iustitia debitam, sed solam gratitudinem postulant; cuiusmodi sunt servitia, quae a colonis praestantur quando interdum

(v. g. die festo) domini domum adeunt, nisi essent excessiva et severe exigerentur 2. Aliqua praestari debere a colonis, quamvis in pactis non exprimantur, quia subintelliguntur; cuiusmodi sunt munera quae servis et ministris domini a singulis colonis tribui solent. Si autem agatur de laboribus, qui communi sensu mercedem postulent, nec expresse nec tacite in pactis comprehendantur; tunc, si dominus illos postulet aut omnino exigat debitamque mercedem non rependat, compensatio locum habere potest. Sed hic quoque adverti debet 1. ne forte dominus pecuniam, triticum aut alia genera, cum damno emergente, lucro cessante et forsan cum periculo perdendi sortem, absque ullo *interesse* colono mutua dare soleat; 2. ne forte colonus eiusque filii quoad uvam aliosque fructus ante divisionem nimiam libertatem sibi sumant, ita ut de iis non solum manducent sed etiam aliis tradant; 3. ne forte colonus culturam fundi et sive fructuum sive animalium custodiam neglexerit, ita ut domino gravia damna obvenerint. (In praxi tamen coloni haec considerare non videntur; nec semper, maxime post factum, eos a bona fide eruere expediet. Considerationes istae practice iuvare solent non tantum ut pro compensationibus non legitime factis restituant, quantum ut ab iisdem in posterum abstineant).

Sed quid, si colonus opera vera mercede digna et non stricte debita praestet, quin dominus fundi ea ullo modo exigat? Poteritne tunc colonus se compensare? R. Negative ordinarie; ut plurimum enim agitur de laboribus qui, etsi mercedem mererentur, tamen non propter mercedem, sed ad sibi conciliandam domini existimationem et benevolentiam praestantur; unde, etsi dominus ex ignorantia, avaritia, vel ingratitudine, nihil rependat, nullum ex stricta iustitia ius oriri potest. Ordinarie labores isti consistunt in diligentia extraordinaria circa culturam fundi; sed haec etiam diligentia, etsi ad finem praedictum sibi conciliandi domini benevolentiam non dirigeretur, a correspondente maioris fructus parte satis compensaretur. Nihilominus possunt dari duo casus, in quibus colonus, salva iustitia, pro laboribus extraordinariis, etsi non petitis, aliquid accipere potest. Primus est, si opera praestita fundum quidem meliorem reddant, sed nullo modo ad colonum spectent, eique intra annum non fructificent, ut puta, si de arboretis, de magnis plantationibus *(filari)*, de fundi complanatione etc. ageretur; et dominus nihil rependeret. Tunc enim, iuxta regulam romani iuris, colonus sumere potest *minimum inter expensum et melioratum;* nempe, si eius labor, v. g., decem, et melioratio viginti valeat, sumere potest decem: et si labor decem, et melioratio quinque valeret, quinque dumtaxat sumere posset. Cf Lugo *(V. 43)* et S. Lig. *(III. 488)*, qui, de casu simili agentes, eandem decisionem habent. Secundus est, si diligentia sit adeo extraordinaria, et fructus fundi propter illam adeo abundantes evaserint, ut dominus redditibus ei allatis ita contentus sit, ut rationabiliter credi debeat, quod, etsi sciret colonum aliquid ultra suam partem singulis annis surripuisse, illum nihilominus libenter retineret, et ablationem in posterum quoque permitteret. Cuidam diviti relatum fuit, quemdam eius colonum tres vel quatuor tritici mensuras ei surripere solitum esse; et respondit: — Quid refert? Fur iste redditum optimum quotannis mihi defert, nec certe tantundem haberem si fundum locarem aut cuivis honestissimo colendum traderem. — Alius, quum colonum aliquid quotannis ex communi massa abstulisse rescivisset, illum eiecit; sed, quum a novo colono redditum multo minorem obtineret, primum denuo recepit semperque retinuit. Unusquisque tamen videt, quantum hoc in puncto periculum abusus et hallucinationis adsit; et solum id dicere volui, ut confessarius in casu, qui huiusce generis videatur, sciat quod, saltem post factum, poenitentem (maxime si insuper propter familiae paupertatem et bonitatem domini indulgentia praesumi deberet) in bona fide facilius relinquere posset. Caeterum (ut melius infra vi-

debimus) doctrina solida est, quod, si fur sit persona domino utilis (prout in casu supposito contingeret), malitia furti proportionaliter diminuitur.

Quoad *tertium;* si nempe dominus in pactis promisisset, v. g., fabricam colono utilem vel necessariam, et postea promissis non stetisset; patet quod tunc colonus in proportione damni se compensare posset.

Circa *quartum:* Si pacta nova, quamvis magis gravia prioribus, adhuc essent iusta (iustitia enim his in rebus latitudinem habere potest) et suo tempore statuta atque acceptata fuissent; tunc colonus nullum se compensandi ius haberet; secus, si secus.

Circa *quintum*: Si pars ablata sit notabilis, difficile est quod prior taxa adhuc iusta remaneat; et proinde, si evasisset iniusta, colonus pariter se compensare posset. Secus (ordinarie) dici debet de arboribus et vitibus sublatis, ex una parte enim dominus ad hoc ius habet, et ex alia mutatio ob id non solet esse tanta, ut pacta statuta evadant iniusta.

Circa *sextum;* si nempe dominus fundi, quando in fine anni rationes conferuntur, colonum defraudet, utique tunc compensatio pro tanto et quanto iusta erit.

Circa *septimum:* Damnificante ministro nomine proprio, actio contra illum, non vero contra dominum, esse poterit.

Circa *octavum:* Quamvis dominus fundi absque ullo rationabili motivo colonum expellat, iustitiam non violat; contractus enim est ad annum; quo finito, tam dominus quam colonus ab illo recedendi liberi sunt. In hoc itaque casu compensationi locus non esset.

3010. *Casus II.* **De pullis gallinaceis qui ruri vicinis surripiuntur.** Mulier rusticana dicit: — Nonnullos pullos gallinaceos vicinis meis surripui propter sequentes rationes; nempe 1. Quia pulli mei perduntur, et ego capio alienos; 2. Quia certe scio aut dubito quod vicini pullos meos capiunt; 3. Quia pulli a me accepti, quum adhuc exigui essent, meis se miscuerunt et sic ex esca mea creverunt; 4. Quia pulli vicinorum in agro nostro vescuntur et damna nobis afferunt. — Quid de rationibus istis?

Prima ratio nihil prorsus valet, saltem si mulier de vicinorum honestate certa sit; ita ut pullorum amissio potius noxiis animalibus aut latrunculis per viam transeuntibus attribui debeat. Idem dic si mulier de unius vicini furtis dumtaxat certa esset, et ipsa aliorum quoque pullos caperet. Quid in dubio? De hoc in resp. seqq.

Secunda valet quando mulier de vicinorum furtis sit moraliter certa. In dubio; si dubium sit leve, nihil accipere potest et pro acceptis ad restitutionem tenetur. Si sit grave; ante factum a pullis capiendis prudenter deterreri debet; sed post factum ad restitutionem (saltem pro toto), iuxta aliquos, obligari nequit. Vide dicta (*n. 3003*).

Tertia valet, saltem ordinarie et pro tanto et quanto. Agitur enim de re quae fere ex toto ei debetur. Valeret autem praecipue si (propter domorum proximitatem) credi deberet quod vicini quid simile facerent. Si tamen illi pullos propria esca nutritos restituerent; tunc ipsa quoque ad restitutionem teneretur.

Caeterum mulier adhortari deberet ut statim ac advertit pullum vicini cum suis (quando escam eis distribuit) commisceri, vicinum ipsum admoneat ut pullum suum occidat aut sibi vendat.

Quarta ratio certe non valet si damna sint reciproca. Quamvis autem non essent reciproca, sensus communis habet quod damnum passus posset quidem agrum suum sepibus ita munire ut dicta animalia vicini ingredi nequeant; sed non illa occidere aut aliis modis ad compensationem procedere. Ratio est quia

vicinus (nisi dolose procedat) ex iustitia nihil alicui rependere debet, quamvis haec sua animalia huc illuc in aliorum agris vagentur et vescantur; huiusmodi enim damna in fundorum venditione et locatione computantur. Deficiente autem debito ex iustitia, compensatio concedi nequit. Aliud dici deberet si de anseribus, de pullis indicis *(tacchini)*, de ovibus, et de suibus (quae animalia custodiri debent) ageretur. Si enim haec animalia in aliorum agris, propter custodiae defectum, frequenter vescerentur et notabile damnum non reciprocum inferrent; tunc obligatio restitutionis ex iustitia adesset, et proinde ius compensationis locum haberet. Idem dic si pulli gallinacei ultra numerum fundo proportionatum tenerentur, et sic damnum excessivum inferrent.

3011. *Casus III.* **Famulus** se compensat dicendo: — 1. Stipendium est nimis exiguum; 2. Herus ultra debitum me laborare cogit. 3. Si infirmus decumbo, partem stipendii mihi non solvit; 4. Si quid casu frango, pretium exigit; 5. Denique iussit me abire ab eius servitio: idque ante tempus. — Suntne haec iusta motiva compensationis?

R. *Primum* motivum ordinarie nihil valet. Ut enim valeret, oporteret imprimis ut stipendium, attentis famuli dotibus et loci consuetudine, infra minimum esset. Id autem difficile est; famulus enim bonis dotibus praeditus servitium cum bono stipendio faciliter invenire solet; unde valde timendum est ne, si minus aliis ei tribuatur, minus aliis etiam mereatur. Supponendo autem quod, omnibus inspectis, stipendium sit evidenter infra minimum; adhuc potest esse iustum in sequentibus circumstantiis, nempe 1. si defectus stipendii in pecunia, in aliis emolumentis compensaretur, v. g., si herus vestes, munera, mensam lautiorem etc. famulo tribueret; aut si in ea domo, propter multorum hospitum affluentiam, strenae (it. *mancie*) abundarent; 2. si herus famulo non indigeret, et ex sola misericordia illum recepisset; 3. si famulo quidem indigeret, sed ita ut alius famulus minori dexteritate et peritia instructus ei sufficeret. Motivum itaque stipendii insufficientis, attento etiam periculo hallucinationis, in praxi difficile admitti potest; et hoc sensu Innoc. XI damnavit sequentem propositionem: « Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere « ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario quod re« cipiunt ». Caeterum potest dari casus, in quo miser famulus ex necessitate servitium cum stipendio valde minori iusto acceptare coactus fuerit, aut in quo herus iustum stipendium prius constitutum, ex mera avaritia et sine ulla ratione infra infimum imminuere voluerit; et tunc omnes theologi fatentur, quod famulus, iudicio personae prudentis, se compensare posset. Cf. Sporer (*n. 83*), et Gury (*n. 623*).

Quoad *secundum:* Labor erit ultra debitum 1. si famulus assumptus ad unum ministerium adigatur etiam ad aliud, ut puta, si acceptatus ut coquus, postea laborare deberet etiam habitualiter ut olitor; 2. Si quaedam horae aut quidam labores in pacto expresse excepti fuerint, et postea herus pacto non stetisset; 3. Si, stipendio immutato, labor modo extraordinario creverit; ut puta, si famulus pro sola familia sumptus, postea aliis pluribus, quibus herus victum locavisset, servire cogeretur; nec strenae sufficientem compensationem praeberent; 4 Si labor, iudicio personae prudentis, vere excessivus iudicari debeat; ut puta, si herus nec somnum conveniens, nec diebus festis ullam horam liberam famulo relinqueret. Quatenus autem ita res se haberent, alicui iustae compensationi locus esse posset.

Circa *tertium:* Facienda est distinctio inter infirmitatem brevem et diuturnam. Si sit brevis, herus ex mercede nihil detrahere potest; hoc enim pactum ex consuetudine subintelligitur. Secus vero si sit diuturna. Ad iudicandum autem an satis brevis vel diuturna sit, habenda est ratio temporis

statuti ad servitium; citius enim poterit herus ex mercede subtractionem facere, si famulus se locaverit ad mensem, quam si ad annum. Sic, v. g., octo vel decem dies respectu anni (nisi tunc, prout contingit ruri tempore messis, extraordinaria famuli necessitas adesset) pro nihilo habentur; sed respectu mensis valde considerari possunt. Cf. Gury (*Cas. consc. 1. 972*).

Circa *quartum:* Famulus propter fractionem fortuitam alicuius obiecti, quamvis pretiosi, ad nihil tenetur; ratio est quia damnificatio debet esse theologice culpabilis, ut reparationem exigendi ius adsit. In casu itaque herus iniuste reparationem exigit; et proinde famulus ad eam coactus, in conscientia se compensare potest. Gury (*Cas. consc. 575*). Excipe nisi pactum speciale ab initio intercessisset; ad cuius iustitiam augmentum stipendii necessarium esse potest.

Circa *quintum:* Videndum cur famulus ante tempus expulsus fuerit. Si gravi de causa, v. g., si deprehensus fuisset infidelis aut familiae valde scandalosus, vel si audita in domo cum magno familiae dedecore alibi retulisset, aut nocturnis horis clam discedere deprehensus fuisset etc.; tunc herus (saltem post admonitiones incassum adhibitas) ius habuisset eum expellendi etiam ante tempus; hoc enim est pactum tacitum quod semper subintelligitur. Et tunc nulla compensatio locum habere potuisset. Si autem herus absque ratione, vel propter ordinarios tolerabilesque defectus, famulum ante tempus expulisset, iniuste egisset; et tunc famulus se compensare potuisset. Gury (*n. 970*).

3012. *Casus IV.* **Venditor** aliquid imminuit in pondere et mensura, aut mercem aliquo modo adulterat (quin tamen eam noxiam reddat). Id autem facit ut se compenset, quia emptores iustum pretium dare nolunt. Quid de hoc casu?

R. Haec imminutio aut adulteratio potest esse communiter nota, eo quod alii quoque earundem mercium venditores ita communissime faciant. Sic v. g. omnes sciunt quod (saltem in multis locis) libra eorum, qui minutatim piscem vel fructus vendunt, scrupulosa esse non solet, et quod in his generibus unusquisque debet esse contentus, si pro libra (quae duodecim unciis constare deberet) decem vel undecim uncias accipiat. In his casibus Frassinetti (*not. 79*) compensationem concedit, nempe venditores ab iniustitia excusat; si enim aliquis nihil in pondere detraheret, pretium quoque augere deberet; et sic emptores non ad illum sed ad alios diverterent. Cf. etiam S. Lig. (*n. 533*). Interdum alia ratio superadditur; quod nempe emptores, habita iam re empta, illico aliud rei ipsius tantillum (prout alicubi contingit quoad lac, poma, pisces etc.) exigunt.

Si autem imminutio vel adulteratio veram deceptionem constitueret (prout esset in venditione farinae, olei, tritici, panni etc.); tunc, si emptor pretium saltem minimum offerret, iniustitia venditoris esset manifesta, nulloque modo se compensare posset, eo quod pretium medium vel summum obtinere nequivisset. Cf. Gury (*Cas. consc. 939*), et Reuter (*n. 160*).

3013. *Casus V.* **Textrix** se compensat quia mercatrix (quae telas ei conficiendas tradit), dum prius 7 francos pro 100 telae ulnis dabat, nunc pro 120 ulnis solum 7 fr. (sicut antea) dare vult. Iustane est haec compensatio?

Si mercatrix suo particulari arbitrio illud 20 ulnarum augmentum insolutum reliquisset; aut si ope monopolii res ista in loco communis evasisset; tunc textrix se compensare posset. Secus vero (et apud nos hic est casus practicus), si absque ullo monopolio factum fuisset, ut 7 franci, qui prius 100 ulnarum pretium erant, nunc 120 ordinarium pretium evasissent. Monopolium autem in magnis civitatibus neque facile fit neque durat; et nunquam praesumitur, nisi ex rationabilibus indiciis de eo satis constet.

3014. *Casus VI.* **Uxor** se compensat ex bonis mariti, quia ille domestica bona dilapidat. Quid de hac cempensatione?

R. Si dilapidet bona dotalia quoad sortem, aut extradotalia sive quoad sortem sive quoad fructus, aut bona quae uxor mercaturam nomine et aere proprio exercens sibi comparavit; tunc uxor ipsa, utpote quae in bonis stricto iure propriis (invita, ut suppono) laesa fuit, se compensare potest. Si vero maritus in bonis non stricto iure ad uxorem pertinentibus rem familiarem dilapidet: tunc uxor abscondere quidem poterit aliqua pro filiis, sed (quamvis ipsa, v. g., in negotiis, cum marito laborasset) ad veri nominis compensationem procedere non posset. Cf. D' Annibale (*II. 614. 337.*) et Scavini (*II. 307. 701*).

3015. *Casus VII.* **Frater** se compensat, quia prae caeteris fratribus (cum quibus vivente patre aut eo defuncto vivit) magis laborat, maiusque lucrum facit. An licite se compenset?

R. Difficile id licere poterit. Oporteret enim 1. ut labores non essent praestandi propter alimenta quae percipit, aut propter obligationem alendi parentes; tunc enim tenetur filius gratis laborare, quamvis eius fratres laborare nequirent aut nollent. Praescindendo etiam ab hac obligatione, oporteret 2. ut excessus laboris, lucri et meriti esset satis certus; sed in praxi de hoc excessu difficile constare solet; forte enim alii fratres lucrantur minus, quia officia lucro minus apta eis assignata fuerunt. Contingere potest insuper quod in posterum infortunia destructura sint lucra in antecessum facta; et quod proinde frater, qui hodie utilitatem praebet, cras damnum allaturus sit. Oporteret 3. ut qui excessivum meritum habet, non habuerit intentionem renuntiandi iuri suo et laborandi gratis tamquam bonus filius bonusque frater propter amorem familiae; unde scripsit Lugo (*V. 43*): « Regulariter filium gratuito animo ea (*opera*) « exhibere; atque adeo non posse postea, mutato animo (*laboris gratis exhi-* « *biti*) solutionem velle ». Caeterum, si de excessu prorsus indebito satis constaret; si insuper, quamvis, ad non contristandam familiam, apertis verbis stipendium exigere noluerit. tamen gratis laborare non intenderit; si demum pro infortunio, quod sibi forte in posterum obventurum sit, familiam gravare noluerit; tunc in conscientia se compensare posset. Id certe probabile est. Vide Lugo (*l. c.*), S. Lig. (*III. 488*), et Laymann, qui (*III.* xiv. viii. *12*), postquam adduxerit theologos sentientes, filium nihil exigere posse, illico subdit: « Contrarium tamen *non improbabiliter* post Bartholum docent Ang. « Lessius etc..... Ex quo inferunt: Si solus pater lucrum accipiat, nullamque « eius partem filio, quasi societatis iure, relinquat; tunc tantundem salarii ipsi « dare obligatum esse, quantum extraneo alicui deberet; saltem si filius exigat. « Sin autem ob metum reverentialem petere non audeat, vel probe sciat, si « petat, se repulsam laturum esse, consequenter aiunt *filium clam a patre* « *accipere posse* ». Imo idem dicerem si filius gratis quidem laboraverit, sed ex errore; quatenus scilicet tunc nesciret, pro labore extraordinario ius sibi competere posse; quod si scivisset, gratis laborandi, lucrumque familiae donandi intentionem minime habuisset. Tunc enim ageretur de errore dante causam contractui; qui, cum sit gratuitus, suapte natura sin minus nullus saltem rescindibilis est. Cf. Gury (*n. 777*) et alios apud S. Lig. (*III. 544*), qui refert Moya dicentem: « In dubio tenendum est filium noluisse gratis servire »: quia in dubio nemo praesumittur velle se suo iure privare.

3016. *Casus VIII.* **Propter furtum fratris.** Titius scit aut valde timet quod Caius frater suus, cum quo in domo paterna vivit, furtum domesticum centum aureorum, vivente patre, commiserit. Quaeritur an Titius, salva iustitia, ex bonis domesticis se compensare possit?

R. Videndum imprimis an compensatio fiat vivente patre, an vero eo defuncto.

Vivente patre, Titius nihil sumere potest, quia ex bonis non fratris, sed patris se compensaret. Excipe nisi patris consensum iurè praesumere posset.

Mortuo patre, eiusque haereditate filiis obventa, cavendum 1. ne pater ante mortem sive expresse sive tacite furtum condonasset; 2. ne compensatio in damnum fratrum (qui nihil furati fuerint) redundet; si enim adsint alii fratres vel alii haeredes, Titius non ad totum (quod Cajus abstulit), sed solum ad partem sibi debitam ius habet. Loquendo autem de compensatione contra solum Caium, si Titius sit certus de illius furto, tunc ad compensationem (proportionatam (ut modo dicebam) procedere poterit; haeres enim in iura defuncti succedit. Secus vero, si de furto certus non sit. Si tamen cum magno dubio de furto fratris se iam compensaverit, vide dicta (*n. 3003*).

3017. *Casus IX.* **Propter promissionem non adimpletam.** Rarissime ex hoc capite (si nempe promissio sit gratuita) compensatio licebit; promissiones enim gratuitae saepe saepius limites simplicis propositi non excedunt, vel ex sola virtute veracitatis et fidelitatis intenduntur a promittente (quasi dicat: *verum dico, crede mihi, fiduciam habe in me*); vel demum ex iusta, quae supervenit, causa non adimplentur. Sed si satis constaret quod promittens ex iustitia se obligasset et verum ius in promissarium acceptantem transtulisset (quod contingeret si manifeste pateret illum sub gravi se obligare intendisse), nec ullam haberet causam promissionem legitime retractandi; tunc, transacto tempore praefixo, non viderem cur compensatio permitti nequiret; idque multo magis si promissio remuneratoria fuisset.

3018. *Casus X.* **Innocens a iudice damnatus** se compensat, eo quod ipse nec debitor nec reus sit. Potestne se compensare?

R. Distinguendum. Affirmative, si sententia fundetur in falso, v. g., si iudex illum damnaverit ad solvendum debitum, quod iam solverat aut nunquam contraxerat. Negative, si fundetur in vero, quamvis qui damnatur coram Deo innocens sit. Exemplum est in pastore, qui in iudicio cogitur reparare damna a grege allata, dum ipse inadvertenter consopitus gravique somno correptus vigilare non potuit. (Gury *Cas. Consc. 1. 105*)

CASUS III.

Praescriptio.

3019. *Quid est praescriptio?* Est medium quo, decursu temporis et sub conditionibus determinatis, quis acquirit dominium aut ius, vel liberatur ab obligatione.

In primo casu *acquisitiva:* in secundo *liberativa* appellatur.

Explicatio. Titius triginta annis possidet rem alienam credens esse suam. En casus praescriptionis qua acquiritur, *dominium.* — Caius plantat arbores in confinio fundi sui non servando distantiam a legibus determinatam, et transeunt triginta anni quin vicinus reclamet. En casus praescriptionis qua acquiritur *ius.* — Sempronius ignorans habere debitum a patre suo defuncto contractum, illum non solvit, et creditor triginta annis tacet. En casus praescriptionis quo *obligatio cessat.*

3020. *Ius praescribendi a legibus introductum valetne in conscientia?* Affirmative, dummodo non agatur de casibus in quibus vel lex canonica obstet, vel ipsa lex civilis intendat solum negare actionem in tribunalibus. Ratio est quia bonum publicum id exigit, ne commercium nimiis periculis exponatur. Praxis (*n.* 1402).

3021. *Quaenam exiguntur ut praescriptio, etiam in conscientia, locum habeat?* 1° Exigitur semper *bona fides;* 2° Aliquando exigitur *titulus:* 3° Ordinarie exigitur *possessio;* 4° Exigitur semper ut agatur de re vel iure *praescriptibili*: 5° Denique exigitur semper quidam determinatus *temporis lapsus.* Haec sunt explicanda.

3022. *Quid de bona fide?* Leges civiles in quibusdam casibus admittunt praescriptionem non obstante mala fide; sed hoc intendunt solum pro foro externo ne tribunalia nimiis, nimisque difficilibus, litibus implicentur. Adde quod ius canonicum semper vetuit ne praescriptio ulla sine bona fide (idest cum peccato mortali) in conscientia valere possit. Cf. Praxis (*n. 1404 et 1413*). De casu dubiae fidei, videbimus infra (*n. 3024 IV*).

3023 *Quid de titulo?*

I. Titulus est causa, quae, si vere subsisteret, ad dominium conferendum, vel ad ius dandum, vel ad tollendam obligationem, vere deserviret; cuiusmodi sunt, v. g., emptio, donatio, legatum, inventio rei derelictae, solutio vel condonatio debiti etc.

II. Generatim loquendo et praescindendo a materia praescriptionis, titulus distinguitur multipliciter; potest scilicet esse 1. verus; 2. coloratus: 3. existimatus: 4. praesumptus: 5. vitiosus: *Verus* est quando, v. g., emptio vere interfuit et valida fuit. *Coloratus* est quando, v. g., emptio interfuit quidem, sed, ex vitio occulto vel difficile cognoscibili, fuit invalida. — *Existimatus* (seu *putativus*) est quando, v. g., quis credit rem fuisse emptam (puta, a patre defuncto vel a procuratore), sed reapse empta non fuit. *Praesumptus* est quando ex communiter contingentibus credendum est aliquem iustum titulum interfuisse, etsi forsan de facto non interfuerit. *Vitiosus* denique est quando, v. g., emptio locum habuit, sed ex vitio manifesto vel facile cognoscibili invalida fuit.

Sed, relate ad praescriptionem, quando leges civiles exigunt titulum (non enim semper illum exigunt), sensus est quod exigant titulum *coloratum;* non autem quod vel necessarius sit titulus verus (tunc enim praescriptione opus non est), vel sufficiat titulus sive existimatus (qui tamen etiam sufficiebat iuxta ius commune), sive praesumptus, et multo minus vitiosus.

3024. *Quid de possessione ad praescribendum ordinarie requisita?*

I. Oportet ut subsistat vera possessio, quae definitur: *Rei detentio pacifica et non clandestina animo domini.* Hinc vera possessio non est 1. in commodatariis, depositariis, etc.; qui non animo domini, sed nomine alterius rem detinent; 2. in furibus eorumque complicibus, dum adhuc violenter vel clandestine rem detinent. In his quippe casibus possessio apud dominum adhuc remanet; non enim detentio physica exigitur, sed moralis et civilis sufficit.

II. Oportet insuper ut possessor sit bonae fidei, qualis est I. dominus (sed ille praescriptione non indiget): 2. quisquis rem alienam pacifice et non

clandestine detineat animo domini et reputando illam esse suam. Et hic est casus in quo possessio praescriptionis fundamentum esse poterit.

Hinc possessores, qui cognoscunt rem esse alienam, poterunt quidem, si pacifice et palam atque animo domini illam detineant, esse possessores veri et legitimi *(eo sensu quod privata auctoritate spoliari nequeant)*; sed, quum nedum iniuste sed etiam mala fide possideant, in conscientia (ut patet ex supra dictis *n. 3022)* praescribere non poterunt. Dices: quomodo qui scit rem esse alienam, illam detinere poterit animo domini? Respondeo hoc intelligi de voluntate disponendi de re aliena quasi esset sua: aliud enim est dicere *animo* domini, et aliud *opinione* domini.

III. Ad praescribendum deservit non solum possessio proprie dicta, quae circa rem corporalem *(v. g. domum, equum etc.)* versatur; sed etiam *quasi-possessio*, quae definiri potest *iuris putativi exercitium*, ut puta, si quis fructus annuos exigat, reputando illos exigendi ius habere, dum reapse non habet.

Hoc tamen confundi non debet cum fruitione alicuius commodi, quod ex alterius actibus mere facultativis, aut simplicis tolerantiae, aut bonae vicinitatis, forte habeatur. Quia, v. g., vicinus murum contra domum tuam nunquam elevavit, aut toleravit ut vel ex eiusdem puteo aquam haurires vel per eius campum transitum *commodiorem (et non stricte necessarium)* haberes etc.: non ideo illi murum elevare volenti, aut sive usum putei sive transitum deneganti, praescriptionem obiicere poteris. Haec enim considerari non solent ut ius. Etsi autem in aliquo casu ut ius considerarentur, leges hodiernae ne praescriptio efformetur vetant *(A. 630)*.

IV. In dubio an res sit aliena inchoari nequit possessio. Si tamen, factis inquisitionibus, veritas non detegeretur et dubium perseveraret, tunc possessio incipere posset. A fortiori autem dubia, quae (postquam bona fide possidere incoeperis) supervenirent, possessioni non obstarent, dummodo tunc quoque veritatem detegere procures. *Praxis* (*n. 1412*).

V. Quamvis ordinarie exigatur possessio aut quasi-possessio ut praescriptio decurrere valeat, interdum simplex omissio solutionis debiti (ut patet in illis, qui ultra quinquennium fructus annuos non solverunt, iuxta dicenda *n. 3030)* sufficere potest ut praescriptio compleatur.

3025. *Quid de necessitate ut res sit praescriptibilis?* Quaedam res iure civili sunt impraescriptibiles. Huiusmodi sunt, v. g., immobilia dotalia durante matrimonio (*A. 2120*): servitutes discontinuae, v. g., ius hauriendi aquam ex puteo alieno, ut supra (*n. 3024. III*): et generatim ea omnia quae non sunt in commercio et a personis particularibus ad exclusionem aliorum possideri vetantur, v. g., locus in via publica, in platea etc. (*A. 2113*). Adde plura, quae sunt impraescriptibilia iure canonico, ut onera et numerus Missarum, legata pia, eleemosynae etc. (*S. C. C. 18 Aug. 1845*). Vide alia apud Scavini (*II. 357 364*).

3026. *Quid de temporis lapsu ad praescribendum requisito?* Distinguendum est inter bona profana et bona ecclesiastica.

3027. *Quaenam, apud nos, sunt regulae praescriptionis quoad bona profana?* Praescriptio 1° Alia est triginta annorum (quam dicunt *generalem*): 2° Alia decem annorum (quam *mediam* appellant): 3° Alia quinque annorum, aut temporis brevioris: 4° Alia denique est specialis quoad bona mobilia.

3028. *Quid de praescriptione triginta annorum?* Subsistente

possessione a parte putativum dominium vel ius habentis (ut supra), praescriptio triginta annorum dominium vel ius ipsum legitimum reddit, atque adeo omne ius in re vel ad rem a parte alterius extinguit; nec ad sic praescribendum titulus exigitur.

Codex dicit (A. 2135): *Tutte le azioni tanto reali quanto personali si prescrivono col decorso di trent' anni, senza che possa in contrario opporsi il difetto di titolo, o di buona fede.* Attamen in conscientia bonae fidei defectus praescriptioni obstat, ut supra vidimus.

3029. *Quid de praescriptione decem annorum?* Haec sufficit quoad immobilia, et iura realia circa ipsa (v. g., quoad servitutem conventionalem) acquisita cum titulo, qui fuerit debito modo transcriptus (*registrato*), nec fuerit invalidus ex defectu formae (scilicet solemnitatis a lege requisitae).

Codex (A. 2137) dicit: *Chi acquista in buona fede un immobile, o un diritto reale sopra un immobile, in forza di un titolo che sia stato debitamente trascritto, e che non sia nullo per difetto di forma, ne compie in suo favore la prescrizione col decorso di dieci anni dalla data della trascrizione.*

Vide nonnullas alias decem annorum praescriptiones apud Scavini (*II. 359*).

3030. *Quid de praescriptione quinque annorum?* Haec sufficit quoad pensiones annuas, fructus pecuniae mutuatae, et generatim quoad ea omnia, quae annuatim, vel aliis periodis brevioribus, solvi debent.

Codex (A. 2144) dicit: *Si prescrivono col decorso di cinque anni le annualità delle rendite perpetue e vitalizie; quelle delle pensioni alimentarie; le pigioni delle case e i fitti dei beni rustici; gli interessi delle somme dovute, e generalmente tutto ciò che è pagabile ad anno o a termini periodici più brevi.*

3031. *Haec quinque annorum praescriptio valetne etiam in conscientia?* Certe non valeret supposita mala fide (ut patet ex supra dictis), si nempe debitor bene cognovisset se solvere debere et malitiose a solvendo abstinuisset, ut finito quinquennio iudicialiter cogi non posset. Quid supposita bona fide? Bona fides contingere potest 1° si debitor ignorasset se praedicta solvere debere: 2° si ex impotentia, vel etiam ex negligentia aliqua, a solvendo abstinuisset. De primo casu dicit D' Annibale (*II.* 154), praescriptione *debitores uti posse indubium puto;* idque tamquam probabile admittit etiam Del Vecchio (*II.* 86). Ratio est quia lex civilis non exigit ut debitor iuret se solvisse et proinde non iam fundatur in praesumptione factae solutionis, bene vero hoc statuit non solum ut lites nimis non multiplicentur, sed etiam ut (propter nimium debiti augmentum) debitorum ruina evitetur, et creditorum negligentia puniatur. Quum autem

rationes istae currant etiam in secundo casu, videri potest quod praescriptio in illo quoque valere debeat.

3032. *Quid de praescriptionibus quinquennio brevioribus?* Hae respiciunt operarios, famulos, mercatores etc. (*A.* 2138 2143); sed fundantur solum in praesumptione factae solutionis et debitor iurare debet se solvisse. Valent itaque solum pro tribunalibus; pro iis autem qui sciunt solutionem revera factam non fuisse, in conscientia nihil suffragantur.

3033. *Quid de praescriptione relate ad res mobiles?* Iure romano res mobiles (exceptis furtivis) praescribebantur tribus annis cum titulo, et triginta annis sine titulo; sed hodie, iuxta novas leges, apud nos imprimis distinguendum est inter bona quae nec furtiva sint nec amissa fuerint, sed, v. g., per venditionem invalidam aut fraudem etc. ad alium (utique sic non dominum) transierint, et bona furtiva vel amissa.

Quoad bona prioris generis, *si a dicto non domino ad tertium bonae fidei transièrint,* non est opus praescriptione, sed sola possessione acquiruntur; idque pro bono commercii statutum fuit. Excipe nisi de mobilibus omnibus (v. g., in casu putativae haereditatis vel omnium mercium mercatoris etc.) ageretur.

Codex (*A. 707*) dicit: *Riguardo ai beni mobili per loro natura ed ai titoli al portatore, il possesso produce a favore dei terzi di buona fede l' effetto stesso del titolo* (nempe tituli validi). *Questa disposizione non si applica all' universalità dei mobili.*

Si vero haec bona ad tertium non transierint, tunc sola praescriptio 30 annorum valere poterit, supposita bona fide.

Quoad bona furtiva vel amissa, domino datur semper ius illa repetendi intra biennium quamvis ad tertium transierint; attamen, si in publica venditione empta fuerint, repeti poterunt solum rependendo pretium solutum. Post biennum autem, in manu tertii ea quoque praescripta remanent (*A.* 2146 *et* 708. 709). In manu autem furis malae fidei, praescriptio nunquam completur; et quoad inventorem vide dicta (*n.* 2995 *et sqq.*).

3034. *Quid de praescriptione quoad bona ecclesiastica?* In his regulae sumendae sunt a iure canonico. Praecipuae sunt sequentes:

I. Ad praescribenda bona immobilia vel mobilia pretiosa, *ordinarie* exiguntur et sufficiunt 40 anni; idque non solum si laicus contra Ecclesiam, sed etiam si una Ecclesia contra aliam praescriberet.

II. Ad praescribenda alia bona mobilia, exigitur et sufficit

triennium, cum titulo et bona fide. Cf. *Praxis* (*n.* 1409). Sine titulo autem triginta anni exiguntur.

3035. *Tempus pro praescriptione requisitum computaturne in dies, an vero in horas?* Computatur in dies, et praescriptio completur ultima die completa (*A* 2133).

3036. *Quid si res aliena durante tempore ad praesribendum requisito a pluribus successive possessa fuerit?* Praescriptio currit eodem modo si omnes bonae fidei fuerint, et completur in possessore qui ultima eiusdem temporis die illam habet. *Praxis* (*n.* 1410).

3037. *Praescriptio potestne suspendi, aut interrumpi? Et quid de differentia inter suspensionem et interruptionem?* Utique potest suspendi et interrumpi. Differentia est quod in suspensione per aliquod tempus, durantibuus certis impedimentis a lege determinatis, non currit; iis autem cessantibus, tempus praecedens cum subsequenti coniungitur. In interruptione vero praescriptio ita abrumpitur ut tempus praecedens cum subsequenti non coniungatur, et proinde ad praescribendum tunc oportet ut de novo ab initio incipiatur, et totum tempus decurrat.

Explicatio. Praescriptio inchoata *suspenditur* seu *non currit* contra interdictum ob mentis imbecillitatem, contra minorem non emancipatum, et in quibusdam aliis casibus a lege (*A.* 2120) indicatis. *Interrumpitur* autem 1° si possessor per annum et diem cesset possidere et res transeat sub possessione alterius: 2° per citationem iudicialem (de qua tamen vide *A.* 2125 *et* 2128): 3° per recognitionem, qua debitor vel alius possessor recognoscat ius illius contra quem praescriptionem incoeperat (*A.* 2129).

CASUS IV.

Accessio.

3038. *Quid est accessio?* Est modus quo quis acquirit dominium alicuius rei (forte etiam alterius) eo quod illa rei suae in certis circumstantiis adiuncta fuerit.

Fit praecipue per alluvionem, aedificationem, plantationem, nativitatem, adiunctionem, specificationem et mixtionem.

3039. *Quid de accessione per alluvionem?* Contingit quando vi aquarum currentium (nempe fluminis vel torrentis) incrementum fundo meo sensim sine sensu adiicitur; idque sive aqua

currens fundo meo terram paullatim afferat, sive ad aliud latus pedetentim vergat et sic fundum meum paullatim augeat. Si autem flumen magnam ex improviso terrae partem avelleret, vel insulam efformaret, vel alveum mutaret, vide Cod. (*A*. 456-461).

3040. *Quid de accessione per* ***aedificationem***, vel ***plantationem***? Aedificium vel plantatio regulariter cedit domino fundi. Hinc 1° Qui aedificat, vel plantat, vel restaurationes facit, in fundo proprio ex aliena materia (v. g. alienis lapidibus, trabibus etc.), materiae ipsius dominus evadit (excipe si absque ruina, v. g., statua vel columna, ab aedificio auferri posset). Tenebitur tamen solvere pretium materiae ipsius, et (si mala fide processisset) damna quoque reparare (*A*. 449). 2° Si quis (v. g., usufructuarius, locatarius etc.) aedificet vel plantet in fundo alieno, dominus fundi fit dominus aedificii vel plantationis, si velit (unde adagium; *qui in alieno aedificat non sibi aedificat sed domino fundi*); si vero nolit, exigere potest ut qui aedificavit vel plantavit (sciendo fundum esse alienum) omnia suis expensis destruat. Si autem eligat ut aedificium vel plantatio remaneat, tunc valorem sive expensarum sive melioramenti (pro libitu suo) solvere debebit (*A*. 450). Datur tamen casus in quo dominus fundi non fit dominus aedificii ab alio constructi, nec potest exigere destructionem, nempe si quis, in fundo proprio illud construendo, partem aliquam fundi contigui bona fide, et vicino non contradicente, occupasset (*A*. 452).

3041. *Quid de accessione per* ***nativitatem*** seu ***fructificationem***? Dominus rei per se est etiam dominus fructuum sive naturalium sive industrialium sive civilium rei suae (unde adagia: *res quae fructificat domino suo fructificat; et partus sequitur ventrem*); nec refert si semen vel industria fuerit alterius. Haec tamen dominus compensare teneretur. (*A*. 444).

3042. *Quid de accessione per* ***adiunctionem***? Si quis rei suae rem alienam adiunxerit, illius (domino quoque dissentiente) dominium acquirit. Attamen oportet 1° ut sine notabili deterioratione separatio fieri nequeat, ut puta, si unio ope ferruminationis (it. *saldatura*) peracta fuisset. Oportet 2° ut res adiuncta nunquam valde superet valorem rei tuae; secus enim (ut puta, si scyphum tuum vitreum auro alieno vestiisses) rei adiunctae dominus vel illam vel totum compositum repetere posset. Oportet 3° ut res tua sit principalis, et alia vel solum ad complementum aut ornamentum adiuncta fuerit, vel minoris valoris aut voluminis sit. Oportet denique 4° ut rei adiunctae pretium solvatur etc. (*A*. 464-467).

3043. *Quid de accessione per specificationem?* Specificatio est totalis aut quasi totalis alicuius materiae transformatio: quae speciatim in artificum operibus contingere solet. Qui rem transformat aut per artificem transformare facit, *specificans* appellatur. Principia sunt sequentia.

I. Si valor artificii (it, *della mano d' opera*) valorem materiae longe superet, tunc artificium ipsum reputatur principale, et proinde, quamvis materia alterius adhibita fuisset, dominium operis confecti est specificantis; qui tamen semper pretium materiae solvere, atque etiam (si mala fide processisset) damna reparare teneretur (*A*. 470).

Exempla. Fecisti, v, g., ex marmore alieno statuam pretiosam, ex tela vel coloribus alienis picturam, ex herbis alienis pharmacum, ex argilla vas, ex scrutis chartam etc.

II. Si valor artificii non valde superet valorem materiae, et multo magis si illo minor esset, tunc dominus materiae (qui illam alienare non consenserit) rem ex illa efformatam sibi vindicare potest, attamen solvendo pretium artificii (*A*. 468). Poterit etiam materiae suae pretium, atque insuper (in casu malae fidei) damnorum reparationem exigere. (*A*. 474. 475).

Exempla. Fecisti ex auro alieno candelabrum, ex panno alieno vestem, ex ferro pessulum, ex tritico farinam, ex uva vinum, ex olivis oleum etc.

3044. *Quid de accessione per mixtionem?* Mixtio accidere potest tribus praecipue modis: 1° miscendo solida cum solidis (v. g., pecuniam cum pecunia, triticum cum tritico etc.): 2° miscendo liquida sive cum liquidis (v. g., vinum cum vino), sive cum solidis (v. g., vinum cum saccharo), quae mixtio rectius *confusio* appellatur; 3° miscendo diversa metalla liquefacta (v. g. cuprum cum argento ad conficiendam campanam). Iuxta codicem nostrum regulae sunt sequentes:

Si materiae mixtae vel confusae spectent ad diversos dominos, quorum saltem unus mixtioni non consenserit, videndum an separatio moraliter et sine damno fieri possit; necne. In primo casu unusquisque materiae suae dominus remanet et separationem exigere potest. In secundo autem, si materiae sint valoris et quantitatis circiter aequalis, dominium erit commune, et unusquisque venditionem et pretii divisionem exigere poterit. Si vero valor aut quantitas sit valde inaequalis, tunc (nisi jure specificationis dominium ad artificem spectet, ut dixi n.° praecedenti) ad dominum illius materiae, quae valoris aut quantitatis maioris sit, dominium ex toto spectabit, cum obli-

gatione tamen solvendi alteri pretium materiae suae etc. Si autem, facta mixtione ab altero, compositi dominium habere nollet, pretium materiae suae exigere posset (*A.* 471 - 474). Denique si confusio mala fide peracta fuisset et damna obvenissent, ea quoque reparari deberent (*A.* 475).

PUNCTUM III.

De praecipuis dominii indirecti speciebus.

Agendum est 1. de usufructu; 2. de usu et abitatione; 3. de servitutibus.

§ I.

De usufructu.

3045. *Quid est ususfructus?* Est ius fruendi rebus, quarum alter est dominus, sicut dominus ipse iisdem frueretur; sed ordinarie cum obligatione earundem substantiam, non solum circa materiam sed etiam circa formam, conservandi. (*A.* 477).

Agendum est 1. de constitutione ususfructus: 2. de rebus in quibus consistere potest ususfructus: 3. de iuribus usufructuarii 4. de obligationibus eiusdem: 5. de modis quibus ususfructus cessat.

I.

De constitutione ususfructus.

3046. I Ut plurimum constituitur voluntate proprietarii; sed aliquando provenit ex dispositione legis (v. g., patrifamilias super bonis adventiis filiorum, et viduo in bonis defuncti coniugis).

II. Potest esse ad vitam vel ad tempus determinatum aut sub conditione (*A.* 478).

III. Proprietarius per pactum speciale facultatem mutationes faciendi circa formam concedere potest.

II.

De rebus in quibus ususfructus consistere potest.

3047. Consistere potest in quibuslibet rebus sive immobilibus sive mobilibus (*A.* 478). Obiectum itaque ususfructus esse pos-

sunt 1° Fundi rustici et urbani: 2° Res quae primo usu consumuntur (ut pecunia, triticum, vinum, merces venditioni destinatae, it. *un fondo di bottega* etc.): 3° Res quae paullatim atteruntur, et longo usu etiam prorsus consumi possunt (ut mobilia domus, vestes, instrumenta artis etc.); 4° Animalia, v. g., equus, aut grex, armentum etc.

III.

De iuribus usufructuarii.

Iura usufructuarii respicere possunt 1. rei acceptae alienationem vel consumptionem: 2. formam: 3. fructuum perceptionem: 4. ususfructus ipsius alienationem: 5. melioramenta.

3048. *Quid de rei in usumfructum acceptae alienatione vel consumptione?* Quamvis (ut patet ex definitione) alienatio (quoad proprietatem) aut consumptio ordinarie non liceat, tamen interdum permittitur: et casus sunt sequentes: 1° Si agatur de rebus primo usu consumptibilibus; illarum enim proprietas transit in usufructuarium qui bene potest, v. g., pecuniam, triticum etc. alienare; ei tamen remanente obligatione, finito usufructu, restituendi tantundem. 2° Si agatur de rebus quae paullatim consumuntur (v. g. de vestibus); sed solum quatènus usu consueto (et sine culpa) consumentur, quin ulla tunc reddendi tantundem obligatio supersit. 3° Idem dic si agatur de animali (v. g. equo), quod sine usufructuarii culpa moriatur. Si tamen de grege vel armento ageretur, tunc in locum animalium demortuorum usufructuarius alia substituere deberet ex natis. Dico *ex natis*; si enim totus grex casu periret, tunc coria dumtaxat eorumve pretium restituere deberet (*A.* 512. 513).

3049. *Quid de rei in usumfructum acceptae mutationibus quoad formam?* Sine expresso, aut tacito, ant saltem certe praesumpto domini consensu, non licent. Nec obstaret si nova forma magis utilis esset, prout si loca amoena ad culturam ponerentur (*A.* 477). Attamen aedificia necessaria ad fructus in tuto collocandos construi possent.

3050 *Quid de iure usufructuarii circa fructuum perceptionem?* Fructus omnes (exceptis fodinis non adhuc repertis) percipit: attamen sub sequentibus conditionibus;

I. Fructus *naturales* (quo verbo intellige etiam *mixtos*, in quibus scilicet industria quoque hominis commiscetur. *A.* 444) non adhuc collecti (etsi maturi), incipiente usufructu ad usufru-

ctuarium; et, eo finito, ad proprietarium spectant: neque (salvis tamen iuribus agricolae) expensae pro seminatione et cultura compensari debent (*A.* 480).

II. Fructus *civiles* (nempe fructus pecuniae mutuatae, pensiones locationum, fructus censuum etc.) considerantur *dietim*, et pro rata temporis computandi sunt. (*A.* 481).

III. Quoad arbores, distinguendum est inter caesionem parvarum plantarum in nemoribus, atque ramorum arborum (*it. taglio, potatura*); et magnarum arborum avulsionem (*it. atterramento*). Caesiones periodicae prout de more, aut iuxta praecedentem proprietarii destinationem, ad usufructuarium (sed solum suo tempore); avulsiones autem ad proprietarium spectant; et idem dic de caesionibus quae de more aut destinatione minime sint; unde usufructuarius ramos, v. g., quercuum, caedere nequit (*A.* 485-487). Ratio est quia ex una parte arbores non tamquam fructus sed tamquam dos et pars fundi considerantur, et ex alia si usufructuarii arbores avellendi ius haberent, fundi in ruinam coniicerentur. Usufructuarius tamen sibi applicare potest arbores manu hominis plantatas (v. g. ulmos), si forte desiccatae aut casu fractae fuerint, dummodo loco avulsarum alias plantet (*A.* 490). Potest etiam uti magnis arboribus quae sponte sua creverunt (prout sunt v. g., quercus); sed solum sub duabus conditionibus; scilicet 1° ut iisdem utatur pro reparationibus fabricarum quae sub usufructu comprehenduntur; 2° ut aut casu avulsae fractaeve fuerint, aut proprietarius reparationum necessitatem recognoverit (*A.* 488)

3051. *Quid iuris habet usufructuarius circa ususfructus ipsius alienationem?* Usufructuarius potest certe ius suum, sive venditione, sive donatione, sive pignoratione, sive locatione etc., alteri cedere; attamen sine damno proprietarii.

3052. *Quid speciatim notandum circa fundi in usumfructum accepti locationem?* Locatio facta ab usufructuario iure naturae durare posset solum durante usufructu, quum nemo possit transfundere iura maiora quam habeat; sed leges civiles, pro bono agriculturae et negotiationis, locatariis favere voluerunt. Apud nos locationes huiusmodi durant etiam finito usufructu; attamen, si ususfructus erat ad tempus indeterminatum (v. g., ad vitam), solum ad quinquennium in cursu a die initae locationis computandum; si vero ususfructus erat ad tempus determinatum, tunc solum ad annum in cursu. Vide *A.* 493 pro aliis explicationibus.

3053. *Quid iuris habet usufructuarius, eiusve haeres, finito*

usufructu, quoad melioramenta? Pro melioramentis nihil exigere potest (sicut etiam pro reparationibus ordinariis). Si quae tamen fecisset, quae, potius quam melioramenta, additiones dici deberent, illa (si sint stabilia) nequit avellere sine domini consensu : compensationem tamen exigere poterit. *A*. 495.

3054. *Quid si usufructuarius bona sub usufructu constituta ab incendio assecurasset, incendium autem secutum fuisset et domum destruxisset?* In hoc casu ius haberet quidem gaudendi reparationibus et domo noviter edificata (*cf.* Praxis *n.* 1946. 5°); sed proprietarius (si novam domum velit) quotas pro assecuratione solutas ei refundere deberet. *Cf. Scavini* (*II.* 483 *not.* 2).

IV.

De obligationibus usufructuarii.

3055. De iure civili usufructuarius cogi potest 1° ad conficiendum inventarium omnium bonorum quorum ususfructus ei traditur; 2° ad dandam idoneam cautionem, quae de capitalium conservatione in fine ususfructus responsura sit (*Cf. A*. 496-500). Caeterum in conscientia eius obligationes sunt sequentes:

I. Uti debet rebus sibi traditis ad modum boni patrisfamilias, ne proprietarius damnum subeat. Speciatim cavere debet ab incendio, quin tamen (secluso pacto speciali) ad assecurationem teneatur. Si autem incendium sequeretur, damna reparare deberet 1° si gravis culpa theologica intercessisset; 2° si pacta specialia (v. g. de non ponendo foeno in tali loco) non servasset aut servare non fecisset.

II. Debet denunciare proprietario servitutes incipientes (si quae intervenirent) aut alias usurpationes; quod si non faceret de damnis teneretur (*A*. 511).

III. Exequi debet reparationes ordinarias; et si, ex his omissis, extraordinarae redderentur necessariae, illas quoque exequi deberet (*A*. 501). Sed quid de reparationibus extraordinariis fortuito casu necessariis? Huiusmodi essent, v. g., reparationes murorum principalium, substitutio trabium, renovatio magna tectus, refectio totalis muri secundarii etc. (*A*. 504). Reparationes istas usufructuarius neque perficere tenetur, neque

exigere potest. Attamen in facultate est tam usufructuarii quam proprietarii illas perficere; quo in casu circa expensarum refactionem vide Cod. (*n.* 502. 503).

IV. Usufructuarius tenetur ad taxas, canones et alia onera quae gravant fructus (*A.* 506). Non tamen tenetur ad debita hypotecaria vel census quae fundum gravarent, nisi esset haeres (*a.* 508). Item non tenetur ad tributum intuitu proprietatis impositum (cuiusmodi esset, v. g., taxa extraordinaria pro bello, vel mutuum coactum. *Scavini II.* 484. *not.* 2); non teneretur, inquam, quoad sortem, sed fructum summae solutae proprietario solvere deberet durante usufructu (*A.* 507). Si autem ususfructus ex haereditate ei obvenisset, pro debitis, quae haereditatem ipsam gravarent, teneretur; attamen solum iuxta disposita *A.* 509.

V. Denique usufructuarius teneretur pro litibus, quatenus usumfructum ipsum respicerent (*A.* 510).

V.

De modis quibus ususfructus cessat.

3056. Ususfructus cessat 1° morte usufructuarii, nec statui potest ut ad eius haeredes transeat; 2° finito tempore praefixo; 3° consolidatione, si nempe usufructuarius evaderet proprietarius; 4° ex non usu, spatio triginta annorum; 5° totali destructione rei in usumfructum traditae (*A.* 515). Dixi *totali;* si enim ex parte solum destrueretur, ususfructus quoad partem superstitem remaneret (*Cf. A.* 519. 520).

Cessare potest etiam ex abusu; ut puta, si usufructuarius bona alienaret, pessumdaret etc. Si tamen res ita componi valerent ut proprietarius damna non amplius subiturus esset; tunc ususfructus ex hoc capite non cessaret; idque maxime si usufructuarii creditores cautionem praestarent (*A.* 516).

Quoad finem temporis praefixi notari debent sequentia; 1° In usufructu legali tempus praefigitur a lege; unde, v. g., ususfructus parentum circa bona filii cessat cessante minoritate, vel per secundas nuptias etc. (*A* 228. 232). 2° Ususfructus concessus donec tertia persona ad determinatam aetatem pervenerit, durat usque ad illud tempus, etsi illa prius moreretur (*A.* 517). 3° Ususfructus concessus municipiis aut aliis entibus moralibus ultra triginta annos durare non potest. (*A.* 518).

§ II.

De usu et habitatione.

3057. I. *Habitatio* est ius inhabitandi domum, quod (intellige sine obligatione solvendi pensionem) alicui conceditur, sed tantum pro illo et familia.

II. *Usus* est ius quod quis habet utendi re aliqua, atque etiam fructus (si sit frugifera) ex illa percipiendi; sed pariter (ad differentiam ususfructus) solum pro se et familia sua sive praesenti sive futura et iuxta suam conditionem (*A*. 521-524).

III. Usuarius et habitator possunt uti fundis vel rebus sibi traditis, sed solum ad modum boni patris familias (*A*. 526).

IV. Tenentur ad reparationes ordinarias, ad expensas culturae, atque ad tributa solvenda, sicut usufructuarii; sed solum in proportione partis fructuum quos percipiunt, vel partis domus quam inhabitant, si de parte agatur (*A*. 527).

V. Iura usus et habitationis (ad differentiam ususfructus) nec aliis cedi, nec locari possunt (*A*. 528).

VI. Haec iura cessant iisdem modis quibus ususfructus, iuxta dicta n. 3056. (*A*. 529).

§ III.

De servitutibus.

3058. *Quid est servitus?* Servitus contingit quando in fundo adest onus perpetuum, quo sive fundo diversi proprietarii, sive aliis personis, aliquo modo servire debet.

Exempla. Fundus Titii debet praebere transitum ad fundum Caii (en fundus habens servitutem erga fundum diversi proprietarii). Fundus Sempronii debet praebere transitum quibuslibet personis ad modum publicae viae (en fundus habens servitutem erga personas).

3059. *Servitus quomodo distinguitur?*

I. Alia est *generalis* sive *ex lege;* quae scilicet lege naturali aut civili, ratione generalis necessitatis vel universalis convenientiae, statuitur; unde v. g. in montibus fundi inferiores recipere debent aquas a fundis superioribus descendentes. Multae sunt huiusce generis servitutes, ut patet ex Cod. civ. (*A*. 533-615).

Alia est *specialis*, sive *ex facto hominis;* et haec tum *ex conventione* tum *ex praescriptione* oriri potest.

II. Est *activa* in fundo qui gaudet servitute super alio, quique dicitur *dominans*. Est *passiva* in fundo qui servitute erga alium fundum vel alias personas gravatur, quique dicitur *serviens*.

III. Est *realis* seu *praedialis*, quando fundus servit fundo; et dicitur *urbana* vel *rustica* secundum quod fundus dominans urbanus, vel rusticus sit. Est autem *personalis* quando fundus non fundo sed personis (v. g. iure transitus, pascui etc.) servit.

IV. Est *discontinua* quando eiusdem exercitium in interpolatis actionibus humanis consistit, ut accidit in dictis iuribus transitus, vel hauriendi aquam (v. g. ex puteo vicini), vel pascendi greges in fundo alieno etc. Est *continua* quando, ad eiusdem exercitium, homo non concurrit, ut accidit in stillicidio, aquaeductu etc.

V. Est *apparens*, quando patet ex re visibili et permanenti. Apparens autem esse potest tum servitus continua (ut stillicidium), tum servitus *discontinua* (ut puta, si ius transitus ex porta manifestetur). Est autem *non apparens* si ex dicta re visibili et permanenti non pateat; et haec quoque potest esse continua (ut in obligatione, v. g., non elevandi murum ultra talem terminum); vel discontinua (ut in iure ducendi greges ad pascua etc.).

VI. Est *affirmativa* si in iure faciendi (v. g.. ducendi stillicidium supra fundum vicini); est *negativa*, si in iure prohibendi (v. g. ne vicinus in confinio taliter vel taliter fabricet vel plantet etc.).

3060. *Servitutes quomodo creantur?* Loquendo de servitutibus specialibus, iuxta codicem Italicum, distinguere oportet inter servitutem continuam simulque apparentem, et servitutem sive continuam non apparentem, sive discontinuam; et regulae sunt sequentes.

I. Servitus continua et apparens (ut stillicidium super fundum alienum) creatur 1° vi tituli (seu contractus): 2° praescriptione triginta annorum: 3° destinatione patris familias.

La destinazione del padre di famiglia ha luogo quando.... due fondi attualmente divisi, sono stati posseduti dallo stesso proprietario, e questi pose o lasciò le cose nello stato dal quale risulta la servitù (*Intellige semper servitutem continuam et apparentem*). Cessando i fondi di appartenere allo stesso proprietario, senza alcuna disposizione relativa alla servitù, questa s' intende stabilita attivamente e passivamente a favore e sopra ciascuno dei fondi separati (*A. 632. 633*). Titius, v. g., aedificavit domum cum stillicidio super fundum proprium, et postea vendidit fundum. Hic fundus utique stillicidii servituti subiicitur, etsi in contractu de re ista (quae iam subintelligitur) mentio facta non fuisset.

II. Servitutes continuae non apparentes (ut obligatio non fabricandi in tali aut tali loco vel tali aut tali modo): item servitutes discontinuae (ut ius transitus), solum ex titulo (seu contractu) oriri possunt; idque verum est etsi forent apparentes (ut puta, si pro transitu ab uno fundo ad alium porta, semper aperta, apposita fuisset); nec datur praescriptio, nequidem possessione immemorabili (*A*. 630). Si tamen servitus huiusce generis sub legibus Regno italico antecedentibus iam legitime creata fuisset, in tali casu nunc quoque subsistere pergeret. (*A*. 21 *Legis transitoriae* 30 *Nov*. 1865).

III. Quoad Ecclesias et domos parochiales, servitutes creari nequeunt sine indultu apostolico, nec valet praescriptio, nec sufficiunt conventiones tali indulto non roboratae. Casus esset in fenestris et portis, quibus proprietarii domus contiguae prospectum vel aditum haberent in ecclesiam etc. Vide Ferraris (*v. Servitus n*. 50. *et v. Ecclesia A. V.*), ubi etiam agit de scamnis in Ecclesia etc. Idem dic de servitute *conventionali* contra alios fundos ecclesiasticos. De servitute autem, quae contra eosdem fundos vi *praescriptionis* efformari potest, vide eundem Ferraris (*v. Praescriptio n*. 36 *et sqq*.).

3061. *Servitutes quid obligationis pariunt?*

I° Qui habet servitutem activam nequit aggravare servitutem passivam. Hinc in montibus proprietarius fundi dominantis nequit efficere ut maior aquae copia (diversiones procurando) in fundum servientem defluat. Ferraris (*v. Servitus n*. 48).

II° Qui habet servitutem passivam, tenetur servitutis activae (quae utique verum ius constituit) usum (atque adeo, v. g., necessariam restaurationem vel refactionem pontis, expurgationem putei etc.) non impedire: imo interdum (v. g., si puteus esset communis seu utilis utrique) expensarum partem proportionatam sustinere. Tenetur insuper usum ipsum magis difficilem vel incommodum non reddere, v. g., portam (etsi pulsanti semper aperiendam) apponendo, dum prius transitus plene liber erat. Posset tamen aliquam variationem facere, quae sibi prodesset et alteri in nihilo obesset. (A. 639-645).

3062. *Quibus modis servitus extinguitur?* Pluribus modis, nempe 1° *Renuntiatione*, et (si fuisset temporanea) fine temporis; 2° *Praescriptione*, scilicet (hodie apud nos) per non-usum triginta annorum (*A*. 666). Vide exempla apud Scavini (*II*. 478): 3° *Confusione*, dum scilicet proprietarius fundi dominantis evadit etiam proprietarius fundi servientis aut viceversa. Hinc si postea unus fundus vendatur, prior servitus (secluso pacto

speciali) non reviviscit (*A.* 664). Excipe nisi servitus continua et apparens fuisset, ut in casu stillicidii iuxta dicta *n.* 3059. *V.* 4° *Destructione,* nempe si res, quae servitutis activae vel passivae fundamentum erat, destruatur vel ad usum prorsus inepta reddatur (ut puta, si fons exaruisset, vel domus destructa fuisset etc.). Si tamen res ipsa postea ad primum statum rediret, servitus (nisi praescriptio intercessisset) revivisceret (*A.* 662. 663).

APPENDIX

De iure administrationis legalis, quando scilicet ius istud vi legis alicui competit.

3063. *Ad quales actus hoc ius administrationis extenditur?* Generatim actus, ad quos administrator legalis ius habet, sunt sequentes: 1° Exactiones fructuum, earumque debitae pecuniae summarum quae investiri non debent: 2° Locationes consuetae: 3° Venditiones fructuum naturalium, et rerum mobilium, quae (si non venderentur) deteriorationi exponerentur: 4° Expensae ad solvendas taxas, mercedes etc. atque ad comparanda ea quae, iuxta finem administrationis, necessaria sint.

E contra administratori ordinarie non competunt sequentia: 1° Alienationes immobilium, atque etiam (secluso casu supradicto) mobilium, speciatim pretiosorum: 2° Hypothecae passivae et cessiones in pignus: 3° Renuntiare iuribus: 4° Cedere credita: 5° Exactiones facere capitalium spectantium ad sortem: 6° Emere stabilia, vel etiam mobilia non necessaria: 7° Accipere summas ad mutuum: 8° Transactiones facere: 9° Ad divisiones procedere: 10° Locationes facere ultra novennium: 11° Acceptare aut repudiare haereditates: item acceptare legata vel donationes cum oneribus et conditionibus: 12° Lites inire, nisi ad exigendos redditus et in casibus urgentibus fiant (*A.* 296): Denique nec donationes (nisi forte titulo omnino convenientium remunerationum vel eleemosynarum), nec fideiussiones facere potest.

PUNCTUM IV.

De subiecto dominii circa bona fortunae.

3064. *Quis potest esse subiectus dominii?* 1° Personae particulares; 2° Personae morales.

Personae morales sunt societates, quae dicuntur etiam *cor-*

pora moralia aut *corporationes*. Si eiusmodi sint, ut ex scopo, et substituendo alios demortuis, perpetuo durare debeant, *manus mortuae* appellantur.

In societatibus, quae bonum scopum habeant, ius dominii a iure uaturae profluit; quum enim ad existentiam ius habeant, ad media quoque subsistentiae ipsi necessaria (cuiusmodi sunt pecunia et aliae res corporales) ius habere debent; ut sensu et usu communi manifestissime patet.

Leges civiles quoque ius istud tuentur atque in tribunalibus actionem concedunt. Codex noster (*A. 2*) dicit: « I comuni, le provincie, gli istituti pubblici « civili ed ecclesiastici, ed in generale tutti i corpi morali, legalmente riconosciuti, sono considerati come persone, e godono dei diritti civili, secondo le « leggi, e gli usi osservati come diritto pubblico ».

3065, *Personae particulares et morales suntne capaces dominii pleni in quovis casu?* Negative; partim enim iure naturae et partim iure positivo efficitur ut in multis casibus dominium plus vel minus restringatur, et variis conditionibus atque modificationibus subiiciatur. Hac de re sequentes explicationes adiicio.

§ I.

Agitur de dominio quoad personas morales.

3066. *Praescindendo a iure canonico, quid de dominio personarum moralium iuxta leges civiles italicas?*

I. Oportet imprimis ut corpus morale non fuerit suppressum, bene vero fuerit (tamquam capax dominii) legaliter recognitum.

Art. 433. I beni degli istituti civili od ecclesiastici e degli altri corpi morali appartengono ai medesimi, in quanto le leggi del regno riconoscono in essi la capacità di acquistare e di possedere.

II. Oportet ut serventur conditiones, quae, tam ad acquirendum quam ad alienandum, a legibus praescribuntur.

Ad acquirendum: Le eredità devolute ai corpi morali non possono essere accettate che coll' autorizzazione del governo (*A 932*). Idem dic de donationibus (*A. 1060*). I lasciti ad istituti e opere pie sono sottoposti all' approvazione del Re (*Lex 26 Iun. 1864*). — L' usufrutto stabilito in favore di comuni o di altri corpi morali, per atto tra vivi o di ultima volontà, non può eccedere la durata di trent' anni.

Ad alienandum: I beni degli istituti ecclesiasttci sono soggetti alle leggi civili, e non si possono alienare senza l'autorizzazione del governo. (*A. 434*).

§ II.

Agitur de dominio quoad personas particulares.

Agendum est de dominio 1. quoad infantes, amentes et nondum natos: 2. quoad minores: 3. quoad interdictos, inhabilitatos, surdos-mutos a nativitate, et caecos pariter a nativitate: 4. quoad uxores: 5. quoad clericos.

QUAESTIO I.

Quid de dominio quoad infantes, amentes et nondum natos?

3067. *Infantes* et *amentes* sunt certe capaces dominii, ut constat a sensu et praxi communi, atque etiam ex sacris litteris, dicente Apostolo (*Gal. IV.*): « Quanto tempore haeres parvu« lus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium ». Administratione tamen et exercitio dominii carere debent, ut per se patet.

Nondum nati sunt capaces dominii quoad res eis relictas aut iure successionis debitas, sed solum (ut ita dicam) in suspenso, nempe sub conditione quod nascantur vivi et vitales. Vitales autem praesumuntur si post sex menses vitae intrauterinae cum omnibus organis ad vitam necessariis vivi nati fuerint (*A.* 724. 764). Nequit autem cogi mater (quae dicit se esse gravidam) ut corporali inspectioni subiiciatur, sed usque ad decimum mensem expectandum est, atque interim leges permittunt ut *Curator ventri* assignetur (*A.* 236).

QUAESTIO II.

Quid de dominio minorum?

3068. I. Minor (apud nos) est qui vigesimum primum annum nondum complevit (*A.* 340).

3069. II. Minor potest esse I° sub patria potestate: 2. sub tutela: 3° sub cura.

3070. *Patria potestas* 1. Locum habet solum quoad filios legitimos aut legitimatos: 2. Residet solum in patre; eoque mortuo (aut, propter absentiam vel delictum, patriam potestatem exercere non valente), in matre (*A.* *220*): 3. Cessat si subsequatur emancipatio.

Emancipatio in filio minore accidere potest duobus modis, nempe 1. per matrimonium: 2. per actum specialem genitoris, dummodo filius decimum

octavum annum compleverit. (*A. 310 311*). Est autem emancipatio quaedam liberatio a subiectione paterna, quoad contractus, administrationem etc., ut infra melius explicabitur.

3071. *Tutela* intervenit pluribus modis: 1. Si filius legitimus vel legitimatus adhuc minor et non emancipatus sine genitoribus remaneat; tunc enim potest habere locum tutela, quae a consilio familiae et tutore etc. constituitur (*A. 241 271*). 2. Si filius ex ignotis parentibus natus in hospitio (vulgo *brephotrophio*) recipiatur; tunc enim pro illo hospitii ipsius administratores consilium tutelae constituunt (*A. 262*). 3. Si filius extra matrimonium natus a genitore legaliter recognoscatur; tunc enim, etsi legitimatus non fuerit (sola enim recognitio non est legitimatio *A. 179*), sub tutela genitoris ipsius recognoscentis remanet (*A. 184*). 4. Si pro filio extra matrimonium nato, nec recepto in hospitio nec recognito (ut supra), constitutum fuerit consilium tutelae, eique (iuxta *A. 261 248*) tutor datus fuerit.

Tutela, non secus ac patria potestas, per emancipationem (ut supra *n. 3070*) cessat (*A. 311. 312*).

3072. *Cura* in minoribus emancipatis intervenire potest; ipsi enim non semper liberi evadunt ex toto, sed eis assignari solet curator, a quo in quibusdam actibus (ut statim explicabitur) assisti debent. Si filius emancipatus prius erat sub patria potestate, tunc apud genitorem cura remanet; filia tamen per matrimonium emancipata non patrem sed maritum curatorem habet (*A. 314. 315*), qui uxori quoque maiorenni curator esse pergit.

3073. III. Minor potest habere bona diversi generis, nempe 1° Bona quae haereditate aut donatione acquisierit a parentibus vel extraneis; et haec sunt illius propria: 2° Bona quae suo labore vel industria comparaverit, et quoad ista distinguendum est. Si amore aut gratitudine ductus, vel ad compensanda alimenta, pro patre laboret (prout in familiis agricolarum et artificum ordinarie contingit), tunc lucrum omne ad patrem spectabit. Si e contra, quum filius pro patre non indigente minime teneatur ultra valorem alimentorum laborare, ultra valorem ipsum laboret et lucretur, atque intentionem habeat pro ea parte non laborandi gratis, utique poterit (ut dixi *n.* 3003) aliquid sibi retinere, aut occulte se compensare, quamvis, verecundia praepeditus, dictam suam intentionem non manifestaverit. Attamen hoc ei licitum non esset si fratres non minus laborarent atque lucrarentur, et omnia in commune ponerent.

3074. Quamvis minor bona propria sic habere possit, non semper de iisdem disponere valet pro libitu; sed eorundem administratio, et interdum etiam ususfructus, ad illum non spectat.

3075. *Quoad administrationem*, distinguendum est. Si non sit emancipatus, ius administrationis ad genitorem patriam potestatem habentem, vel ad illos qui tutelam exercent, ex toto spectat. Hi tamen et ille ad alienationes et similia (iuxta dicta *n.* 3063) sine auctorizatione tribunalis procedere nequeunt (*A.* 224. 277. 296. 301). Si vero sit emancipatus, administratio ad

illum quidem spectat (*A.* 317), sed limitata; ita scilicet ut, quoad exactiones et investimenta capitalium, a curatore dependere (*A.* 318), et sine decreto iudicis ad alienationes et similia procedere non possit (*A.* 319). Haec autem ratione aetatis et iudicii imbecillioris provide statuta sunt.

3076. Attamen contractus, qui regulis istis minime servatis peracti fuerint, non sunt invalidi ipso facto: sed solum ad nutum minoris ipsius, patris, tutoris vel curatoris, rescindi poterunt. (*A.* 227. 322).

3077. *Quoad usumfructum*, leges civiles tribuunt patri (in recompensationem alimentorum etc.) usumfructum bonorum filii; ita tamen ut hic ususfructus locum non habeat in quibusdam casibus, et, secuta emancipatione, semper cesset. En verba legis (*A.* 228. 229):

Il padre ha l' usofrutto dei beni che provengono al figlio da successione, donazione, e da qualunque titolo lucrativo; e lo conserva sino a che il figlio sia emancipato, od abbia raggiunto l' età maggiore.

Non sono soggetti all' usofrutto legale

I. *I beni lasciati o donati colla condizione che il padre non ne abbia l' usofrutto* (ut puta, si filio solus ususfructus datus fuisset) : *la qual condizione però sarà senza effetto riguardo ai beni riservati al figlio a titolo di legitima.* Sine effectu esset etiam haec conditio, si de solutione debiti (quae utique non est donatio) erga filium ageretur.

II. *I beni lasciati o donati al figlio per intraprendere una carriera, un' arte, od una professione.*

III. *I beni pervenuti al figlio per eredità, legato o donazione accettata nell' interesse del figlio contro il consenso del padre.*

IV. *I beni acquistati dal figlio in occasione o per esercizio di milizia, uffizii, impieghi, professioni ed arti, o altrimenti col proprio lavoro e colla propria industria separata.*

V. Adde si pater usufructui renuntiet (expresse vel tacite), illumque filio relinquat. Cf. Lugo (*De Iust. V.* n. 28. 29). *

* Notandum quod ius commune distinguebat bona filiorum inter *castrensia, quasi castrensia, profectitia et adventitia* (quae peculia dicebantur).

Castrensia erant quae occasione militiae; *quasi castrensia* autem quae occasione officii publici et publicum stipendium habentis (v. g., iudicis, tabellionis etc.) filio obveniebant. Quasi castrensia (iure comuni et canonico) sunt etiam quae post clericatum (scilicet post receptam primam tonsuram) filio sive ex officio clericali sive aliter obveniunt.

QUAESTIO III.

Quid de interdictis, inhabilitatis, surdis-mutis, et caecis - natis?

3078. I. Contra personas aetate maiores vel emancipatas, interdictio et inhabilitatio propter mentis imbecillitatem (quae forte in illis verificetur), decerni possunt. Differentia est, quia interdictus bonorum suorum administratione prorsus privatur, et sub tutore ponitur; inhabilitatus autem (eo quod dicta imbecillitate in gradu minori laboret, vel prodigus sit) habet quidem administrationem, sed limitatam (ita ut ad alienationes, ad debita contrahenda etc., procedere nequeat), et sub curatore ponitur. Heic quoque notandum quod contractus ab interdicto vel inhabilitato celebrati non iam invalidi ipso facto, sed solum (a parte interdicti vel inhabilitati ipsius et personarum habentium causam cum illo) rescindibiles sunt (*A*. 324 - 342).

II. Actus huiusmodi personarum, qui etiam ante iudicialem interdictionem intervenerint, attentis circumstantiis (inter quas consideranda venit quoque mala fides alterius contrahentis), et interdum etiam testamentum (iuxta *A*. 336. 337), annullari possunt.

III. Surdi - muti et caeci - nati reputantur inhabilitati ipso iure, nisi a iudice habiles declarati fuerint (*A*. 340).

QUAESTIO IV.

Quid de bonis uxoris?

3079. *Quot specierum possunt esse bona uxorum?* Esse possunt 1° dotalia: 2° extradotalia (seu paraphernalia): 3° communia.

Profectitia dicebantur ea quae ex rebus paternis filius lucratus fuisset, vel intuitu patris ei fuissent relicta.

Adventitia denique erant quaelibet alia bona filio obventa, quae nec castrensia, nec quasi castrensia, nec profectitia fuissent.

Peculium castrense et quasi castrense ad filium spectabat absolute, scilicet tum quoad proprietatem, tum (post pubertatem) quoad usumfructum, tum quoad administrationem.

Peculium profectitium ad patrem spectabat ex toto; et unica differentia erat quod bona profectitia propter patris delicta confiscari non poterant.

Denique peculium adventitium quoad proprietatem ad filium; quoad usumfructum vero et administrationem ad patrem spectabat. Cf. Lugo (*De Inst. V*. II.).

3080. *Quid de bonis dotalibus?*

I. Sunt illa quae expresse constituta fuerint in dotem (idest ad sustinenda onera matrimonii). Constitutio vel augmentum dotis fieri potest etiam matrimonio iam contracto (iuxta leges italicas), sed (ne fiat fraus creditoribus) non a marito.

II. Dos consistere potest 1° in bonis immobilibus aut mobilibus non aestimatis, 2° in summa pecuniae aut in mobilibus aestimatis.

III. Dominium dotis, si consistat in immobilibus aut mobilibus non aestimatis, spectat ad uxorem; si vero in summa pecuniae vel in mobilibus aestimatis consistat, tunc dominium spectat ad maritum; qui tamen (sive ex conventione sive ex sententia iudicis) ad dandam assecurationem teneri potest. Cf. Praxis (*n.* 2419).

IV. Administratio et ususfructus dotis regulariter spectat ad maritum; ita tamen ut in contractu dotali statui possit ut uxor quolibet anno vel quolibet mense talem vel talem pecuniae summam (vulgo *spillatico*) habere debeat, de qua pro suis necessitatibus personalibus et minutis expensis ad libitum disponere possit.

V. Immobilia et iura dotalia, seclusa conventione, aut (accedente decreto iudicis) necessitate, nec in toto nec in parte alienari possunt.

VI. Uxor exigere potest (sed solum iudicialiter) ut non maritus sed ipsa administrationem dotis obtineat in tribus casibus: 1° Si dos in manibus mariti (vergentis ad inopiam) in periculo esse inciperet: 2° Si uxor sententiam divortii quoad thorum et habitationem iam obtinuisset (*A.* 1418. 1424): 3° Si maritus non dotem sed fructus dotis dissiparet, aut eosdem ex mala administratione deficere sineret, adeo ut proinde familia sustentatione necessaria privaretur (*Cod. annot. A.* 1418. *n.* 22). Dos tamen in manu quoque uxoris remanet semper inalienabilis sicut antea (*A.* 1424). Cf. Praxis (*n.* 2416 - 2428).

VII. Quamvis autem dos legaliter sit in manu mariti, ab eoque administretur; hoc non impedit quominus uxor in conscientia de aliquibus disponere possit, ut (*n.* 3082) declarabitur.

3081. *Quid de bonis extradotalibus seu paraphernalibus?*

I. Bona ista sunt quae spectant ad uxorem, quin in dotem constituta fuerint (*A.* 1425). Exemplum habes 1° Si a parentibus vel ab extraneis uxor aliqua bona sic acceperit: 2° Si industria singulari (v. g., si esset pictrix, mercatrix etc.) seu labore extraordinario (ultra scilicet id quod ad sufficientem familiae curam exigitur) aliquid sibi comparaverit: 3° Si forte,

subtrahendo aliquid (ex consensu saltem praesumpto mariti) de sibi concessis ad victum, vestitum, recreationes etc., parsimonialia bona accumulaverit (Gury *I.* 550).

II. Uxor de his bonis non dominium tantummodo, sed etiam administrationem et usumfructum habet: nisi ipsa hanc administrationem marito reliquerit (*A.* 1427).

III. Attamen uxor (durante matrimonio), circa haec bona absque mariti (et aliquando iudicis) auctorizatione, ad alienationes vel similes actus (nisi mercaturam exerceat) procedere nequit (*A.* 124-136). Heic quoque notandum quod nullitas alienationis non ipso facto, sed solum ad instantiam uxoris ipsius, mariti, eorumque haeredum vel causam habentium, incurritur (*A.* 137).

3082. *Quid de bonis communibus?* Communio bonorum inter coniuges apud nos vix usuvenit, et uxor cum marito laborans pro eo laborare censetur; quin ad laboris fructum dividendum ius habeat. Nihilominus inter coniuges fieri posset aliquis contractus societatis sive particularis, sive generalis. Pro generali regulae praecipuae sunt sequentes: 1° Haec respicere potest solum fructus, non vero fundos: 2° Oportet ut hic contractus actu matrimonii celebratus fuerit: 3° Administratio bonorum, quorum fructus in communione sunt, ad maritum pertinet (*A.* 1433 *et sqq.*).

3083. *Quando bonorum dotalium vel communium administratio legaliter spectat ad maritum, uxor remanebitne semper ita exclusa, ut in conscientia de bonis ipsis nihil omnino disponere possit?* Negative, illa enim de bonis ipsis (imo interdum de bonis mariti) plus vel minus disponere poterit I° ex consensu mariti sive expresso, sive tacito, sive probabiliter praesumpto: II° iure proprio, atque adeo etiam marito irrationabiliter invito. Casus essent sequentes: 1° Si maritus esset absens nec alium administratorem reliquisset; 2° Si maritus bona dilapidaret; tunc enim uxor aliqua pro futuris necessitatibus abscondere posset: 3° Si maritus quae uxori vel familiae necessaria sunt, nullatenus vel nimis difficulter concessurus esset: 4° Si agatur de illis minutis provisionibus et expensis, quae ex loci consuetudine (quin oporteat in singulis casibus licentiam petere a marito) uxoribus competant, prout, v. g., circa linteamina, circa parvas eleemosynas, circa munuscula iuxta decentiam etc., contingere solet; et notandum quod uxor non est sicut famula, quae semper dependere et licentiam petere debeat: 5° Si agatur de rebus quae nimis dure uxori prohiberentur, ut puta, ne aliquod subsidium parentibus aut filiis primi matrimonii

in egestate degentibus tribuat. Attamen in hoc postremo casu si subsidia consuetarum eleemosynarum mensuram excederent, et uxor bona extradotalia haberet, his uti deberet. Cf. Gury (*I.* 554 *et sqq.*).

QUAESTIO V.

Quid de bonis clericorum?

3084. *Bona clericorum quotuplicis generis esse possunt?* Imprimis esse possunt 1° *patrimonialia:* 2° *ecclesiastica;* 3° *casualia* (quae etiam dicuntur *quasi-patrimonialia,* vel *quasi-ecclesiastica*, vel *industrialia*).

3085. ***Quid de bonis patrimonialibus?***

I. Patrimonialia sunt non solum ea bona quae ex paterna haereditate clerico obveniunt, sed etiam alia omnia quae ex causa profana (v. g., aliis haereditatibus, vel donationibus, vel suis studiis aut officiis non sacris etc.) acquirit vel possidet.

II. Quoad bona ista, clerici considerantur sicut alii. Duo tantummodo notanda sunt: 1° Si clericus sit filius familias, bona ab eo acquisita post primam tonsuram iure canonico tamquam *quasi-castrensia* habentur, (atque adeo pleno iure, etiam quoad usumfructum, ad illum spectant) ut supra (*n.* 3077 *not.*) innuebam: 2° Bona, quae clerico data sint in *patrimonium sacrum,* ad illum pertinent saltem quoad usumfructum, et clericus post subdiaconatum nec illis renuntiare, nec sinere ut hypothecis subiiciantur, nec illa permutare potest. Cf. D'Annibale (*III.* 179. 180). Si autem patrimonium sacrum a patre constitutum fuisset, in divisione haereditatis quoad sortem (non quoad fructus) computari deberet. Vide alia in Praxi (*n.* 5101).

3086. ***Quid de bonis ecclesiasticis?***

I. Bona ecclesiastica sunt quae ex redditibus ecclesiastici beneficii clericus percipit.

II. Subdistinguuntur quatenus vel 1° honestae sustentationi correspondent; vel 2° eidem honestae sustentationi sunt *superflua.*

III. Redditus qui honestae sustentationi correspondent, certe ad beneficiatum, dummodo horas canonicas recitet, et (quatenus beneficium sit residentiale) residentiam servet, pleno iure spectant; illosque omnes (quamvis bona propria haberet et dives esset) tuta conscientia sibi applicare potest.

IV. Superflua (quae sive in se sive in aequivalenti existant) in usus pios erogari debent. Hanc obligationem plures censent esse ex iustitia (atque adeo cum onere restitutionis ex bonis propriis, quamvis superflua ne in aequivalenti quidem existerent); alii vero (hodie communius) ex sola religione, charitate, et praecepto Ecclesiae, oriri docent (Cf. Lhemkuhl *I.* 899. *not.* 1. et Praxis *n.* 3710). Certe obligatio ista urget sub gravi. Attamen ad peccatum mortale constituendum maior materia exigitur quam in furto (Praxis *n.* 3728).

V. Contingere potest quod beneficiatus, parsimonias faciendo, partem, quam pro honesta sua sustentatione expendere posset, non ex toto expendat. Bona ex his parsimoniis accumulata dicuntur *parsimonialia*, eaque (iuxta omnes) beneficiatus tuta conscientia sibi retinere potest.

VI. Cavere oportet ab hallucinatione, quae accidere potest praecipue duobus modis: 1. Confundendo honestam sustentationem cum luxu; quamvis enim beneficiatus ex fructibus beneficii non solum victum, vestitum, habitationem et famulatum convenientem adhibere; sed etiam hospitalitatem exercere et aliquas expensas pro recreationibus facere possit; tamen frugalitatem et moderationem semper servare debebit, atque ad luxum nunquam procedere poterit; 2. Excedendo limites in subventione consanguineorum: qua in re beneficiatus facile illudi potest reputando vel quod ad proprium decorem (et proinde quodammodo ad honestam suam sustentationem) hoc exigatur; vel quod tamquam eleemosyna et opus pium idipsum considerari possit; dum reapse nec ad decorem exigatur (sed forsan in dedecus et scandalum redundet), nec opus pium (paupertate in consanguineis non subsistente) ullatenus sit. Cf. Casus consc. (*An.* 1892 *Cas. III*).

VII. Si dos beneficii in praediis consistat, et beneficiatus industriâ extraordinariâ procuraverit melioramenta, unde fructus valde abundantiores et honestae sustentationi superflui evaserint; ille poterit quidem ex illis de expensis et opera sua se compensare; non vero illos ex toto tamquam industriae suae fructum considerare sibique retinere (Cf. *Casus l. c.*).

VIII. Haeredes beneficiati, qui superflua in usus pios non erogasset, quum succedant in omnia defuncti onera realia (sive iustitiae sive religionis), utique, per se loquendo, ad eandem erogationem tenerentur; sed Lugo docet, Ecclesiam, ad vitanda peccata et damnationem animarum praecavendam, ab haeredibus id non exigere. *Praxis* (*n.* 3730).

3087. *Quid de bonis* ***casualibus seu quasi patrimonialibus*** *etc.?*

I. Huiusmodi sunt eleemosynae Missarum : emolumenta Parochorum pro funeribus, matrimoniis, baptismis etc. (vulgo *incerti di stola bianca e nera*): stipendia quae clericis dantur pro sacris functionibus, concionibus, officiis vicarii, cantoris, magistri sacrae theologiae etc.; distributiones canonicorum sive *inter praesentes* (pro anniversariis etc.), sive *quotidianas* (pro praesentia et psalmodia in choro etc.).

II. Haec ad Clericos, quibus data fuerunt, libere spectant. Ratio est quia sunt merces et stipendium laboris, et dantur sine intentione ut ulla supersit obligatio ea erogandi in usus pios, in quos iam sunt erogata; idque verum est quamvis forte a bonis beneficialibus (ut stipendium vicarii, distributiones quotidianae etc.) derivent.

3088. *Quid de capellaniis laicalibus et collativis?*

I. Bona capellaniae laicalis sunt profana; quasi scilicet perinde sunt ac fundi quibus adnexum sit legatum Missarum. Quae itaque supersunt, onere satisfacto, libera prorsus sunt. Cf. Scavini (*IV.* 677).

II. Bona capellaniae collativae (quae est cum institutione canonica et onere non solum Missarum, sed etiam officii divini etc,) sunt ad instar aliorum beneficiorum, et proinde iisdem regulis subiiciuntur. Excipe nisi ex specialibus indiciis de intentione fundatoris contrarium argui debeat; qua de re vide *Praxim* (*n.* 3710 *in not.*).

3089. *Quid de pensionibus ecclesiasticis?* Pensiones ut plurimum detrahuntur a beneficio ecclesiastico, et dantur vel dari solent vel 1. in praemium meritorum; vel 2. in supplementum congruae vel ad sublevandam paupertatem; vel 3. ad componendam litem. Theologi hodie communius dicunt cum S. Lig. (*III,* 491. *q.* VI), pensionem esse liberam ab onere quidquam ex illa erogandi in usus pios; quia hoc ipso, quod Pontifex illam approbavit, erogationem in usum pium, nulla alia remanente obligatione, facere intendit. Quod tamen hoc verum sit in omnibus casibus, ego (cum Sanchez aliisque) valde dubito.

3090. *Quid de decimis et primitiis?* Decimae et primitiae partem praebendae beneficialis (ex intentione Ecclesiae et offerentium) constituunt; et proinde ab onere erogandi superflua in usus pios liberae non sunt. Scavini (*II.* 300).

3091. *Quid de aliis oblationibus, quae a Christifidelibus Ecclesiae, vel Capellis, vel SS.mo Sacramento, vel alicui*

Sacrae Imagini etc. fieri solent? Standum est intentioni offerentium. Sed de re ista iam diffuse egi supra (*n.* 1496 *et sqq.*).

QUAESTIO VI.

Quid de bonis religiosorum?

3092. I. Videndum imprimis an de solemnium, an vero de simplicium votorum religione agatur.

II. Votum solemne paupertatis efficit ut religiosus circa bona fortunae (excepto solo casu extremae necessitatis) personaliter fiat prorsus incapax dominii et iurium; unde actus, qui dominii vel iuris personalis exercitium important, in religioso non solum illiciti sed etiam invalidi sunt. Nunquam itaque ad modum domini vel ius habentis, sed cum continua dependentia, scilicet solum cum Superiorum licentia (sive expressa, sive tacita, sive implicita, sive praesumpta), et quidem semper revocabili atque legitime obtenta, procedere debet. Hinc sine huiusmodi licentia Religiosus 1. nihil accipere potest ab extraneis (licentia autem esse posset solum accipiendi pro monasterio, unde adagium: *Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio*): 2. nihil accipere potest de rebus monasterii pro se, et multo minus pro aliis. Praelati etiam non tamquam domini, sed solum tamquam administratores ex mandato Romani Pontificis (vel Religionis, si Religio sit capax dominii in communi) de bonis monasterii disponere possunt.

3093. *Quid* 1. *De religiosis, qui iuxta leges civiles italicas considerantur ut suppressi?* 2. *De religiosis saecularizatis in perpetuum ex indulto apostolico?* 3. *De religiosis ad episcopatum promotis?* Hi omnes votum paupertatis conservant, sed modificatum. Scilicet

I. Religiosi civiliter suppressi possunt adire haereditates tam ex testamento quam ab intestato, et possunt etiam condere testamentum; sed ita ut bona acquisita tum quoad proprietatem, tum quoad usumfructum et administrationem, monasterio cedant; atque insuper dispositiones testamentariae fiant iuxta voluntatem Superiorum, qui tamen subinde permittere possunt ut aliqua consanguineis relinquantur. *Praxis* (*n.* 3647).

II. Religiosi saecularizati in perpetuum possunt acceptare haereditates et alia bona sibi oblata, sed solum per quantum

ad honestam sustentationem deserviunt. Testamentum autem (nisi speciale habeant indultum) conficere nequeunt. *Praxis* (*n.* 3648).

III. Religiosi ad episcopatum promoti, uti frui possunt redditibus episcopatus sicut alii Episcopi, et proinde cum onere erogandi superflua in usus pios. Possunt etiam adire haereditates tam ex testamento quam ab intestato; sed in morte (nisi speciale habeant indultum) omnia Cathedrali relinquere tenentur; sicut enim prius quidquid acquirebant, acquirebant monasterio, ita postea quidquid acquirunt, acquirunt Cathedrali. *Praxis* (*n.* 3046).

3094. *Quid de Religiosis votorum simplicium?* Differentia est quia sunt capaces dominii quoad validum (nempe valide retinent dominium bonorum quae habebant ante votorum emissionem; valide etiam acquirunt alia bona, et acquisita valide aliis dant); sed non sunt capaces dominii quoad licitum; quatenus scilicet, sine licentia Superiorum, bona retinere, acquirere, vel aliis dare, licite nequeunt. *Praxis* (*n.* 3651).

ARTICULUS II.

DE IUSTITIAE VIOLATIONE SEU DE INIUSTITIA VEL INIURIA.

Explicatur quid sit iniustitia et quibus in casibus praecipue accidat. Deinde in particulari agitur de furto.

PUNCTUM I.

Exponitur quid sit iniustitia et quibus in casibus praecipue accidat.

3095. *Quid est iniustitia?* Est iuris alterius laesio.

Dicitur *iuris.* Hoc intelligitur 1. De iure *stricto* ad iustitiam commutativam pertinente, laedendo scilicet proximum in re quae vel sua sit, vel sua ita effici debeat, ut, illam ei auferendo vel non dando, rectus ordo reparationem exigat. Intelligitur 2. De iure in illis quoque circumstantiis existente et persistente. Hinc oportet ut proximus sit invitus rationabiliter. *Invitus:* si enim sciret (absque errore), et, sive expresse sive tacite sive interpretative, atque libere neque coactus, consentiret, tunc iniuria non adesset, quandoquidem *scienti et consentienti non fit iniuria.* Interdum tamen, non obstante hoc consensu, iniuria persistit, si nempe iniuria in alios (non consentientes) redundet. *Rationabiliter;* nunquid enim, v. g., aderit iniustitia si iniustus aggressor occidatur invitus? Cf. Ballerini (*Op. th. VIII.* II. 5).

3096. Dicitur *alterius*, nempe contra personam sive physicam sive moralem. Quoad personam moralem notandum quod iniuria interdum est solum contra collegium, si nempe ius laesum sit solum in collegio qua tale (v. g., iniuste impedis ne capitulum comitia sua habeat, vel eligat ad beneficium etc.), et interdum est contra singulos (v. g. furaris ex massa capitulari, aut capitulum vocas perditum, avarum, ignavum etc.).

3097. Dicitur *laesio*. Ex hoc capite notanda sunt sequentia.

1. Debet esse voluntaria; secus enim iniuria vel nulla vel solum materialis erit (Casu, v. g., aliquid fregisti, vel iocando socium laesisti). Aliquando tamen etiam ex laesione materiali reparationis obligatio adesse potest; ut puta, si delictum falsum (credendo esse verum) Superiori denuntiavisses.

2. Quamvis ordinarie iniuria cum damno, et damnum cum iniuria coniungatur, tamen aliquando iniuria est sine damno (ut in contumelia, in adulterio sine prole, in momentanea violatione domicilii etc), et aliquando damnum est sine iniuria (ut puta, si precibus obtineas ne Titius Caio amico suo haereditatem relinquat).

3. Potest esse directa et indirecta. Titius, v. g. occidit Petrum inimicum suum (en iniuria directa), et tali occisione eius filii patre indigentes sine pane remanent (en iniuria indirecta).

4. Dicunt multi, pravum animum et intentionem nocendi nunquam reddere iniustum id quod secluso tali animo iniustum non esset. Hoc certe verum est ut plurimum (Iudex, v. g., ex odio damnat reum ad mortem); sed non videtur verum semper. Sic, v. g., aliud est occidere Titium praevidendo damnum pauperis cui opem ferebat, et aliud Titium occidere ex odio contra pauperem ipsum et ex unico motivo privandi illum suo benefactore; in primo enim casu occasio, et in secundo (cum vera iniuria) causa damni eris. Item aliud est cadaver occisi deferre extra agrum tuum ne homicidium tibi imputetur, etsi illud ponas in agro vicini praevidendo quod illi imputabitur; aliud vero illud deferre ad agrum vicini ex odio contra vicinum ipsum atque ut homicidium ei imputetur. Cf. Lugo (*De Iust. et iur. VIII.* VII. *73, et XVIII.* V. *98*).

3098. *Iniustitia quibus in casibus praecipue accidit?* 1. In furto: 2. In iniusta damnificatione: 3. Accidere solet etiam in contractibus. Sed de contractibus agam infra (ut dixi). De iniusta damnificatione agendum est commodius ubi de iustitiae laesae reparatione. Heic igitur agam solum de furto.

PUNCTUM II.

De furto.

Agendum est de furto 1. in genere: 2. quoad gravitatem vel levitatem: 3. quoad speciem et numerum.

§ I.

De furto in genere.

3099. *Quid est furtum?* Est ablatio non violenta rei alienae, invito rationabiliter domino.

Ablatio, et sic distinguitur a damnificatione, in qua damnum affertur quin aliquid auferatur. Per ablationem intellige etiam *iniustam rei detentionem*, v. g., non restituendo pignus; vel *iniustum rei usum*, v. g., utendo re in solum depositum vel pignus (usu interdicto) tradita.

3100. **Non violenta**; secus enim esset *rapina*, quae non furtum sed aliud peccatum specie diversum (propter iniuriam personalem) est. Ad rapinam constituendam non sufficit quod, v. g., portam vel murum rumpas, aut alteri furi (rem ante te auferre volentem) vim inferas; sed oportet ut vim contra dominum adhibeas, sive violenter et physice rem ab eius manibus auferendo, sive metu et minis illum cogendo ut rem suam tibi tradat. Contingere potest quod ablatio iniusta sit gravis et rapina levis (si nempe, rem magni valoris auferendo, non magna vis contra dominum fiat); et viceversa.

3101. **Rei** sive mobilis sive immobilis (attamen ablatio rei immobilis potius erit *usurpatio*). Caeterum furtum esset quoque si quis personam (v. g., puerum suis genitoribus) furaretur.

Alienae: intellige rem quae sit alterius sive quoad proprietatem, sive quoad usum, custodiam etc.; unde furtum etiam contra usuarium, conductorem, depositarium, pignoratarium etc. committi potest. Imo dominus ipse potest esse reus furti. Casus esset si rem suam alteri, v. g., locatam subtraheret.

3102. **Invito domino.** Ut cesset malitia furti, sufficit si dominus probabiliter censeatur contentus (ut declaravi supra *n. 2977*). Si tamen postea reperiretur invitus, res ei esset restituenda, quia praesumptio veritati cedere debet. Aliquando potest esse reus furti etiam qui rem aufert domino praesenti et non contradicenti; si nempe ex metu aut verecundia taceat, et sic adhuc sit invitus.

Contingere potest casus in quo dominus sit invitus solum quoad modum, et non quoad substantiam, ita ut rem concessurus esset si rogaretur; et tunc malitia furti levis erit.

3103. **Rationabiliter.** Si enim dominus esset invitus irrationabiliter, tunc etiam malitia furti cessaret. Exemplum habes in casu extremae necessitatis: vel licitae compensationis: vel si ex errore foret invitus (ut puta, si talis esset nesciens quod per iocum aliquid statim restituendum ei ablatum fuit): vel denique si ob illius bonum ei aliquid surripueris, prout aliquando contingere potest, v. g., surripiendo ensem aut venenum se interfecturo; cibos noxios aegroto; vinum se inebriaturo; librum haereticum amico; vel si uxor pecuniam in vitiis insumendam marito abscondat etc. Vide etiam *Praxim n.* (1359).

3104. *Quaenam itaque sunt causae a furto excusantes?* Causae generales sunt duae: I. Consensus domini saltem praesumptus: II. Si dominus sit quidem invitus sed irrationabiliter. Hinc deducuntur sequentes causae particulares: 1° Iusta compensatio (iuxta dicta *n.* 2994-3017). 2° Extrema necessitas (iuxta dicta *n.* 2992). 3° Interdum aliae necessitates sive a parte illius qui rem aufert (iuxta dicta *n.* 2993), sive a parte aliorum, sive a parte domini ipsius, ita ut vel praesumendum sit illum esse contentum, vel (iuxta dicta *n.* 3103) charitas iustitiae praevaleat. 4° Ablatio iocosa. (vulgo *per burla*).

§ II.

De furto quoad gravitatem vel levitatem.

Distinguendum est 1. Inter furtum unico actu commissum inspiciendo solum conditionem personae cui res sua aufertur, an silicet sit pauper aut plus minusve dives: 2. Inter furtum pariter uno actu commissum, sed ita ut speciales circumstantiae interveniant: 3. Inter furta minuta multiplicata.

3105. *Quid de gravitate vel levitate furti unico actu commissi si* ***inspiciatur sola conditio personae cui res sua aufertur?***

Teologi distinguunt inter gravitatem absolutam et relativam.

Gravitas *absoluta* in ea summa consistit, quae gravis est respectu cuiuscumque personae vel societatis, etiam opulentissimae; ita scilicet ut vel praesumendum sit quod persona ipsa sit graviter invita quod *per furtum* talis summa ei auferatur, vel saltem bonum publicum exigat ut furta huiusmodi non sub levi sed sub gravi prohibeantur. Saeculis anteactis summam istam multi Teologi benigniores in duobus vel tribus aureis (10 vel 15 fr.) reponebant. Nostris autem temporibus et locis (propter valde diminutum pecuniae pretium) in fr. 30 communius reponunt. Cf. Praxis (*n.* 1266. 1273), Bucceroni (*Comment. de mat. grav. in furto n.* 2), et Casimirum Gènnari (*Consult. LXIV. n.* 6 - 11).

Gravitas *relativa* variat inter fr. 1 (vel minus) et Fr. 30, secundum quod persona vel societas (contra quam furtum committitur) plus vel minus est pauper vel dives. Ad quantitatem istam melius in casibus particularibus determinandam, Theologi dant duas regulas.

Prima dicit esse gravem eam summam quae personae pro se et familia ad honestam unius diei sustentationem exigitur; secus esse levem. Sed haec regula valde fallax est, ut demostravi in *Praxi* (*n.* 1270).

Secunda distinguit inter varias classes, et dicit: Materia gravis erit Fr. 1 pro mendicantibus: Fr. 2 pro operariis et agricolis: Fr. 3 pro artificibus: Fr. 5 pro mediocriter divitibus: Fr. 6 pro absolute divitibus et mercatoribus valde opulentis: F. 15 pro magnatis ditissimis: Fr. 20 pro communitatibus valde opulentis: Fr. 30 pro Regibus. Sed etiam haec regula, speciatim quoad operarios, artifices, mediocriter divites (*it. piccoli possidenti*), et mercatores, (attenta maxime differentia locorum et circumstantiarum) fallax admodum esse solet, ut bene observat Casimirus Gènnari (*l. c. n.* 10).

3106. Ego dicerem I. distinguendum esse secundum quod persona (quae furtum patitur) honestae suae sustentationi superflua habeat vel non habeat.

II. Si superflua non habeat, ad materiam gravem facile pervenitur, et variare poterit inter Fr. 1 (vel minus) et Fr. 5 Sic, v. g., pro eo qui in magna miseria versetur (ut puta, si esset pauper qui mendicare erubesceret), minus Fr. 1. Pro paupere mendicante, Fr. 1 vel aliquid amplius. Pro eo qui suo labore necessariam (etsi modicam) sustentationem sibi suaeque familiae comparet, Fr. 2 vel 3. Pro eo qui omnino commode vivat, quamvis (ut dixi) superflua non habeat, Fr. 4 vel 5.

III. Loquendo autem de illis qui superflua habeant, differentiae possunt esse adeo variae et magnae, ut arbitrio viri prudentis relinquenda sit determinatio summae, seu taxae, quae inter Fr. 5 et Fr. 30 ei competat. *Praxis* (*n.* 1275. *III.*).

IV. Quoad societates, collegia, instituta, capsas publicas (it. *banche*), aeraria publica etc., si agatur de societate parva et paupercula (v. g. operariorum parvi pagi), quamvis tunc etiam taxa elevanda sit (damnum enim inter plures dividendum minus sentitur), tamen (meo sensu) non ultra duplum elevari poterit; unde, si pro uno operario taxa sit fr. 2 (ut dixi), pro dicta societate fr. 4 erit. Quoad alias autem societates, capsas etc. (quum hae quoque varient, ut ita dicam, in infinitum) in theoria nihil determinari potest, et vir prudens in casu concreto iudicabit, quid intra 4 et 30 fr. statui debeat. Dixi 30 *fr.;* in furtis enim unico actu commissi. quantitas *absoluta*, nequidem quando contra personam moralem commissum fuerit, excedi potest. Bucceroni (*l. c.*).

V. Denique si conditio personae (contra quam furtum commissum fuit) ignoretur prorsus, tunc quid medium (quod dicunt esse circiter 6 fr.) statui deberet. *Praxis* (*n.* 1276).

3107. *Quid de gravitate vel levitate furti unico actu commissi, **si speciales circumstantiae interveniant?*** Aliae sunt circumstantiae quae ex gravi leve, et aliae quae ex levi grave furtum reddere possunt.

3108. *Quaenam circumstantiae reddere possunt furtum ex gravi leve ?* Sunt quae, etsi non pertingant ad gradum in quo malitia furti prorsus evanescat, tamen illam imminuunt, eo quod dominus rationabiliter non possit esse ita invitus sicut esset si illa circumstantia non subsisteret. Tunc autem ad grave furtum constituendum maior materia exigitur ; et proinde con-

tingere potest quod furtum alias grave, in casu leve sit. Circumstantiae huiusmodi sunt speciatim sequentes.

I. *Necessitas gravis* a parte furis, dummodo non sit voluntaria. *Praxis* (*n.* 1288).

II. *Propinquitas et familiaritas ;* et speciatim si agatur de coniuge, vel filio, vel aliis consanguineis in eadem familia conviventibus. Imminuitur etiam aliqualiter malitia furti in famulis; domini enim sunt minus inviti quoad familiares, quam quoad extraneos. (Circa aliqua tamen sunt magis inviti, ut mox explicabo *n.* 3109. *V*). Quid simile dic de colonis. Vide explicationes in *Praxi* (*n.* 1289 - 1293).

III. *Si fur domino valde utilis esset*, *aut magna beneficia ei contulisset.* Lugo (*XVI.* 63).

IV. *Si agatur de rebus quae a domino minus aestimantur*, prout sunt 1. res expositae (ut ligna in sylvis et uvae iuxta publicas vias): 2. res deperditae: 3. res quae transierunt in manus usurpatoris cum parva spe illas recuperandi.

V. *Idem dic de rebus, quas dominus non equidem prorsus abiecisset, sed sponte in periculo ablationis ita reliquisset, ut pateat quod de earundem furto parum curat.*

VI. *Si agatur de rebus, de quibus futurum esset ut periissent (v. g., incendio), aut inutiliter collocatae fuissent,* v. g., si dominus vellet ut carnes canibus darentur. Praxis (*n.* 1308).

VII. *Si auferatur res cum intentione cito restituendi*, *nec dominus tunc illâ valde indigeret.*

VIII. *Si materia gravis non actu unico, sed pedetentim per furta minuta auferatur.* Sed de hoc casu agendum erit infra.

3109. *Quaenam circumstantiae reddere possunt furtum ex levi grave?*

I. Si dominus re levi (v. g. parva moneta), qua spoliatus fuit, valde indigebat, ita ut proinde gravia damna subiturus esset. Celebre est exemplum sartoris unicum acum habentis etc.

II. Si furtum rei levis cum aliis actionibus afferentibus damna praevisa et iniuste causata coniunctum fuerit. Praxis (*n.* 1281. 1282).

Attamen in his duobus casibus gravitas non in furto sed in damnificatione consistit.

III. Si furtum rei levis extraordinariam tristitiam domino iure allaturum esset, ut puta, si quis mnemosynon vel carissimam imaginem ei furaretur. In hoc tamen casu gravitas non in damno, sed in illa molestia, quae alteri affertur, consistit. Cf. Ballerini (*Op. th. XIII.* n. 56).

IV. Si necesse esset prohibere sub gravi furtum leve ne gravissimo detrimento dominus exponatur, ut puta, si quis primus ingrediatur vineam unde alii plurimi illum sequantur; vel si, mensâ nummularii in foro decidente et effusâ in terra pecuniâ, multi accurrerent et unusquisque monetam aliquam acciperet. Praxis (*n.* 1285).

Attamen in his duobus casibus gravitas est forsan solum contra charitatem: afferre enim tristitiam alicui videtur esse contra charitatem, non contra ius strictum: et qui malo exemplo est occasio cur alii furentur, iustitiam (quoad hoc) non laedit.

V. Si famulus surriperet rem circa quam perfectam fidelitatem dominus expectat, v. g., horologium vel monetam e scrinio etc.; latro enim domesticus latrone extraneo peior est. Aliud esset si de aliis rebus ageretur, prout statim declarabitur (*n.* 3112).

3110. ***Quid de furtis minutis,*** *et imprimis an furta minuta possint, si multiplicentur, evadere gravia?* Utique. Patet ex prop. ab Innoc. XI damnata, quae dicebat: *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Vide Lugo (*XVI.* III. 38). Duae tamen conditiones exiguntur: 1° Ut furtula uniantur: 2° Ut res ablatae simul iunctae constituant summam necessariam ad constituendam materiam gravem, quae in furtis minutis ordinarie debet esse maior illa, quae sufficeret si furtum unica vice compleretur. Hae duae conditiones sunt explicandae.

3111. *Furtula minuta quandonam non uniuntur, atque adeo, quamvis multiplicentur, remanent semper levia?* In duobus casibus.

Primus est si furtula ex una parte sint (ut ita dicam) casualia et ex occasione perpetrata (non vero talia ut ex intentione continuandi, et complendi furtum grave paullatim, commissa fuerint); et ex alia parte nimio temporis intervallo inter se distent. S. Ligorius docet duos menses semper sufficere ut furtula non uniantur, quamvis singula in se ad materiam gravem proxime accederent. Exemplum. Materia gravis sint duo franci. Titius hodie Fr. 1, 50, et post duos menses alium francum furatur etc. Dicunt autem sufficere mensem si furtula sint minora; et sufficere quindecim dies si minima essent. Aertnys (*n.* 288). Nec obstaret (secus ac aliqui recentiores dicere videntur) si res ablatae in se vel in aequivalenti detinerentur, et sic materia gravis apud furem remaneret. Id, inquam, non ob-

staret, dicente Lugo (*l. c.* 47): « nec acceptionem *nec reten-* « *tionem* illam esse mortalem »; quod dicit etiam Sanchez (*Dec. VII.* XXI. 10).

3112. Secundus casus est si furtula essent quidem commissa cum intentione continuandi, et frequentia vel etiam quotidiana forent; sed, sive propter circumstantias paupertatis aut praesumptae condonationis domini post factum, sive quia fiant contra diversos ita ut ex una parte nemo unquam graviter laedatur, et ex alia bonum publicum non clamet ut sub gravi prohibeantur; sensus communis dictet ut nunquam uniantur et gravia evadant. Hoc verificari potest, v. g., in ancillis et famulis, qui saepe sibi retinent obolum vel semiobolum dum quotidianum victum pro heris emunt (Baller. ad Gury 608. not. *a*): item in illis qui per agros huc illuc uvas, ficus, fabas, poma, ligna etc., leviusculis furtis (ita scilicet ut singulis levissimum damnum afferant), surripere solent (Ball. Op. th. *VII.* II. 78): item in illis qui in aliorum domibus leviuscula (data opportunitate) surripiunt, vel in apothecis aliquem obolum venditoribus non satis vigilantibus surripiunt etc.

3113 *Quandonam et quotupliciter furtula uniri possunt?* Loquendo de furtulis minutis contra unam eandemque personam commissis, unio accidere potest duobus modis:

Primus est si fiant ex animo continuandi et complendi materiam gravem, vel per intervalla insensibilia (furando, v. g., eidem personae singulis diebus aut pluries in die). In his casibus perinde erit ac si unico actu furtum committatur, atque ad constituendam materiam gravem eadem quantitas sufficiet

Secundus modus est si furtula fiant sine dicto animo sed casu et ex occasione, simulque per intervalla, quae, quamvis non sint adeo magna ut furtula ipsa amplius non uniantur (iuxta dicta *n.* 3111), tamen satis notabilia sint. Furatur, v. g., Titius Caio mediocriter diviti 2 fr. hodie, alium fr. post octo dies, alios duos fr. post quindecim dies etc. Unio autem non impediretur eo quod fur inter unum et aliud furtulum forte poeniteret; non obstante enim tali poenitentia, damnum grave (propter continuationem) sequeretur. Ad constituendam tamen materiam gravem in furtulis huiusmodi, non sufficit (ut supra innuebam) illa quantitas quae sufficeret si unico actu furtum compleretur, sed maior requiritur. Ratio est non solum quia (ut aiunt Theologi) damnum sic paullatim allatum minus sentitur, de eoque domini solent esse minus inviti; sed etiam quia bono publico magis interest ut furta notabilia prohibeantur sub gravi si u-

nico actu, quam si pedetentim, consummentur; furta minuta enim minus alliciunt, minusque expedite et magis difficulter ope eorum fur aliquid notabile assequitur.

3114. *Quaenam quantitas exigitur, ut, in furtis minutis contra unam eandemque personam (sive physicam sive moralem) commissis, materia gravis constituatur?* Etsi S. Lig. (*n.* 530) paulo rigidius loquatur, tamen Lugo (*XVI.* III. 47) aliique plures (apud eundem S. Lig.), quibus consentit Ballerini (*l. c.* 75) *duplum* exigunt.

3115. *Quid de furtis minutis contra diversas personas perpetratis?*

I. Furtula ista saepe remanere levia et non uniri, iam dixi supra (*n.* 3112).

II. Aliquando tamen certe uniuntur et furtum grave constituunt. Casum habes in venditoribus qui in pondere et mensura (furando tantillum uni et tantillum alteri) emptores defraudant. Imprimis enim saepe accidit quod isti singuli tractu temporis et tandem aliquando grave damnum patiuntur. Insuper, quamvis quoad singulos damnum remaneret leve, bonum publicum exigit ut huiusmodi agendi ratio, supposita summatim gravitate materiae (prout accidere potest etiam in casu furantis ex communi capsa societatis, cum damno levi singulorum) tamquam gravis iniustitia consideretur, et sub gravi prohibeatur. Quod patet etiam ex Sacris Litteris; scriptum est enim (Prov. XI) *Statera dolosa abominabilis est apud Deum.* Vide Lugo (*l. c.* 48 *et seq.*). Huiusmodi autem casus verificatur etiam in illis latrûnculis, qui per agros non iam aliqua minutissima (ut supra *n.* 3112), sed, v. g., uni gallinam, alteri fasces lignorum, alteri notabilem uvae quantitatem etc. (quamvis haec singula ad materiam gravem constituendam non sufficerent) surripiunt.

III. In his tamen furtis minutis, quae contra diversas personas (quarum nulla grave damnum subeat) perpetrantur, ad grave peccatum non sufficit illa quantitas quae sufficeret si contra unam eandemque personam (quae grave damnum subiret) perpetrata fuissent (Lugo *l. c.* 48, cum aliis communissime). Quantum autem debeat esse augmentum, vix et ne vix quidem definiri potest. Forte materia gravis constitui poterit in *triplo,* habita grosso modo ratione conditionis personarum quae defraudatae fuerunt. Si, v. g., essent partim ditissimae, partim divites, partim conditionis ordinariae et partim pauperes (prout contingere solet si defraudatio fiat a publicis venditoribus), tunc imprimis statuendum erit quid medium (nempe circiter 6 fr. ut

dixi *n.* 3106. V.), et deinde haec summa *triplicari* poterit; unde demum (si semper bona esset regula) solum in fr. 18 materiam gravem haberemus. Dixi *si semper bona esset regula;* si enim quod intime sentio dicere debeam, illam admitterem solum casu quo venditoris fraudes essent adeo exiguae, ut longo tempore expectare deberet antequam fr. 18 accumularet; non vero si uno vel altero die id assequeretur. Multo minus autem approbanda mihi videtur sententia illorum qui adhuc multo benignius loquuntur, et dicunt sumendam esse regulam a quantitate absoluta (30 fr.), eamque saltem esse duplicandam.

§ III.

De furto quoad speciem et numerum.

3116. *Quid de furto quoad speciem?*

I. Differt specie a *rapina,* ut iam dixi (*n.* 3100). Differt etiam a *fraude,* quae est bonorum sive iurium alterius laesio, dolosa circumventione peracta.

II. Coniungi potest cum circumstantiis mutantibus speciem, quarum praecipua est sacrilegium, auferendo vel *sacrum de sacro*, vel *non sacrum de sacro,* vel *sacrum de non sacro* (Gury *n.* 286 *q.* 3°). Aliae circumstantiae essent, v. g., si non solum ius domini, sed etiam ius alterius violaretur, auferendo, v. g., rem alteri promissam, locatam, commodatam, in pignus datam, vel artifici ad opus aliquod conficiendum traditam etc. Praxis (*n.* 1312-1315).

3117. *Quid de furto quoad numerum?* Ad distinguendum numerum, aliqua difficultas contingere potest in furto consummato per partes, et in furtis minutis. En regulae:

I. Si furta fiant pedetentim ex intentione perveniendi ad summam determinatam, tunc peccatum considerari poterit tamquam unicum. Excipe nisi retractatio (et forte etiam nisi intervallum nimis longum) inter partiales ablationes intercederet.

II. Loquendo speciatim de furtis minutis, imprimis si non uniantur, tot essent peccata (venialia) quot forent furtula ipsa. Si vero uniantur, tunc distinguendum: 1. Si commissa fuerint ex intentione perveniendi ad summam determinatam, peccatum erit unicum (ut supra). 2. Si commissa fuerint ex intentione furandi indefinite (atque adeo usque ad materiam gravem et amplius), tunc tot erunt peccata quot furta; quae affective erunt omnia mortalia, effective autem erunt venialia usquedum

materia gravis completa fuerit. 3. Denique si casu et sine intentione continuandi commissa fuerint, tunc, antequam materia gravis compleatur, tot erunt peccata quot furta, eaque tam affective quam effective venialia erunt. Furtulum vero complens materiam gravem erit mortale. Si autem, completo iam furto gravi, alia furta minuta ex occasione perpetrentur, tunc si haec ab illo disiungantur nimio intervallo, perinde erit ac si furtula tunc primitus incipiantur; si e contra parvo intervallo distarent, tunc vix perciperetur an incipiatur nova series venialium (quae tandem, perveniendo iterum ad materiam gravem, novum mortale constituent), an vero singula sint peccata mortalia, vel solum tamquam circumstantia, quae primum peccatum mortale iam completum (et non adhuc confessum) aggravent, considerari possint.

ARTICULUS III

DE RESTITUTIONE AD REPARANDAM IUSTITIAM LAESAM IN BONIS FORTUNAE.

Non agitur hic de restitutione famae, vel de reparatione honoris, sed ad restitutionem quoad bona fortunae sermo restringitur: quae definiri potest: *Reparatio damni in bonis fortunae proximo iniuste illati.*

Agam 1. De radicibus restitutionis: 2. De gradu culpae in omittenda restitutione: 3. De modo illam exequendi: 4. De causis ab illa excusantibus.

PUNCTUM I.

De radicibus restitutionis.

3118. *Quot sunt radices restitutionis?* Sunt tres, nempe ex triplici capite obligatio restitutionis oriri potest: 1. Ex re accepta. 2. Ex iniusta acceptione: 3. Ex iniusta damnificatione.

RADIX I.

Ex re accepta.

3119. *Quandonam obligatio restitutionis oritur ex re accepta?* Quando quis rem alienam accepit iniuste quidem sed bona fide et absque culpa theologica, quo casu ille dicitur *bonae fidei possessor.* Exemplum habes in illis qui rem furtivam aut usur-

patam (ignorando esse talem), vel utcumque rem alienam per contractum invalidum (credendo esse validum) acquisitam bona fide retinent. Item in illis qui rem depositam, credendo esse derelictam et reiectam, accipiunt etc. Bona fides autem possibilis est (etsi difficile) etiam in eo qui scit rem esse alienam, sed non advertit esse restituendam, Lugo (*XVII.* 8).

3120. *Possessor bonae fidei, si addiscat rem esse alienam, quid restituere debet?* Illam domino (rem suam sive expresse sive interpretative volenti) restituere debet, si existat in se (res enim clamat ad dominum). Idque verum esset quamvis solum in parte extaret, vel quamvis esset usu consumptibilis (ut pecunia, triticum etc.) simulque accepta (v. g. empta) fuisset a fure qui aliam rem aequivalentem restituere posset (sed non restitueret). Si tamen fur ope mixtionis illam suam fecisset, tunc aliena non amplius esset. Si autem possessor rem alienam bona fide destruxisset vel alienasset, restituere deberet solum pro quanto factus fuisset ditior; non enim aequum est quod, deficiente culpa, poenam sustinere et damnum in rebus suis subire debeat. Sed haec sunt explicanda.

3121. *Supponendo quod res existat in se, estne semper domino reddenda, an vero haec regula habet exceptiones?* Excipi debent speciatim sequentes casus: 1. Si possessor iure praescriptionis (aut possessionis, iuxta dicta *n.* 3033) illius absolutum dominium acquisivisset: 2. Si dominus inveniri non posset; et tunc applicanda essent dicta de rebus inventis (*n.* 2988. 7): 3. Si illam emisset a fure, nec pretium solutum recuperare posset nisi illam furi restitueret. (*S. Lig.* 569). Rem tamen furi ad recuperandum pretium dare non posset, si dominus compareret, illamque expresse exigeret. Lhemkuhl (*n.* 946). Dixi *speciatim;* plures aliae causae enim a restitutione excusant, ut suo loco videbimus.

3122. *Casu quo bonae fidei possessor emisset rem a fure, possetne pretium solutum a domino, cui illam restituere debeat, exigere?* Per se loquendo, negative. Poterit quidem repetere pretium a fure, sed non a domino, qui non debet cogi ut rem suam emat. Dixi *per se loquendo:* pretium enim a domino repetere potest in duobus casibus: 1. Iure naturae si advertens aut dubitans rem esse furto ablatam, illam emisset cum intentione negotium domini utiliter gerendi, eique rem suam restituendi. Contingere tamen potest quod non totum pretium exigere valeat, si nempe pretio non parvo, sed iusto vel excessivo, illam emisset, erronee reputando talem emptionem domino esse acceptam, ut

bene notat Lugo (*XVII.* 3. 4): 2. Iure civili (apud nos), si in publica venditione illam acquisivisset, iuxta dicta *n.* 3033; quod probabile censeo, etsi Ballerini (*Op. th. VII.* I. 418 *et sqq.*) contra sentiat.

3123. *Quid si possessor bonae fidei pro necessariis reparationibus, vel pro melioramentis (nullatenus aut non commode amovibilibus) expensas sustinuisset?*

I. Quoad necessarias reparationes, refusionem expensarum exigere posset, nisi ex rei ipsius fructibus illas sustinere potuisset. Praxis (*n.* 1392).

II. Quoad melioramenta, exigere potest (quamvis dictos fructus percepisset) refusionem expensarum pro quanto res meliorata, dum domino restituitur, pretio adaucta fuerit. Sic itaque dominus pro melioramentis tunc extantibus restituere debebit (uti aiunt) minimum inter melioratum et expensum; non vero (secus ac in casu possessoris malae fidei) exigere poterit ut melioramenta destruantur, Praxis (*n.* 1391).

3124. *Dixisti, re destructa vel alienata, possessorem bonae fidei teneri ad restitutionem, si et pro quanto causâ illius et cum iactura domini factus sit ditior. Explica quando fiat ditior et quando non.*

I° ***Fieret ditior*** in sequentibus casibus;

1. Si rem alienam, non emptam sed gratuito sibi obventam, consumpsisset, parcendo interim rebus suis, quas (si illam non habuisset) consumpturus fuisset. Exempla. Detrivit et consumpsit vestem alienam, et sic intacta ei remansit sua. Expendit pro necessario victu quotidiano (vel etiam in vitiis) pecuniam alienam, et sic interim pepercit suae, quam pariter expendisset etc.

2. Si rem alienam sibi donatam vendidisset, et pretium nullatenus, aut solum ut supra, consumpsisset.

3. Si rem alienam sibi donatam alteri ita donasset, ut interim retinuisset alteram suam, quam, si alienam non habuisset, donaturus fuisset, prout facile accidit in donationibus quae ex gratitudine vel alia quasi necessitate fieri solent. Idem dicunt si solum quidem quia habebat rem alienam donum fecisset, sed postea remunerationem habuisset.

4. Si ope mixtionis vel alterius accessionis (*cf. n.* 3038-3044) effecisset ut res aliena sua evasisset.

5. Si rem alienam sibi venditam revendidisset cum lucro; quod tamen rei ipsi, non vero industriae suae, adscribi debeat. Lucratus est, v. g., quia rem reddidit meliorem, vel quia illam

ad alia loca (ubi carius venditur) deportavit, vel ad tempus maioris pretii studiose reservavit. In his casibus lucrum industriae adscribi deberet. E contra adscribendum esset rei ipsi, si illa naturaliter crevisset (v. g., pullus equi adolevit, vinea nuper plantata, quae adhuc fructum non reddebat, fructifera evasit etc.), vel si iam communiter similium rerum pretium adauctum fuisset. Si denique lucrum ex eo tantum provenisset quod res, minori pretio empta, maiori vendita fuisset, tunc contingere potest quod industria aliquando immisceatur (v. g., interveniente negotiatione aut studiosa lucri inquisitione), et aliquando non (ut puta, si casu aliquis, in cuius commodum res optime deservit, illam peteret magnumque pretium offerret). Lucrum in primo casu partim rei et partim (plus vel minus) industriae, et in secundo ex toto rei (unde possessor ex illo toto factus fuisset ditior) adscribi deberet. Attamen paullo aliter loquuntur Lugo (*XVII*. 20. 21) et Gury (*n*. 640).

6. Si, dum rem alienam possidebat, ex illa fructus percepisset. Sed hic casus cum magna discretione intelligi debet, ut declarabitur infra (*n*. 3127)..

3125. II° ***Non fieret ditior*** in sequentibus casibus:

1. Si rem alienam, nullo ex ea lucro percepto, amisisset, aut illa (sive casu sive etiam suâ negligentiâ) periisset, vel ablata fuisset etc.

2. Si illam sibi donatam, in oblectamentis, vel (prout quoad pauperes contingere solet) ad commodius vivendum, consumpsisset; ita ut, si illam non habuisset, ab his sumptibus abstinuisset.

3. Si illam sibi donatam alteri donavisset, nihil donaturus si illam non habuisset.

4. Si illam emisset et postea sine lucro (aut solum cum lucro industriae suae correspondenti) revendidisset.

3126. *Cur dixisti oportere ut fiat ditior causâ illius* (*rei alienae*) *et cum iactura domini ?*

Causâ illius, quia oportet ut res vere fuerit causa, non vero sufficit quod fuerit solum occasio, cur ille factus fuerit ditior, ut puta, si occasione illius (nempe quia propter illam dives aestimabatur) lucrosum officium obtinere, vel optimum matrimonium contrahere potuisset.

Cum iactura domini, quia non semper exigitur ut possessor restituat totum id in quo factus fuerit ditior, sed aliquando sufficit si restituat minus, si nempe minus satis sit ut dominus de valore rei suae (et aliquando eiusdem fructuum,

iuxta infra dicenda) compensetur. Si, v. g., consumpsisset vestem alienam viliorem, et interim vestis sua pretiosior ei remansisset, utique non huius pretiotioris sed illius vilioris pretium restituere deberet. Hinc regula iuris 48 in 6° dicit: *Locupletari non potest aliquis cum alterius iniuria seu iactura.*

3127. *Quid de possessore bonae fidei quoad restitutionem fructuum, quos ex re aliena percepisset?*

1° Fructus possunt esse 1. *Mere naturales*, qui scilicet absque ulla aut fere ulla hominis opera a corpore rerum nascuntur, v. g., foenum in pratis, foetus animalium, lana ovîum etc. 2. *Mere civiles*, qui scilicet rerum usui correspondent, quin pariter ulla aut fere ulla hominis industria misceatur, v. g., pensiones domorum, fructus pecuniae ad mutuum datae etc. 3. *Mere industriales*, qui scilicet hominis operae ita correspondent, ut res vel instrumenta adhibita, in ratione fructificationis, nihil aut fere nihil considerentur, prouti in pictura, sculptura, et generatim in mechanicarum artium operibus, contingere solet. Dantur etiam fructus *merae fortunae*, ut puta, si quis publicae sortitioni (*al lotto, alla tombola*) pecuniam exponat et vincat. Denique possunt esse 4. *Mixti*, qui nempe partim rerum naturae vel usui, aut fortunae, et partim industriae correspondent. Sic, v. g., fructus agriculturae, naturae (scilicet fundo, non vero semini [1]) et industriae; fructus negotiationis, usui pecuniae, et industriae; fructus ludi, fortunae et industriae tribuuntur. Loquendo speciatim de pecunia, fructus illius vel mere civilis, vel mixtus vel nullus (scilicet fortunae tantummodo) esse potest. Esset *mere civilis*, si illam ad mutuum tradas *cum interesse*, quod apud nos est in ratione 6 vel 5 pro 0/0 (secundum quod mercatori vel alteri personae tradatur), aut plus minusve iuxta conventionem et circumstantias speciales. Esset *mixtus* si pecuniam negotiationi applices, vel cum illa aliquid fructiferum (vel utcumque studio lucri) emas; tunc enim quidquid ultra fructum civilem [2] lucreris, fructus industrialis

1 Quamvis semen sit principium fructificationis, tamen fructus potius fundo vel industriae tribuitur. Hinc qui triticum furtivum seminavit, aut ova furtiva incubationi gallinae supposuit, ultra valorem tritici vel ovorum restituere non tenetur.

2 In casu fructus civilis videtur esse taxandus circiter ut supra (nempe in ratione 6 pro 0[0); quamvis enim in casu possessor pecuniae ex una parte esset peioris conditionis, non habendo ius utendi pecunia ad tempus determinatum, ex alia esset conditionis melioris, non habendo obligationem quidquam restituendi si negotia male verterent et sors ipsa periret.

erit. Denique esset *nullus* (seu *merae fortunae*) si illam sorti exponeres, aut ex illa casu aliquid lucrareris. Cf. Ballerini (*Op. th. VIII.* n. 218).

3128. II° Fructus mere industriales, aut qua parte industriae et labori correspondent, certe non sunt restituendi. Idem dic (saltem quoad pecuniam) de fructu merae fortunae.

3129. III° Fructus naturales et civiles (nisi possessor illos consumpsisset quin factus fuisset ditior *) iure naturae domino (deductis expensis) restituendi essent (res enim quae fructificat domino suo fructificat). Idque verum esset quamvis res apud dominum (qui, v. g., domum non locasset, praedium non coluisset, pecuniam otiosam reliquisset etc.) infructifera remansisset.

Dixi *iure naturae;* vi enim legis civilis possessor bonae fidei plenum et absolutum fructuum istorum dominium acquirere potest imprimis *per praescriptionem,* non solum quatenus praescripto fundo praescribuntur etiam fructus (quia accessorium sequitur principale); sed etiam quia, antequam praescribatur fundus, praescribi possunt fructus; res enim mobiles, quae a manu furis vel inventoris ad tertium bonae fidei transierint, intra biennium, passim iuxta codices modernos, praescribuntur. (cf. *n.* 3033 - 3034). Imo apud nos (stante bona fide) sufficit *simplex possessio*, dicente codice (a. 703): *Il possessore di buona fede fà suoi i frutti, e non è tenuto a restituire se non quelli che gli siano pervenuti dopo la domanda giudiziale.* Haec tamen lex certe non valet in materia ecclesiastica. Ballerini (*l. c. n.* 221) censet ne in aliis quidem materiis in conscientia quidquam suffragari. Alii vero (cf. Praxis *n.* 1390) contra sentiunt; et, meo iudicio, satis probabiliter; etsi tamen probabilius dominus in conscientia illos repetere, imo etiam ad occultam compensationem procedere possit. Lhemlkuhl (*n.* 948).

RADIX II.

Ex iniusta acceptione.

3130. *Quandonam accidit iniusta acceptio?* Nomine iniustae acceptionis hic intelligitur etiam *iniusta retentio.* Acceptio et retentio debet esse iniusta formaliter scilicet cum culpa theologica. Hoc autem accidere potest tum in eo qui certe cognoscit,

* Facile fieret ditior si fundum donatione, non vero si emptione, acquisivisset.

tum in eo qui dubitat rem esse alienam: scilicet tum in possessore malae fidei, tum in possessore dubiae fidei. De his duobus casibus seorsim agendum est.

§. I.

De possessore malae fidei.

3131. *Quis est possessor malae fidei?* Qui rem iniuste possidet certe sciens esse alienam. Huiusmodi est 1. Fur et usurpator: 2. Quilibet rem emat vel utcumque acquirat sciens esse furtivam vel quavis ratione alienam.

3132. *Quid de possessore malae fidei quoad onus restitutionis?* Ad differentiam possessoris bonae fidei, restituere tenetur non solum ratione rei, sed etiam ratione damnorum, quae ex facto suo, sive ablationis sive retentionis sive utriusque, domino obvenerint.

3133. *Explica magis in particulari ad quid teneatur possessor malae fidei, et quibus in punctis, quoad obligationem restitutionis, possessori bonae fidei aequiparetur, vel differat? Scilicet* 1° *Quid si res apud illum adhuc extet?* 2° *Quid de rei ipsius fructibus?* 3° *Quid de expensis ad illam conservandam toleratis?* 4° *Quid de melioramentis?* 5° *Quid si res apud ipsum possessorem malae fidei non amplius extaret, sed periisset aut ab illo alienata fuisset?* 6° *Quid denique si dominus, propter ablationem rei suae, damna subiisset?*

I. ***Quoad rem adhuc extantem,*** fur debet certe illam restituere domino. Qui vero illam a fure vel ab aliis emisset, probabiliter posset (non secus ac possessor bonae fidei) restituere suo venditori ad recuperandum pretium. Imo nunquam videtur iniuste agere qui rem utcumque a non domino acquisitam (v. g., alteri furi raptam) in pristinum reponat, et ei, a quo illam accepit (maxime si ad sic restituendum minis cogeretur) restituat. *Praxis* (*n.* 1455).

3134. II. ***Quoad fructus,*** possessor malae fidei debet certe restituere fructus naturales et civiles, et in hoc a possessore bonae fidei differt; sed quoad fructus industriae et fortunae possessori bonae fidei aequiparatur.

3135. III. ***Quoad expensas,*** possessor malae fidei pro expensis, quas sustinuit ut rem in statu quo conservaret aut ab interitu liberaret, certe (nisi ex rei fructibus compensatus fue-

rit) compensationem exigere potest; et in hoc possessori bonae fidei aequiparatur.

3136. IV. ***Quoad alia melioramenta,*** si domino intersit ut destruantur (v. g. usurpavit domum et ex illa fecit theatrum), illa suis expensis (ad differentiam possessoris bonae fidei) destruere deberet. Si e contra domino intersit ut conserventur (fecit, v. g., fabricas vel plantationes domino utiles); tunc (non secus ac possessor bonae fidei) compensationem (iuxta dicta *n.* 3123) potest exigere. Si denique melioramenta essent voluptuosa simulque absque ullo rei detrimento amovibilia (v. g. statuae, icones etc.), tunc illa licite amovere posset.

3137. V. ***Si apud furem res periisset,*** vel furto ei ablata fuisset; aut si ab eo consumpta, deperdita, vendita vel utcumque alienata fuisset; tunc ille rei ipsius valorem domino restituere deberet. Idem dic de alio possessore malae fidei (nisi fur dominum compensasset): et quod dicitur de re furtiva, de eius quoque fructibus intelligi debet.

Restitutio autem facienda est quamvis, occasione, v. g., rem vendendi vel consumendi, fur ditior non evasisset; unde, sufferendo etiam damnum in bonis suis, dominum compensare teneretur; qua in re praecipue a possessore bonae fidei differt. Pariter facienda est restitutio quamvis res ipsa, si apud dominum remansisset, ei ab aliis ablata fuisset (qui enim praecessit alios in iniuria, eos quoque in onere restitutionis praecedere debet). Imo idem dic (in tribus casibus) quamvis res ipsa peritura fuisset apud dominum ex aliquo physico infortunio (v. g., incendio vel naufragio). Dixi *in tribus casibus*. Primus est si post infortunium domini, res erat adhuc salva in manu furis, et solum notabili tempore postea apud illum perierit; illa enim erat salva pro domino, cui restitui debuisset, et restituta (uti patet) non periisset. Secundus est si ante infortunium domini, res utcumque periit apud furem; ex eo enim momento dominus acquisivisset eius ad pretium, quod utique per subsequens eiusdem infortunium non extinguitur. Tertius est si fur ope mixtionis, vel alterius specificationis, rem reddidisset suam; tunc enim pariter dominus ius ad pretium acquisivisset, et proinde, quamvis res periisset apud furem eodem tempore quo apud dominum peritura fuisset, fur ad restitutionem teneretur.

Casus itaque in quo fur a restitutionis obligatione in conscientia eximitur, contingit quando res ex una parte adhuc sub dominio domini existebat, et ex alia apud furem periit eodem tempore quo apud dominum peritura fuisset; ut puta, si ex

vitio intrinseco, vel in eodem incendio, naufragio etc. periisset. Ratio est quia fur ex una parte habebat solum obligationem restituendi rem (non vero pretium), et ex alia si illam restituisset, dominus eodem modo illam amisisset. Dixi *in conscientia,* lex civilis enim (post iudicis sententiam) ad restituendum possessorem malae fidei semper obligat.

3138. VI. ***Quoad damna,*** fur compensare tenetur dominum etiam de damnis emergentibus et lucris cessantibus. Damnum emergens bona quae iam possidentur, lucrum cessans autem bona quae in posterum acquiri possunt respicit. Ut tamen fur ex hoc capite ad restitutionem teneatur, oportet ut damnum emergens vel lucrum cessans aut sit ordinarium (nempe facile ex similibus furtis accidere possit), aut fuerit praevisum.

Exempla damni emergentis et lucri cessantis ordinarii, seu facile evenientis. Furatus es, v. g., ex dolio partem vini, unde reliquum acescuit: vel abstulisti pecuniam pauperi, qui propterea aliam pecuniam ad usuram pro suis necessitatibus accipere debuit. Haec essent damna emergentia. Furatus es pecuniam negotiatori, qui propterea minus lucrari potuit. Hoc esset lucrum cessans.

Exempla damni emergentis et lucri cessantis extraordinarii, seu non facile evenientis, quod proinde oportet ut explicite praevideatur. Nocturno tempore cum laterna furtum commisisti, et casu scintilla incendium produxit. Furatus es acum sartori, qui casu prorsus insolito nullum alium acum habebat nec sibi procurare poterat.

3139. *Quid de restitutione si res apud furem deteriorationem subierit?* Dominum compensare deberet; quid enim si furatus esset vestem novam aut equum iuvenem, et sine compensatione restituere vellet vestem detritam vel equum senem?

3140. *Si res a fure alienata vel destructa fuisset, iuxta qualem valorem pretium domino restituere deberet?*

I. Si constet quod dominus ad tempus maioris valoris illam reservaturus et venditurus fuisset; tunc semper fur iuxta valorem ipsum restituere deberet. Idem dic si dominus tunc illam consumpturus fuisset; unde aliam aequalis valoris emere vel consumere debuisset. Uno verbo necesse est semper ut dominus indemnis servetur.

II. Etsi dominus tempore minoris valoris rem consumpturus vel alienaturus fuisset, si fur illam destruxisset vel donavisset tempore maioris valoris, iuxta illum certe restituere deberet, quia tunc res extabat et domino suo restituenda erat. Idem dic si tunc vendita fuisset, nisi forte industria intervenisset, et ratione illius fur aliquid sibi (salva semper, ut dixi, domini indemnitate) reservare posset.

III. Si fur illam destruxisset vel alienasset tempore minoris valoris, et nesciat, quo tempore dominus illam destructurus vel alienaturus fuisset; tunc satis erit si iuxta valorem, quem tempore furti res habebat (statuendo pretium medium), restitutio cum consueto foenore fiat; de ulteriori enim damno minime constaret. Gury (*n.* 648) et Lhemkuhl (956).

3141. *Quid si res aliena ad plures malae fidei possessores transierit?*

I. Imprimis fur, nisi forte dominus ab ultimo possessore rem suam recuperasset, tenetur rei pretium illi restituere. Debet insuper absolute domino satisfacere, pro tempore quo rem apud se retinuit propter fructus tunc forte perceptos et damna (quo nomine intellige etiam lucra cessantia) domino ipsi obventa. Debet denique ei satisfacere pro damnis usque ad tempus restitutionis subsecuturis; sed hoc ultimum solum conditionate et in defectu sequentium possessorum.

II. Quilibet ex iis possessoribus, a quibus post furem res detenta fuit, tenetur absolute quoad fructus et damna, quae tempori suae possessionis correspondent. Tenetur insuper, sed solum conditionate 1. pro pretio rei in defectu furis et aliorum: 2. pro damnis subsecuturis, pariter in defectu aliorum.

III. Quoad ea, ad quae sive fur sive alii possessores tenentur solum conditionate et in defectu aliorum, ordinarie in praxi dubitatur vel prorsus ignoratur quid alii fecerint aut facturi sint. Equidem tunc inquisitiones fieri debent, et si resultet quod (v. g., attenta eorundem paupertate vel improbitate) muneri suo non sint satisfacturi, restitutio fieri debet. Si vero inquisitiones essent impossibiles, vel illis quoque peractis dubium perseveraret, tunc probabiliter restitutionis obligatio cessaret. Ita (contra S. Lig. *n.* 579 aliosque) docent Salmant. (*De rest.* I. 152), Roncaglia (*De rest. V.* v), Lhemkuhl (1017. v). Ratio est quia ex una parte, quum agatur de obligatione conditionali et non constet de conditione adimpleta, possidet libertas; et ex alia, quum res ad plures huiusmodi possessores transire potuisset, si omnes ad restitutionem tenerentur, iam dominus pro unico furto ad pluries ex integro repetitam restitutionem ius haberet, quod aequum minime esset.

§ II.

De possessore dubiae fidei?

3142. *Quis est possessor dubiae fidei?* 1° Qui dubitat an res sit sua: 2° Qui dubitat an debitum solverit vel contraxerit. Intellige si dubium sit fundatum, non vero scrupulus.

3143. *Possessor dubiae fidei ad quid tenetur imprimis?* Tenetur inquisitiones possibiles, congruas et rei naturae proportionatas facere, nisi futurum sit ut ab aliis interesse habentibus fiant, secus enim absque iusta causa iniustitiae periculo se exponeret. Insuper, donec perduret spes veritatem detegendi, a re illa (non adhuc praescripta) deterioranda, destruenda, vel alienanda abstinere debet, nisi forte necessitas aut motivum rationabile aliud suaderet, quo casu domino (qui forte detegatur) rei pretium dare, et emptorem de periculo admonere debebit. Ad quid autem teneatur si inquisitiones non faceret, patebit ex quaestionibus sequentibus.

A

De eo qui dubitat an res sit sua.

3144. *Qui dubitat an res sit sua, praeter dictas inquisitiones, ad quid insuper tenetur?* Distinguendum est inter casum quo incoeperit possidere bona fide, et dubium supervenerit postea et casum in quo iam inde ab initio in dubia fide fuerit.

3145. *Quid si incoeperit possidere bona fide, et dubium supervenerit postea?*

I. Si, suborto dubio gravi, bono animo processerit et debitas (ut supra) inquisitiones fecerit; tunc videndum an illis non obstantibus in suo dubio remanserit, an vero rem esse alienam detexerit. In primo casu rem totam retinere poterit (iuxta adagium: *in dubio melior est conditio possidentis*); idque dici deberet quamvis de dubio stricto non ageretur, sed probabilius res foret aliena; ut enim legitimus possessor se ipsum possessione sua spoliare teneatur, sin minus evidentia, saltem ratio convincens et certitudo moralis, exigitur. (Non desunt tamen theologi graves, qui docent partem pro rata dubii esse restituendam).

In secundo autem casu (si nempe rem esse alienam detexerit) restituere quidem debebit, sed tantummodo (quum nulla-

tenus deliquerit) iuxta regulas possessoris bonae fidei, nempe solum quoad rem quae apud illum extet in se vel in aequivalenti, non vero quoad fructus et damna, aut si res casu periisset etc.

3146. II. Si, dubio suborto, ex malitia vel negligentia graviter culpabili inquisitiones omisisset; tunc, si nihilominus casu appareret rem esse alienam, ad modum possessoris malae fidei, atque adeo etiam si res periisset, atque pro fructibus perceptis, et damnis a momento suborti dubii domino subsecutis, restituere deberet.

Si autem casus iste non contingeret, si nempe non appareret rem esse alienam (et nunc inquisitiones futurae essent inutiles), Theologi communius docent, restituendum esse personae de qua dubitatur quod res sit sua, vel (si dubitatur in genere rem esse alienam, quin circa ullam particularem personam dubium concipiatur) pauperibus; ita tamen ut non praecise pro rata dubii, sed minus (et forte multo minus) restitui debeat. Dicunt enim possessorem huiusmodi non debere restituere totum (ad modum possessoris malae fidei) quia forsan res vere est sua; debere tamen restituere aliquid, quia, negligendo inquisitiones, forsan iniuriam illi, qui forte rei dominus recognitus fuisset, illiusque restitutionem obtinere potuisset, irrogavit: denìque teneri restituere non pro rata dubii praecise, sed minus, quia in meliori conditione versatur, dum enim pro altero adest solum probabilitas quod res sit sua, ille, praeter hanc probabilitatem, possessionem quoque habet, seu, dum alter posset habere spem, ille habet rem. Haec, inquam, est sententia communis; sed alii (meo sensu probabiliter) censent, possessorem in casu peccasse quidem, sed nihil restituere debere, quia, quamvis neglexerit inquisitiones, non constat quod iniuriam alicui irrogaverit; forsan enim res est sua et ad nullum alium pertinet; quando autem non constat de iniuria, nequidem de onere restitutionis constare potest (*Praxis n.* 1376). Hanc sententiam probant etiam Lugo et Lhemkuhl (*n.* 957), sed illam limitant ad casum in quo dubitetur in genere, non vero si circa personam particularem dubium versaretur.

3147. *Quid si dubium iam inde ab initio extiterit?* Videndum imprimis an res accepta fuerit absque spolio alicuius possessoris, sive quia a nemine possideretur, sive quia a possessore recepta fuerit; an vero spolium intervenerit. Iuxta autem diversos casus, diversimode respondendum est.

3148. ***Primus casus.*** *Cum dubio accepta fuit res a nemine*

possessa. Titius, v. g., per testamentum reliquit dolium vini nepoti suo Antonio, sed, quum duo essent huius nominis nepotes, unus (haereditate adhuc iacente) dolium accepit. In casibus huiusmodi, si dubium sit aequale, communis sententia docet rem esse dividendam, (vel decisionem sorti esse committendam, vel uni rem et alteri pretii medietatem esse dandam); quare (in casu) Antonius vini medietatem alteri restituere deberet. Ratio est quia, stante dubio aequali et deficiente possessione, iura hinc inde prorsus aequalia sunt, unde sine ullo titulo unus rem totam acciperet sibique applicaret. Si autem maior probabilitas pro una parte staret, etsi tunc quoque multi dicant rem esse dividendam pro rata dubii, tamen mihi probabile videtur, quod qui probabilius (secluso periculo hallucinationis) existimat rem esse suam, illam accipere et retinere possit. Ita enimvero etiam Iudex in foro externo decideret.

3149. Idem dic si inter duos rei proprietas et possessio incerta esset; ut puta, si in agro reperirentur ova, et quis dubitaret utrum a suis, an vero a vicini gallinis depositae fuissent. Hinc Theologi communiter statuunt principium quod bona incerta (si incertitudo versetur circa personas determinatas) sunt dividenda.

3150. ***Secundus casus.*** *Cum dubio res ab illius possessore recepta fuit.* Casum habes si per testamentum, legatum, emptionem, donationem, cessionem vel contractum quemlibet, Titius tibi dedisset rem, de qua actu ipso receptionis dubitabas quod esset aliena.

Possessor, a quo rem sic recepisti, potest esse bonae, vel suspectae fidei.

3151. Si esset bonae fidei, qualis, nisi indicia *positiva et gravia* adsint in contrarium, unusquisque censetur, quia *in dubio* (negativo) *nemo praesumitur malus;* tunc perinde erit ac si tu bona fide possidere incoepisses, et dubium supervenisset postea (iuxta dicta *n.* 3145); unde, factis inquisitionibus et manente dubio, rem totam retinere posses. Ratio est quia antecessor rem ipsam retinendi ius habuisset, si a bona ad dubiam fidem transiisset. Per testamentum autem vel alium contractum illam tibi dedisset cum omnibus iuribus suis, atque adeo etiam cum iure eandem retinendi non obstante existentia dubii, factis, ut dixi, inquisitionibus etc. *Praxis* (*n.* 1377).

3152. Si autem ille a quo rem cum dubio an sit aliena acquisivisti, esset persona suspecta, notandum est 1° quod dubium potest esse ita vehemens, ut iam certitudinem moralem consti-

tuat, et tunc (nisi forte ad negotium domini utiliter gerendum rem acciperes, iuxta dicta *n.* 3122) illicite procederes, et possessor malae fidei esses. Casum habes in ementibus res clandestine delatas a iuvenibus discolis etc. E contra 2ª Dubium potest esse leve, et tunc res libere emi poterit. Casum habes in uxore quae de rebus domesticis aliquid vendat clanculum, sed ita ut praesumi debeat ad hoc esse coactam ad subveniendum necessitatibus familiae, quibus maritus consulere nolit. 3° Dubium potest esse grave, sed ita ut intra limites meri dubii remaneat et certitudinem moralem minime constituat. Casus iste aliquando contingere potest etiam si res aliqua non clanculum vendatur (ut puta, si famula torquem aureum aurifici emendum offerat, dicendo dominae suae iussu venisse); sed frequentius in venditionibus secretis contingit. Exempla. Persona quae dives videtur obiectum pretiosum tibi secreto emendum offert, et dicit se verecundia praepediri ne publice illud vendat (ne scilicet de illius indigentia publice notitia spargatur). Mulier aliquid clanculum vendit et emptor nescit utrum de re domestica ad subveniendum necessitatibus familiae (ut supra), an vero de re omnino furtiva agatur etc.

3153. In casu huiusmodi dubii gravis certe res emi vel utcumque acquiri nequit malo animo, scilicet cum positiva intentione illam nunquam restituendi, bene vero, v. g., occultandi, vel statim longe asportandi, aut revendendi, aut destruendi etc. Quatenus autem sic empta fuisset, si dominus postea compareret, iuxta regulas possessoris malae fidei, ei restitutio fieri deberet; nec praescriptio tunc intercederet, nec quidquam suffragaretur, si res in publico mercatu empta fuisset; lex enim civilis pro casu huiusmodi nec valere nec intelligi posset. Si autem nec dominus compareret, nec certe reperiretur rem esse alienam (sed solum dubium perduraret), tunc saltem pro rata dubii pauperibus restituendum esset

3154. E contra res praedicta emi poterit bono animo, et imprimis ex intentione utiliter gerendi negotium domini; et tunc, reperto domino, res cum fructibus domino ipsi (si tamen ille reddat pretium solutum eiusque foenus) restituenda erit. Domino autem non reperto, illam ad modum rei inventae retineri posse (iuxta dicta *n.* 2988) existimarem; idque maxime si iam biennium transiisset et res praescripta (cf. *n.* 3033) evasisset. Emptio bono animo et licite perfici posse videtur etiam quando non praecise ex intentione utiliter gerendi negotium domini peragatur, sed animo illam domino reddendi si futurum sit

ut sponte sua compareat vel casu detegatur, simulque cum spe quod dominus ipse non sit compariturus, et cum intentione non faciendi inquisitiones, si nimis difficiles aut periculosae futurae essent. Ratio est quia ex una parte non raro vera adest necessitas vendendi clandestine et in circumstantiis quae suspectum ingerunt, et ex alia nemo vellet res huiusmodi emere, si postea dictas inquisitiones (ad minus cum periculo amittendi nedum res ipsas sed etiam pretium solutum) facere teneretur.

3155. ***Tertius casus.*** *Cum dubio an res sit tua, illam accepisti spoliando possessorem.* Praenotanda sunt sequentia:

Spolium accidit etiam quando tibi applicas rem quae casu (v. g. per depositum vel commodatum) est apud te, de eaque tamquam tua disponis.

Possessor potest esse 1° Certe bonae fidei: 2° Certe malae fidei: 3° Suspectae fidei (si nempe graviter suspiceris quod sit malae fidei): 4· Dubiae fidei (si nempe ille quoque dubitet an res sit sua).

In possessore qui certe sit bonae fidei, possessio dicitur *legitima*, magnamque vim habet, atque ad commune bonum quammaxime interest ut possessiones huiusmodi firmae persistant, atque a nemine violentur.

In possessore autem malae fidei, possessio dicitur *illegitima*, et non multi momenti est, nempe vim habet solum quatenus violenter aut a non-dominis turbari nequit.

In possessore denique fidei suspectae vel dubiae, possessio dicitur *infirma*, et minorem vim habet quam si legitima esset.

His praenotatis, en regulae quae statuendae videntur:

3156. I. Si in dubio spoliatus fuerit possessor bonae fidei, communis sententia dicit, rem esse ei restituendam cum fructibus et damna ex ablatione subsecuta esse reparanda. Reatus tamen (uti patet) esset minor, quam si res fuisset certe eiusdem propria, et adhuc magis imminueretur, si qui illum abstulit probabilius existimaret rem esse suam.

3157. II. Loquendo de spolio contra possessorem malae fidei, illud in dubio contingere potest, si tu furtum passus abstuleris furi rem de qua dubitas an sit illa ipsa in individuo quae tibi ablata fuit, an vero sit alia aequivalens, quae vel 1° furis ipsius sit propria, vel 2° a fure ipso fuerit alteri ablata. In primo casu (suffragante iure sive dominii sive compensationis) a te nihil erit restituendum. In secundo autem furi pariter nihil restituere debebis, sed inter te et alterum rem dividere teneberis, nisi forte longe maior probabilitas tibi faveret, iuxta dicta (*n.* 3148 *et sqq.*).

3158. III. Loquendo de spolio contra possessorem fidei suspectae, casus esset, v. g., si agnum perdidissem, et postea in grege Caii vicini mei (qui sit persona valde suspecta) conspexissem agnum qui videbatur esse ille meus quem amisi, illumque abstulissem. Equidem sic male egissem, sed post factum (quum ex una parte incertum sit ad quem spectet dominium, et ex alia possessio adeo suspecta sit valde infirma et parum consideranda) videtur quod vel solum pro rata dubii, vel etiam (si valde probabilius agnus esset meus) nihil restituere debeam.

3159. IV. Denique non aliter (ob easdem rationes) casus decidendus videtur si spolium contra possessorem dubiae fidei accidisset, saltem si dubium iam inde ab initio in possessore ipso adfuisset.

B.

De eo qui dubitat an debitum solverit vel contraxerit.

3160. *Qui dubitat an debitum certe contractum solverit, ad quid tenetur?*

Ut plurimum dubia huiusmodi solvi possunt sive interpellando creditorem, sive coniecturis et praesumptionibus, ut puta, si agatur de debito antiquo et creditor numquam reclamaverit, vel si debita eiusdem generis solvi soleant statim, vel si debitor sit diligens, probus etc. Sed supponendo quod dubium vere solvi nequeat (prout subinde contingit speciatim in haeredibus qui nesciunt an defunctus huic vel illi debito satisfacerit, et maxime si creditor immediatus quoque defunctus fuerit vel dicat quidem debitum solutum non fuisse sed non sit fide dignus etc.); tunc, quamvis multi dicant debitum esse adhuc solvendum ex integro, quia debito certo non satisfit solutione incerta, et creditor est in possessione; tamen alii non pauci contra sentiunt, quia haec possessio in casu est infirma, et debitum iam evasit incertum, nec aequum est ut debitor periculo exponatur totum solvendi bis.

Hinc dicendum videtur quod, quamvis probabilitas faveat creditori (unde ille pro totius debiti solutione etiam in conscientia insistere possit), tamen favet etiam debitori, ita ut 1° possit se limitare ad solvendum pro rata dubii (idque maxime si debitor quoque dubitet): 2° possit etiam nihil solvere si iam probabilius sit debitum fuisse solutum: imo aliqui dicunt non oportere ut probabilius, sed sufficere si probabiliter debitum so-

lutum fuerit. Quod autem de solutione, de condonatione quoque dicunt; unde qui probabiliter existimaret creditorem (si rogaretur) condonaturum esse debitum (qui, v. g., propter furtum, damnificationem etc. haberetur), iam ad nihil teneretur. Cf. *Praxis* (*n.* 1370), *Gury* (*n.* 721), *Lhemkuhl, Marc.* etc.

3161. *Qui dubitat an debitum contraxerit, dubio manente post inquisitiones, teneturne ad aliquid?* Negant Theologi passim, quia in dubio melior est conditio possidentis (bona sua). Certe conscientia quietatur si nemo se praesentet, et forte nemo sit creditor, nec cogitet an quidquam a te habere debeat. Sed non pariter conscientia quietari videtur si, te dubitante, alter firmiter dicat debitum fuisse erga se contractum; imo etiam si ille quoque dubitaret, et tam tibi quam illi ex indiciis probabilibus debitum ipsum contractum fuisse videretur. Titius, v g., dicit: Recordor quod in tali occasione decem francos a me petisti, et mihi videtur quod illos tibi dederim. Tu autem de eadem petitione recordaris, et non bene meminis utrum eosdem francos receperis vel non receperis. In huiusmodi casibus conscientia quietari videtur solum si pro rata dubii solutio fiat, ita ut uterque lucro et damno exponatur.

RADIX III.

Ex damnificatione.

Divisiones. Agendum est 1. De principiis generalibus circa damnificationem: 2. De advertentiis specialibus pro casibus in quibus plures personae seu concausae ad delictum damnosum committendum concurrunt; 3. De quibusdam damnificationibus magis practicis.

DIVISIO I.

De principiis generalibus circa damnificationem.

3162. *Quid est damnificatio?* Damnificatio consistit vel in destruenda aut deterioranda re proximi, vel in aliqua actione ex qua proximo in rebus suis aut ei debitis aut ab eo speratis detrimentum affertur. Quod autem dicitur de actione dicendum est etiam de omissione (ut puta, si ex negligentia medici aeger mortuus fuerit). Damnificatio autem distinguitur a furto, quia damnificator res alienas minime (sicut fur) aufert sibique applicat.

3163. *An quaelibet actio damnificativa reparationis obligationem inducat?* Negative, non solum quia intervenire potest aliqua ex iis causis quae generatim a restitutione excusant (v. g., impossibilitas, condonatio etc.); sed etiam quia quaedam conditiones speciales exiguntur ut actio damnificativa talem obligationem producat.

3164. *Quaenam conditiones exiguntur, ut ex actione damnificativa reparationis obligatio oriatur?* Oportet 1° ut damnum vere fuerit subsecutum: 2° ut actio (vel omissio) fuerit causa perfecta damni: 3° ut fuerit iniusta: 4° ut fuerit formaliter culpabilis.

3165. *Quid de prima conditione,* ***quod damnum fuerit vere subsecutum?*** Actio damnificativa, ex qua, sive casu sive per alicuius industriam, damnum non provenerit, poterit quidem producere obligationem praebendi satisfactionem (propter iniuriam), sed non reparandi damnum quod non adfuit. Commisisti, v. g., adulterium sed proles subsecuta non fuit; vel incendium attentasti, sed (antequam damnum sequeretur) extinctum fuit.

3166. *Quid de secunda conditione,* ***quod actio fuerit causa perfecta damni?***

Exigitur ut damnum imputari debeat agenti; quod accidit dupliciter: 1° Si inter causam et effectum adsit connexio naturalis sive ex vi physica causae ipsius (ut puta, si incendium applicatum domui illam totam vel etiam aliam vicinam combusserit); sive ex influxu morali, v. g., mandati aut consilii; sive denique ex aliis circumstantiis ordinariis et saltem in confuso praevisis. Si, v. g., occidisses miserum patrem familias, damna ordinaria essent non solum ea quae ante mortem (ob impotentiam laborandi, expensas curationis etc.) ipsi occiso obvenissent, sed etiam ea quae propter eiusdem mortem filii et vidua pati cogentur. 2° Si inter causam et effectum adsit connexio solum quidem accidentalis, sed effectus ipse vel fuerit explicite praevisus in persona quae delicti tui obiectum fuit (ut puta, si calumnia affecisses famulum, praevidendo quod hac de causa pinguissimam heri sui haereditatem amissurus erit); vel fuerit nedum praevisus sed etiam intentus in aliis personis, ita scilicet ut actio ex intentione damni, seu ad hoc praecise ut damnum ipsum sequeretur, apposita fuerit (occidisti, v. g., Petrum ad damnum afferendum Paulo cui beneficiebat). Praxis (*n.* 1498 *et* 1505).

Si autem agens aliquo quidem modo influxerit in damnum

(forte etiam praevisum), sed ita ut illi (v. g. quia influxus fuit nimis remotus, et praeter intentionem etc.) imputari non debeat, tunc ille damni non iam causa perfecta, sed solum occasio erit, nec ad reparationem tenebitur. Exempla. Leviter vulneratus obiit quia medicamenta neglexit. Rem, quae prudenter credi non debuisset, dixisti, et exinde proximus ob nimiam credulitatem damna subiit. Occidisti Petrum et exinde pauperes damnum habuerunt, vel eiusdem creditores insoluti remanserunt. Occasione furti vel homicidii a te commissi, alter accusatus et damnatus fuit. Propter malam educationem filiorum, ipsi evaserunt fures. Tuo pravo exemplo alii delicta damnosa commiserunt (excipe nisi malum exemplum mandati vel consilii naturam induxisset, ut si dux exercitus praedari incoepisset). Praxis (*n.* 1496).

3167. *Quid de tertia conditione, **quod actio vel omissio damnificativa fuerit iniusta?***

I. Qui utitur iure suo nemini facit iniuriam, et proinde (nisi ius ipsum fuerit conditionatum, ut statim explicabitur), etsi ex usu talis iuris damnum aliis attulisset, ad reparationem teneri nequiret. Exempla. Aperis negotium aut vendis merces minori pretio, unde adventores cum detrimento aliorum negotiatorum ad te divertunt. Concurris ad hastam, vel obtines beneficium aut officium, unde alii concurrentes damnum patiuntur. Fabricasti aedificium contra domum alienam, quae sic prospectum amisit et pretio decrevit. Puteum in fundo tuo fecisti, unde puteus vicini exaruit. Iniquum aggressorem vulnerasti vel occidisti, unde ille eiusque familia damnum subiit. Ensem dedisti homicidae, quia ille secus te interfecturus fuisset etc.

Dixi: *nisi ius ipsum fuerit conditionatum;* interdum enim adest quidem ius inferendi damnum, sed sub conditione reparationis. Exempla. Ad insequendas apes tuas, segetes alienas proculcasti (*Cod. Civ. A.* 713). In periculo naufragii proiecisti in mare merces Titii ad salvandas tuas et alias (si tamen illas revera salvaveris); tunc enim debitum contributionis remaneret. Suborto incendio in domo vicina, ad salvandam domum tuam, intercidisti aliam mediam ad quam flammae adhuc non pervenerunt. Voet (*III. pag.* 98 *et* 105).

3168. II. Consentienti et volenti non fit iniuria, et proinde tunc quoque reparationis debitum non adest. Exempla. Puellam libere consentientem deflorasti. Consentiente marito adulterium cum eius uxore commisisti. Ad duellum te provocantem occidisti.

Consilium iniquum dedisti et exinde consiliario (fraude minime circumvento) damna obvenerunt. Praxis (*n.* 1496).

3169. III. Obligatio reparationis 1° Non oritur ob solam laesionem *charitatis* (v. g., incendium domus alienae impedire commode potuisses, sed noluisti; vel, cum esses medicus non conductus, operam tuam ad declinandum laborem vel etiam ex odio contra aegrotum, praestare recusasti, et sic obiit). 2° Non oritur ex laesione *religionis*, ut puta, si rem votivam non adhuc acceptatam destruxisses. 3° Non oritur ex laesione *pietatis*, v. g., si parentes inopes non aluisses. 4° Non oritur ex laesione *iustitiae legalis*, ut puta, si servitium militare declinasses et sic alter loco tui illud subire coactus fuisset.

3170. Oportet itaque ut iustitiae commutativae laesio intervenerit, quod accidit duobus modis.

Primus est quando quis absque ullo iure laesit alium non consentientem in bonis vitae, honoris, famae, vel in bonis fortunae quae iam sint sua, vel ad quae ius strictum habeat; idque verum est nedum si directe, sed etiam si indirecte huiusmodi laesio acciderit, dummodo (ut supra dicebam) damni causa perfecta fuerit.

Secundus est quando quis laesit alium in bonis quidem solum speratis, sed modo iniusto et directo, nempe vi aut fraude et praecise ad hoc ut illa (quae caeteroquin licite ei dari valerent) obtinere nequiret. Casus esset si tu nolens ut Titius moribundus in favorem Sempronii testamentum conderet, vi aut fraude (v. g., calumniis) id impedires; non vero si solis precibus (non importunis) aut consiliis idipsum impedires, aut fraudes quidem adhiberes sed non ex fine nocendi Sempronio, bene vero ex alia intentione, v. g., ne Titius occasione testamenti turbaretur, citius moreretur etc. Dixi laesionem iniustam intervenire posse *si agatur de bonis quae licite ei dari valerent;* si enim v. g. ageretur de beneficio vel officio quo quis esset indignus, et ego calumniis ab illo consequendo arcerem, deberem quidem calumnias retractare, sed pro beneficio vel officio quod non obtinuisset nihil restituère deberem. Praxis (*n.* 1507 - 1512).

3171. *Quid de quarta conditione* ***quod actio vel omissio damnificativa fuerit formaliter iniusta?***

I. Talis non esset si casu, sine reflexione ad malum, vel ex errore (credendo bene facere), vel in somno aut dementia aut ebrietate, damnum intulerim.

II. Damnificatio huiusmodi (nisi adfuerit reatus in causa cum

praevisione etc.), deficiente voluntario, est materialis, nec est actus humanus imputabilis; unde, quasi a bruto peracta fuisset, tamquam infortunium haberi deberet, et per se iure naturae reparationis obligationem minime induceret. Hinc theologi dicunt quod, ad talem obligationem inducendam, *culpa teologica exigitur.*

3172. III. Dixi *per se,* quia (deficiente quoque culpa theologica) reparationis obligatio adesse potest 1° Ex pacto expresso: 2° Ex pacto tacito vel implicito: 3° Ex sententia iudicis (propter culpam iuridicam, nempe a lege semper praesumptam, etsi de facto et coram Deo minime existentem).

Pactum expressum aliquando intervenit inter heros et famulos, qui speciali conventione ad rerum casu fractarum pretium solvendum obligentur.

Pactum tacitum seu implicitum probabiliter adest in quibusdam contractibus, aut quasi contractibus, unde, v. g., si contingat quod quis ex nimia negligentia vel temeritate (etsi theologice inculpabili) damna afferat, sive exercendo officium pharmacopolae, medici, advocati etc., sive utendo immoderate re locata etc.; damnificatus ad reparationem probabile ius habet. Quum tamen diversae sint hoc in puncto sententiae, hinc efficitur ut damnificator ab illa danda abstinere, et damnificatus e contra illam exigere et obtentam retinere possit. Praxis (*n.* 1492).

Denique *ex sententia iudicis* obligatio reparationis contingere potest, v. g., in damnis quae a tuis animalibus, servis (in operibus eis commissis), filiisque minoribus tecum habitantibus, vel etiam a tuis aedificiis ruinosis, allata fuerint. (*l. c.*).

3173. *Quid si delictum partim voluntarium et partim involuntarium fuisset?* Videndum imprimis an pars involuntaria respexerit damnum, an vero respexerit personam. Si respexisset damnum (exempla: furtum committebas et fortuito casu incendisti domum; vel gemmam veram pro falsa destruxisti, certe scilicet credendo esse falsam); tunc certe pro parte voluntaria, sed non pro involuntaria, ad reparationem teneris. Si vero pars involuntaria respexisset personam (occidisti, v. g., Petrum credendo esse Paulum, vel incendisti domum Titii credendo illam esse Caii); tunc si error fuisset accidentalis, eo quod, v. g., illum individuum (quem falso credebas esse Paulum), tibi molestum occidere, vel illam domum (quas falso credebas esse Caii) tibi noxiam destruere, omnino volebas; in tali casu ad reparationem certe teneris. Si vero error fuisset substantia-

lis, ita ut veritate cognita delictum non commisisses (volebas, v. g., occidere Paulum inimicum et per errorem occidisti Petrum amicum; aut volebas vindictam facere contra Caium incendendo eius domum, et per errorem incendisti domum Titii); tunc multi dicunt reparationis obligationem non adesse, quia iniuria, quae de facto perpetrata fuit, involuntaria fuisset; iniuriae enim sunt suppositorum (nempe personarum). Alii autem contra sentiunt; unde in praxi ius litigandi daretur, et qui laesit, abstinere a reparatione, laesus vero illam exigere posset. Idem dicunt plures si quis occidisset hominem certe credendo iniurias ab eo recepisse, dum revera illas non recepisset, atque adeo, errore detecto, illum nunquam occisurus fuisset. Notandum quod in furtis et fraudibus error personae solet esse accidentalis; sed si foret substantialis (et res ablata nec in se nec in aequivalenti existeret), ut puta, si ob vindictam rem alicui abstulisses, vel credendo furari diviti, pauperi furatus fuisses etc.; tunc inter casum et casum nihil differentiae esset.

3174. *Quid si inadvertenter causam damni posueris; sed, antequam effectus sequatur, possis illam amovere? Tenerisne ad hoc ex iustitia? Et, nisi id facias, tenerisne ad restitutionem?* Affirmandum certe si ex contractu vel officio ex iustitia adhuc tenearis impedire damnum, atque incolumitati proximi consulere, ut in pharmacopolis, in medicis (durante cura), in advocatis (durante causa) etc., contingere potest. In aliis casibus autem controvertitur. Sententia communis docet, obligationem ex iustitia adesse semper, ut puta, si quis inculpabiliter crimen falsum superiori detulerit, vel falsum testimonium dixerit, vel circa restitutionem aut medicinam (quum non esset medicus) consilium erroneum dederit, vel viam falsam indicaverit, vel principium incendii apposuerit etc. Alii autem censent obligationem esse ex sola charitate. Quidquid sit de hoc, certe, quoad gradum incommodi sustinendi ad damnum impediendum, magna differentia fieri debet inter casum in quo culpabiliter, et casum in quo inculpabiliter causa damni apposita fuerit. In prima hypothesi damnificator noxium effectum impedire teneretur etiam cum incommodo maiore illo quod proximus subiturus esset (atque adeo interdum etiam cum sacrificio vitae). In secunda autem hypothesi (de qua hic agimus), minus incommodum excusat; imo generatim cum gravi incommodo ad hoc minime teneretur. Praxis (*n.* 1494).

3175. *Quid si culpa theologica adfuerit quidem, sed levis? Tenerisne tunc ad reparationem?* Affirmative si damnum fue-

rit leve. Si vero fuerit grave, modo nullatenus, modo sub levi et modo sub gravi ad reparationem teneberis, ut infra (*n.* 3225 *et sqq.*) explicabitur.

DIVISIO II.

De cooperatione ad damnificationem, seu de casibus in quibus plures personae (seu concausae) ad delictum damnosum committendum concurrunt.

Agendum est de hac cooperatione seu de his concausis 1. in genere; 2. in particulari.

§ I.

De cooperatione ad damnificationem in genere.

3176. *Quot personae ad delictum concurrere possunt?* Ad sequentes sex classes (quae infra explicabuntur) reduci possunt.

1.° Mandans (aut iubens).

2.° Consulens vel aliter extimulans. (seu ut Theologi dicunt, *palpo*). Notandum quod consulens potest esse sine dolo, vel cum dolo. Esset cum dolo, v. g., si quis te incitaret ad Titium occidendum, mendaciter dicendo illum esse malefactorem, tibi inimicum, tuae vitae insidias parare etc. Item si quis tibi suaderet tale facinus esse licitum.

3.° Conspirantes, seu suffragium dantes (qui a Theologis dicuntur *consentientes*). Notandum quod isti modo tamquam mandantes, et modo tamquam consulentes considerari possunt.

4.° Executor vel executioni immediate participans.

5.° Auxilium (scil. media), aut protectionem (seu, ut Theologi dicunt, *recursum*) praestans.

6.° Non impediens (seu, ut Theologi dicunt, *mutus, non obstans, non manifestans*).

Patet autem plures esse posse mandantes, executores etc.

Qui primis quinque modis concurrunt, *causae positivae;* et qui sexto *causae negativae* appellantur.

Primae tres causae ante factum locum habent, quarta in facto, quinta autem et sexta utroque tempore intervenire possunt.

3177. *Quid si persona commisceretur quidem aliquo modo cum aliis in delicto, sed in damnum nullatenus influeret, vel*

non esset eiusdem causa perfecta; bene vero solum causa inculpabilis, vel simplex occasio? Tunc certe ad reparationem non teneretur.

Exempla. Titius Caio iam parato ad delictum quod omnino commissurus erit, dicit: *eia age: bene, optime facis,* vel influit solum circa tempus et modum (En casus nullius influxus in damnum nec in toto nec in parte). — Venditor armorum vendit sclopum homini suspecto qui sicut alii ad eius negotium se praesentat. Sempronius tibi minitatur mortem nisi portam infringas, vel arma ei praebeas etc. (En casus causae inculpabilis) — Ingrederis vineam ad gustandum unum uvae racemum, et alii tuo exemplo allecti illam ingrediuntur et singuli magnum damnum afferunt (En casus simplicis occasionis).

3178. *Quid si esses causa perfecta damni sed solum in parte?* Tunc ad reparationem pro ea parte (seu, ut aiunt, *pro rata*), et non amplius, teneri poteris. Dico *poteris,* quia si esses causa inferior et subordinata, contingere potest quod ad nihil tenearis (ut infra explicabitur).

Exempla. Dum alter iam est paratus ad damnum inferendum in determinata mensura, tu efficis ut ad plus procedat. — Dum alii iam damnum inferunt, tu teipsum illis adiungis, vel efficis ut alii illis adiungantur, vel utcumque ut maius damnum inferatur. — Executionem delicti ex incerta certam reddis, propenso, v. g., animum addendo, vel efficiendo ut hodie potius quam cras illud consummet, quia times ne alii illum dissuasuri sint, vel impedimenta sint oritura etc.; tunc enim laesus habuisset spem immunis a damno remanendi, et proinde tu pro rata huius spei restituere tenereris.

3179. *Quid si fuisses causa damni totius?* Claritatis gratia distinguendum est inter causam necessariam, sufficientem et dubiam.

3180. *Quandonam esses causa necessaria damni totius?* Quando sine tuo (vel alterius, loco tui) concursu (sive positivo sive negativo) damnum nullatenus afferretur. Dixi *vel alterius, loco tui;* nihil enim referret, si, te non concurrente, alter adfuisset, qui, loco tui, concursum necessarium (non tamen remotum) praestitisset: qui enim praecessit alium in damno inferendo, illum etiam in onere restitutionis praecedere debet.

Exempla concursus positivi. Titius minime executus fuisset delictum sine mandante vel consulente. tu autem mandasti vel consuluisti. Caius nunquam patraturus fuisset homicidium sua manu et sine executore; tu autem fuisti executor. Ad delictum exequendum oportebat, v. g., ut tres suffragium darent, ut quinque essent executores, atque insuper ut dux facinus dirigeret; tu autem vel unus ex illis tribus, vel unus ex illis quinque, vel dux fuisti.

Exempla concursus negativi. Medicus, ex iustitia obligatus ad curandum inique vulneratum, eum neglexit, et hac de causa mors secuta fuit. Ille enimvero cursum morbi ex vulnere provocati impedire debuisset, et si ita fecisset, aegrotus (iuxta hypothesim) convaluisset. — Miles missus fuit ad impediendum delictum, illudque non impedivit etc.

3181. Notandum quod, quando plures positive et simul ad delictum consummandum concurrunt, facilius est quod singuli sint causa necessaria si sint pauci (ut in homicidio), quam si sint multi (ut in rebellione, bello iniusto etc.); in primo enim casu facilius unusquisque vel est physice necessarius, vel praebet confidentiam necessariam aliis; aut singuli sibi invicem tale praebent incitamentum, ut sine illo delictum perpetrari nequiret. Lugo (XIX. 96).

3182. *Ad quid et quo ordine tenentur qui sunt causa necessaria damni totius?* Advertendum imprimis quod, si ageretur de furto vel de damnificatione commixta cum furto, tunc qui rem furtivam habeat, vel mala fide et nomine proprio consumpserit, ad restitutionem ante omnes alios teneretur.

Sed, supponendo quod furtum non intervenerit, aut quod habens rem furtivam non restituerit; tunc ad quaesitum: *Ad quid teneatur qui est causa necessaria damni totius?* sic responderi debet: Sicut qui est causa damni solum in parte, potest teneri ad reparationem pro illa parte seu *pro rata* (ut dixi *n.* 3178); ita qui est causa damni totius, pro toto seu (ut aiunt) *in solidum*, ad reparationem teneri potest. Dixi *potest*; quia distinguendum est inter causas superiores et inferiores, sequenti modo:

3183. I. Concurrente mandante vel consulente (dummodo tamen consilium fuerit dolosum, ut supra) cum executore, causa superior est mandans vel consulens. Deficiente autem vel non restituente mandante aut dolose consulente, causa superior tunc evadit executor. Non restituente executore, aliae causae positivae superiores evadunt relate ad negativas, quae ultimo loco succedunt.

3184. II. Causa superior ad reparationem tenetur *in solidum absolute*, idest quamvis causae eidem inferiores restituissent (quo casu ad refactionem erga illas teneretur), aut quamvis causae ipsae a domino laeso condonationem obtinuissent. Hinc qui est causa superior liberaretur solum si ipse praecise condonationem (quae utique stat loco solutionis) obtinuisset.

3185. III. Qui est causa inferior damni, tenetur ipse quoque ad illius reparationem in solidum aut pro rata (secundum quod totius damni, aut solum eiusdem partis, causa fuerit); tenetur (inquam), sed *tantummodo hypothetice et cum iure refactionis contra superiorem.* Dixi *hypothetice,* scilicet in hypothesi quod qui est causa superior non restituerit (nec sit restituturus), aut condonationem non obtinuerit. Condonatio itaque facta causae

superiori iuvat inferioribus, sed non viceversa. Iuvat (inquam) inferioribus; sed dummodo non sit conditionata; aliud enim esset si dominus, compassione motus erga principalem impotentem restituere, ei condonationem fecisset sub conditione quod alii obligati remaneant. Lugo (*l. c.* 140).

3186. IV. Si plures essent causae certe necessariae (de dubiis enim agemus infra) eiusdem ordinis, quae ad reparationem teneantur, v. g., plures mandantes, vel (in defectu mandantis) plures executores; tunc unusquisque teneretur absolute pro rata, et hypothetice (scilicet in defectu sociorum) in solidum.

3187. *Quomodo quis potest esse simul cum aliis causa non necessaria, sed sufficiens, damni totius; et ad quid teneatur?*

I. Casus esset si v. g., duo mandent vel consulant delictum aut illud exequantur, ita ut 1° pars ab unoquoque praestita (alia etiam non accedente) satis fuisset, ut puta, si uterque vulnus lethale inflixisset, vel mandatum aut consilium ad executorem determinandum sufficiens dedisset: 2° Ambo sine condicto (vel ex condicto tali, quo etiam secluso, idem effectus contigisset) processerit; secus enim unusquisque fuisset causa necessaria, sed ex se sola non sufficiens: 3° Ambo egerint simul: secus enim qui secundus fuisset, nihil influxisset.

II. In casibus huiusmodi unusquisque tenetur absolute pro rata (non enim est iustum quod pro damno unico duae integrae reparationes habeantur); hypothetice vero (uti patet) in solidum,

3188. *Quomodo quis potest esse causa dubia, et ad quid teneatur?*

Imprimis potest quis dubitare an damnum evenerit; et tunc certe ad nihil teneretur. Supponendo autem quod damnum certe evenerit, dubium esse potest an, concurrente te simul cum aliis, damnum ipsum a te an vero ab aliis provenerit. Exempla. 1° Dedisti mandatum vel consilium, et dubitas an executor ab illo motus fuerit; an vero, secluso etiam tuo mandato vel consilio, delictum perpetraturus fuisset. 2° Concurristi cum aliis ad homicidium, et nescis an ictus lethalis (sive unicus sive primus) a te an vero ab aliis datus fuerit. Similis est casus duorum, qui rem habuerunt cum eadem foemina coniugata, et nesciunt cuinam illorum proles suscepta adscribi debeat. 3° Ad deliberandum de delicto exigebatur consensus septem personarum per suffragia: de facto autem consenserunt decem, et sic tria vota superflua adfuerunt; sed ex modo ferendi suffragia unusquisque incertus remansit an suum votum inter necessaria an vero inter superflua recensendum sit.

3189. II. Quoad obligationem reparationis, dubium nihil obstaret 1° Si praesumptionibus vinci posset, ut puta, si personae quae de delicto committendo non cogitabat, tu illud exequendi mandatum vel consilium dedisses: 2° Si inter te et alios de delicto consummando condictum praecessisset; quo secluso, illud perpetratum non fuisset; tunc enim, etsi actu non influxisses, iam prius causa necessaria extitisses. 3° Si qui vota superflua (vel etiam contraria) dederunt, antea sponte consensissent ut decisio a maioritate votorum penderet, quo secluso unanimi consensu, nihil actum fuisset.

3190. In aliis casibus magna est inter Theologos discordia. Ego censeo quod, saltem quando dubium est commune omnibus, ita ut laesus nullum inveniret certum et determinatum sui damni auctorem (quum tamen ab aliquo vel aliquibus ex concurrentibus certe illud receperit); tunc unusquisque teneatur pro rata, et (si quid opinor) hypothetice in solidum. Exemplum habes in homicidio et adulterio, concurrentibus duobus (ut supra); Hanc sententiam (quoad obligationem pro rata) Lugo (XIII. 19 et XIX 22) dicit esse communem, illamque ad casum etiam plurium concurrentium per suffragia (ut supra) applicat, eique S. Lig. (n. 566) adhaeret quoad casum suffragiorum, sed non quoad casum adulterii, tunc enim (n. 658) a restitutione liberat primum adulterum, et obligat secundum, quia iste et non ille confusionem iniecit atque adeo ius mariti laesi deterioravit. Addit insuper hanc obligationem (etiam quoad secundum) esse rarissimam, quia oporteret ut confusio et deterioratio ista ab eo cognita et animadversa fuisset. Caeterum, in casu mandati et consilii, ego quoque admitterem cum eodem S. Lig. (*n.* 562) quod, stante dubio de influxu et remanente obligatione in executore, ad nihil tenearis.

§ II.

Agitur in particulari de concausis, quae ad delictum concurrunt.

A

De mandante et consulente.

3191. *Quis est mandans?* Qui mandat alteri ut *pro se,* seu nomine suo et vice sua, atque in commodum suum, delictum exequatur.

Huiusmodi est qui auctoritative iubet, aut libera conventione mandat, aut committit, aut petit, aut ante factum ratihabet (seu consentit) ut *pro se* delictum fiat. — Mandatum potest esse *coactivum* (addendo minas aut preces importunas), vel *non coactivum* — Item in simplici *commissione,* vel etiam in *conductione (* interveniente mercede *)* consistere potest.

3192. *Quis est consulens?* Qui alteri consilium dat de malo, sed *non pro se*, non scilicet in commodum suum, efficiendo.

Hinc executor sub mandato nomine mandantis, et sub consilio nomine proprio (etsi a consulente instigatus vel deceptus) agit.

Consilium est *doctrinale* si directe respiciat intellectum (dicendo v. g., talis contractus est iustus, vel talis medicina est bona). Est *impulsivum* si directe respiciat voluntatem (v. g., eia age, occide etc. *)*. Dicitur *vestitum*, si impellendo motiva etiam (speciatim executori utilia) adducantur, vel modus exequendi delictum ignaro indicetur. Secus, *nudus* appellatur.

Item potest esse *influens,* vel *non influens* (si nempe executor iam fuisset de se paratus *)*. Et, si sit influens, potest esse nocivum ei contra quem datur, vel cui datur, vel utrique. Item potest influere *substantialiter,* nempe in substantiam damni, in toto vel in parte; vel solum *accidentaliter*, v. g., quoad tempus vel modum.

Potest esse (quoad malitiam *) voluntarium* et *involuntarium ;* voluntarium autem *directum* (nempe ex intentione damni, aut cum deceptione fraudulenta *cf. n. 3176*), vel simpliciter *imprudens* et *temerarium* (scilicet cum sola praevisione erroris ex defectu ponderationis).

Denique potest esse *antecedens* (si nempe ille cui datur de delicto non cogitabat); vel *consequens ;* et hoc interdum (maxime si sit nudum) potest esse non influens.

3193. Consulenti aequiparatur *extimulans* (qui, ut dixi, a Theologis appellatur *palpo*); qui scilicet sive laudibus (seu adulationibus), sive exprobrationibus, sive irrisionibus, sive opprobriis, sive precibus (etsi non importunis), sive blanditiis, sive muneribus, sive sponsionibus (it. *scommesse*) etc., *ante factum* ad delictum : vel *post factum* ad illud iterandum vel non reparandum incitat. Haec incitatio potest etiam esse *indirecta,* v. g., si quis iniuriam illatam in mentem revocaret et vivide repraesentaret, ea intentione ut offensus ad vindictam provocaretur, quamvis de illa mentio expressa non fieret.

Notandum tamen quod aliquando ex ioco, levitate, (quin consequentiae satis considerentur), atque adeo sine culpa formaliter mortali, haec fiunt ; unde tunc contingere potest quod damnorum reparationis obligatio minime adsit.

3194. A*d quid tenetur mandans vel consulens ?* Supposito influxu iniquo, debet 1° ante factum retractare mandatum vel consilium : 2° post factum reparare damna, iuxta regulas generales suo loco explicatas.

3195. *Quid de consulente minus malum alteri, ut a maiori delicto perpetrando abstineat ?* Si consilium sit conditionatum

(dicendo, v. g., si omnino vis committere hoc delictum maius, committe potius istud aliud minus); tunc influxus non esset iniquus, et proinde nulla obligatio superesset. Cf. Praxis (*n.* 1545).

3196. *Quaenam damna reparari debent?* Supponendo quod mandatum vel consilium fuerit culpabile et non retractatum, distinguere oportet inter damna quae personae laesae, et damna quae ipsi executori obvenerint.

Quoad personam laesam reparanda sunt 1° damna intenta: 2° damna explicite praevisa: 3° damna ordinaria, seu (ad rectius loquendum) quae delictum intentum facile comitari possunt, ut puta, si, loco mandatae verberationis, mutilatio aut mors (ob colluctationem) evenisset. Damna autem ex mero arbitrio vel errore executoris subsecuta, nec mandans nec consulens (quorum mera occasio fuisset) reparare teneretur.

Quoad executorem autem, etsi ordinarie damna ei obventa reparari non debeant (etsi forte de laedendo seipso consilium alicui datum fuisset), quia volenti et consentienti non fit iniuria; tamen sunt reparanda in duobus casibus, nempe 1° si de hoc pactum speciale adfuisset: 2° si a parte mandantis vel consulentis vis aut dolus contra executorem ipsum intercessisset.

3197. *Quid de damnorum reparatione, si mandatum vel consilium revocatum fuerit, sed revocatio nihil impediverit?*

I. Remanet certe obligatio reparationis si revocatio ad executorem tempestive non pervenerit; vel opere iam incaepto ita pervenisset, ut ab eo desistere nimis grave aut periculosum futurum fuisset. Idem dic si revocatio ab executore sive non audita, sive non intellecta, sive tamquam ficta (v. g., ad eludendos intercessores) vel coacta, habita fuisset.

II. Si autem revocatio ad executorem tempestive pervenerit, ab eoque tamquam serio et sponte facta habita fuerit (et idem dic si executor epistolam accepisset; sed, de revocatione suspicatus, illam ex industria clausam reliquisset); tunc certe non adest obligatio reparandi damna in duobus casibus; nempe 1° Si agatur de mandato; quum enim delictum in gratiam et commodum mandantis exequendum sit, illo declarante id non amplius velle, totus mandati ipsius influxus cessare debet. Excipe nisi stipendium promissum fuisset, et mandans (v. g. illud solvendo) non providisset ut ex hoc quoque capite influxus cessaret. 2° Si agatur de consilio nudo aut mere auctoritativo (falso dixisti, v. g., non adesse onus restitutionis, et postea te retractasti). Idem dic de consilio vestito quidem, sed ita ut

retractatio vim eiusdem necessario et penitus destruere debeat (dixisti, v. g., Petro: occide Paulum quia ille occidit fratrem tuum; et postea, reperta huius assertionis evidenti falsitate, id Petro significasti). In his (inquam) casibus obligatio reparandi damna adesse nequit; si enim delictum sequatur, praesumendum est quod executio non ex influxu mandati vel consilii, sed ex alio motivo processerit. Si autem consilium fuisset ita vestitum, ut motiva adducta, v. g., facilitatis (indicando modum) vel utilitatis etc., non obstante retractatione, influere pergant, ut puta, si motiva contraria debiliter adducantur, aut non intelligantur, non credantur etc.; tunc non video quo solido fundamento consulens a damnorum reparatione eximi possit. Meo sensu, eximeretur solum si motiva contraria (maxime in fidei veritatibus fundata) fortiter adducta fuissent magnamque impressionem fecissent; tunc enim vis iniqui consilii adeo extenuata evasisset, ut delictum (nihilominus perpetratum) longe magis perversitati executoris, quam consilii ipsius influxui, attribui deberet. Cf. Praxis (*n.* 1544).

3198. Passim autem monent quod, si consulens nequeat avertere executorem a damno inferendo, tenetur ex iustitia monere laedendum ut sibi caveat. S. Lig. (*n.* 559).

B

De conspirantibus seu pro delicto suffragium ferentibus.

3199. *Quotuplicis generis possunt esse suffragia?*

I. *Deliberativa* (si nempe sint ad modum mandati aut permissionis sine qua non); et *consultiva* (si nempe ad modum consilii tantummodo sint).

II. *Necessaria* aut *superflua.* Exiguntur, v. g., septem vota ad complendam maioritatem (a qua valor mandati vel permissionis pendeat), et tunc vota usque ad illum numerum necessaria, ultra illum vero superflua erunt.

3200. *Quaenam hac in re sunt principia generalia?*

I. Qui pro delicto perpetrando dedit votum de quo constet quod in numero necessario comprehendatur, tenetur (effectu secuto) pro rata, et deficientibus aliis in solidum. Qui vero suffragium, de quo constet fuisset superfluum, dedit, ad nihil tenetur. Excipe 1° si (ut dixi *n.* 3189), propter consensum antecedenter datum ut a maioritate decisio penderet, ille quoque

causa damni fuisset. Excipe 2. Si, in deliberatione permissiva, vota superflua tamquam consilium efficax haberi deberent. Vide etiam *Praxim* (*n.* 1574).

3201. II. Si ex modo ferendi suffragia (sive secreto sive simultaneo) non cognosceretur quaenam vota ex necessariis et quaenam ex superfluis fuerint; tunc singuli pro rata tenentur (*l. c.* 1575).

3202. III. Qui abstinent a ferendo suffragio, dum, ex officio atque ad impediendam iniustitiam, se praesentare illudque dare debuissent, ad damnorum reparationem obligantur, nisi ab interventu legitime excusentur.

3203. Causae excusantes essent I° si ex abstinentia grave inconveniens snbsecuturum esse non conspiceretur. 2° Si impedimentum legitimum, nempe, rei gravitati et periculo proportionatum, intercederet. 3° Si interventus prorsus inutilis esset, et iam iniqua deliberatio impediri non posset (*l. c.* 1577).

C

De executore et participante.

De executore, quando sine socio nulloque ei auxilium praebente delictum consummat, praeter supradicta, nihil specialiter dicendum venit.

3204. *Quis est participans?* Est qui ad delictum participat, sive 1° in facto; sive 2° in facto simul et in praeda; sive 3° ante vel post factum.

3205. *In facto* quis partecipare potest duobus modis: 1. *Aeque principaliter*, ut puta, si duo nomine proprio occidant inimicum communem: 2. *Secundario*, ut puta, si Titius volens occidere inimicum suum, in auxilium vocet Sempronium, qui ideo v. g., vulnerando, excubias agendo etc., ad homicidium ipsum, secundario quidem sed immediate et simul cum agente principali concurrit.

3206. *Ante factum vel post factum* quis participare potest, v. g., arma suppeditando, refugium vel protectionem ei praebendo, vel praedam emendo, occultando etc., quo casu (ut supra innui) *recursum praebens* appellatur.

3207. *Quid exigitur ut quis sit ita vere partecipans, ut ad damnorum reparationem teneatur?* Exigitur ut concurrat cum reatu seu ad modum complicis. Reatus autem et complicitas abesse posset 1° si concursus nimis remotus et indifferens foret, iuxta dicta (*n.* 2589): 2° si coactio aut alia causa ad excusandum sufficiens intervenisset, ut puta, si quis metu mortis pro-

ximum in bonis fortunae laedere cogeretur. Vide dicta (*n.* 2195 V) et Praxis (*n.* 744).

3208. Quoad illum qui refugium vel protectionem delinquenti praebet, magna distinctio fieri debet inter casum in quo de his promissio aut spes sive expresse sive tacite data fuerit ante factum, et casum in quo solum post factum haec ipsa praestarentur. In primo casu reatus et complicitas semper aderit; unde, v. g., advocati, iurati, iudices, qui delicta molientibus impunitatem promittant; et quicumque latronibus spondeant se esse illos occultaturos vel praedam empturos, certo certius complices sunt, atque adeo ad damnorum reparationem (iuxta regulas supra expositas) facile teneri possunt. In secundo casu e contra complicitas et iniustitia, quae restitutionis obligationem involvat, difficile aderit. Hinc a tali complicitate immunes sunt 1° Advocati qui modis licitis defendunt fures aliosque malefactores; 2° Caupones et stabularii publici, qui malefactoribus quoque victum et hospitalitatem praebent, sicut aliis quibuslibet: 3° Qui post factum malefactorem domi occultant non qua talem, sed qua consanguineum vel amicum; 4° Imo et qui alicuius delicti reum a satellitibus inquisitum abscondunt vel adiuvant ad fugiendum, non ut delictum iteret, et nequidem ita ut habitualiter delinquenti sic ansa praebeatur continuandi in delictis; bene vero solum ut qui casu deliquit poenam declinet. Praxis (*n.* 1385),

3209. *An tamquam participans atque ad restitutionem obligatus censeri debeat qui recipit in domo sua ad ludendum et crapulose comedendum atque libendum iuvenes dyscolos qui sic res furto ablatas consumunt?* Negat Lugo, quia esset solum occasio, non vere causa perfecta damni; et tunc valet ratio quod illo recusante, non deessent alii qui eos recepturi, nempe domum, sedilia, mensam, vinum, ignem, aleas etc. commodaturi forent. Si tamen res ipsas furto ablatas in stipendium reciperet, tunc illas, aut earundem nomine proprio consumptarum pretium, restituere deberet. Praxis (*n.* 1586).

3210. *Quo modo participans ad restitutionem tenetur?*

I. Si participavit in sola actione damnificativa aeque principabiliter (*cf. n.* 3206), tunc absolute pro rata, et hypothetice in solidum tenetur. Si autem participavit secundarie (*l. c.*), tunc solum hypothetice (etsi forte in solidum, si nempe eius concursus fuisset necessarius) tenebitur. Hinc si concurrat arma praebens cum executore, non iam uterque tenetur pro rata, sed damnum totaliter reparari debet ab executore, et solum in defectu illius arma praebens in solidum tenebitur.

II. Si participavit etiam in praeda, tunc, quoad partem sibi obventam, tenebitur principaliter, quamvis forte in actione damnificativa secundarius fuisset. Praxis (*n.* 1589).

III. Participantes, qui pro rata restituere teneantur, interdum aequalibus et interdum inaequalibus partibus id praestare debent, iuxta scilicet gradum influxus, et iudicium viri prudentis. Ordinarie autem bona regula sumi poterit a divisione praedae, quae de aequali vel inaequali influxus gradu argumentum erit. Praxis (*n.* 1590).

D.

De non impediente seu de causis negativis.

3211. *Quid exigitur ut non impediens damnum ad restitutionem teneatur?* Oportet ut ex stricta iustitia illud impedire debeat. Non itaque sufficit sola obligatio charitatis, aut pietatis (ut in filiis non impedientibus damna parentum), aut observantiae, aut iustitiae legalis (ut in subditis non impedientibus damna Superiorum vel Principis). Item non sufficit obligatio ex officio quod non bona temporalia sed solum bonum spirituale respiciat (ut in confessario, qui poenitentem de restitutione non admoneret). Denique ne sufficeret quidem obligatio strictae iustitiae, si casus sphoeram seu limites talis obligationis excederet. Sic pater tenetur quidem ex stricta iustitia impedire ne filii aliis damna inferant, sed solum si adhuc pueri vel mentecapti sint. Qui autem ex stricta iustitia non tenetur damnum impedire, probabiliter iniustus minime evaderet, quamvis (v. g. rogatus a malefactore) ad illud non impediendum se obligaret vel etiam pretium reciperet. Praxis (*n* 1597). Idem dic si quis (absque vi et dolo) procuret ut alter, non obligatus impedire damnum, illud non impediat (*l. c. n.* 1598).

3212. *Quinam ex stricta iustitia tenentur impedire damna et mala temporalia proximi?* Speciatim prîncipes, praefecti publicae securitatis eorumque milites, duces exercitus, tutores, curatores, administratores, praepositi vectigalium, custodes vinearum, sylvarum etc., medici, advocati, et interdum famuli. Attamen solum iuxta quosdam limites, et intra propriam sphoeram, ut dixi.

3213. *Cum quanto incommodo, cum quanta diligentia, et cum quanto rigore ad id tenentur?* Hoc regula generali definiri nequit. Praefecti publicae securitatis et milites obligari

possunt etiam cum periculo vitae. Alii ut plurimum tenentur solum cum notabili, non vero cum gravissimo, incommodo. Diligentia ut plurimum sufficit si sit ordinaria, habita ratione gravitatis casus. Quoad rigorem, hic debet esse iuxta pacta, communem interpretationem et praesumptam domini rationabilem voluntatem. Sic maiori rigore contra damnificatores vineae, quam contra damnificatores sylvae, procedi debebit.

3214. *An famulus ex iustitia impedire teneatur ne in domo heri furta accidant?* Distinguendum est inter furta quae a domesticis committantur, et quae ab extraneis impendeant.

Certe non tenetur ex iustitia impedire damna quae ab aliis conservis vel personis domesticis committantur; id enim quid nimis grave et odiosum esset, neque hoc onus in contractu famulatus suscipi intelligitur. Excipe 1° si agatur de rebus eius speciali curae commissis: 2° si herus peregre proficiscens famulo universae rei domesticae (tamquam alter ego) praefecerit.

E contra tenetur ex iustitia impedire damna quae ab extraneis impendeant non solum in praedictis duobus casibus, sed etiam in aliis; attamen plus vel minus iuxta circumstantias. Aliud enim est si herus famulo arma consignaverit, et aliud si ut cubicularium vel coquum etc. simpliciter illum assumpserit. In primo enim casu ad impedienda damna etiam cum usu armorum ex iustitia tenebitur; non item in secundo: tunc enim satis esse poterit si, v. g., furibus advenientibus, ianuam claudat, dominum admoneat etc.

3215. *Si plures causae negativae in damno concurrerent, et* (*post positivas, ut dixi*) *restituere debeant, tenenturne semper singulae aequaliter?* Negative. Sic, v. g., concurrente aeconomo generali cum custode particulari (eo quod damnum ex utriusque negligentia obvenerit), custos particularis strictius et in maiori proportione ad restitutionem obligatur. Imo, si aeconomo generali non iam rerum custodia, sed solum vigilantia circa alios commissa fuisset, tunc custos particularis teneretur in solidum, et tantummodo in illius defectu aeconomus generalis subintrare posset. Lugo (*XIX.* 135).

DIVISIO III.

De quibusdam damnificationibus magis practicis.

§ I.

De reparatione damnorum propter homicidium.

3216. *Quid restituendum sit propter homicidium?* Supponendo quod homicidium fuerit vere iniuriosum, sequentia damna reparari debent.

I. Damna et lucra cessantia, quae ipsi occiso ante mortem obvenerint, nisi ab illo fuerint condonata.

II. Damna ordinaria (atque adeo saltem confuse praevisa) quae propter mortem occisi, eiusdem filiis, uxori, et genitoribus obvenerint. Multi tamen excipiunt duos casus: 1° Si isti patre stricte non indigerent; 2° Si pater ante mortem plenam condonationem homicidae fecisset. Certe excipiendus est casus in quo filii ipsi iuris proprii conscii ab homicida nihil peterent, dum facile petere possent. Praxis (*n.* 1610).

III. Damna aliis quoque personis obventa, attamen solum si haec fuerint nedum praevisa sed etiam intenta.

5217. *Quid de restitutione propter percussionem, vulnerationem, mutilationem?* Pro his praecise in se inspectis nihil restitui debet, quia restitutio est impossibilis. Dixi *praecise in se inspectis;* damna enim ex iisdem subsecuta certe (iuxta easdem regulas) reparari debent.

§. II.

De reparatione damnorum propter stuprum.

3218. *Quid exigitur ut stuprum constituatur?* Hic non agitur de stupro eo sensu quod sit virginis violatio illicita, etsi forte non iniusta; sed agitur de stupro quatenus est delictum contra iustitiam, ad quod sufficit quod vir turpia perpetret cum alia persona modo iniusto, nempe sive vi, sive dolo, sive abutendo eiusdem aetate puerili, dementia, ebrietate, somno, ignorantia, simplicitate etc. Stupro autem aequivalere potest infamia mulieris iniuste causata, quamvis cum illa (v. g. reluctante) nihil perpetratum fuisset. Cf. Praxis (*n.* 1614 *et sqq.*).

3219. *Ad quid tenetur stuprator?*

I. *Per se* tenetur reparare damna ex stupro obventa. Haec damna esse possunt 1° Expensae occasione prolis, partus etc. si mulier gravida evasisset: 2° Difficultas in qua mulier versetur sibi prospiciendi per matrimonium, propter infamiam, vel etiam propter virginitatis amissionem: 3° Repudium quod accidere potest si, matrimonio celebrato, puella, quae virgo credebatur, corrupta inveniatur. Nihil dico de casu in quo propter stuprum mulier lue venerea infecta remansisset.

II. Si ex stupro damna non obvenissent, vel ex sola imprudentia mulieris (quae rem evulgasset) accidissent, vel mulier ipsa plenam condonationem (etsi forte invitis parentibus) stupratori dedisset; tunc stuprator ad nihil teneretur. Praxis (*ns* 1620).

III. Si ex stupro difficultas inveniendi maritum provenisset, et puella dotem exigeret, tunc stuprator eam dotare (quantum satis et pro suis viribus) deberet; et ab hac obligatione, matrimonium offerendo, non liberaretur, si puella non cum stupratore sed cum alio nuptias inire vellet. Si e contra puella cum stupratore ipso nuptias vellet inire, tunc ille certe ad hoc teneretur, si exigentia huiusmodi rationabilis esset: si nempe ex una parte tali matrimonio ipsa indigeret (ut puta, si publicam infamiam subiisset, aut cum periculo futuri repudii virginitatem amisisset, aut prolem ex stupro conceptam legitimare exoptaret, aut dotem a stupratore mediis destituto obtinere non posset), et ex alia parte stuprator, sine incommodo excessivo et cum spe boni exitus, matrimonium ipsum contrahere posset. Cf. Praxis (*n.* 1621-1624).

§ III.

De damnorum reparatione propter fornicationem.

3220. *An puellae consentientis deflorator ad aliquid ex iustitia teneatur?* Negative per se, nec quoad puellam nec quoad illius parentes, etsi virgo fuisset, vel gravida evasisset, vel sponsalia cum alio celebrasset (Praxis *n.* 1634). Dixi *per se;* per accidens enim ad aliquid teneri posset etiam ex iustitia; nempe 1° Si matrimonium ei promisisset (*l. c. n.* 5120): 2° Si lue venerea proditorie illam infecisset (*l. c.* 1631): 3° Si puellam sic secreto violatam publice infamasset (*l. c.* 1632): 4° Si ad brephotrophium, quod pro solis pauperibus constitutum fuisset,

prolem misisset, et ipse dives foret, nec damna pio loco resarcisset (*l. c.* 1629) Caeterum obligationes habere posset ex aliis virtutibus, v. g., ex charitate erga puellam vel ad vitanda scandala, iurgia etc.; vel ex pietate ad alendam et legitimandam prolem. Si autem puella ex eo gravida alteri nuberet, teneretur etiam curare ne ille prolem non suam alere cogeretur.

§ IV.

De damnorum reparatione propter adulterium.

3221. *Adulteri ad quid tenentur?* Videndum an proles ex eorum adulterio concepta fuerit; quo casu illam alere, et reparare damna, quae marito eiusque filiis legitimis, propter filium sic furtive et iniuste introductum, obvenerint. Hoc tamen intellige, *si fieri possit,* ut puta, si uxor adultera de bonis propriis in favorem mariti et filiorum legitimorum in testamento disponeret.

3222. *Tenebiturne adultera seipsam prodere ut filius adulterinus mariti haereditati non succedat?* Negative ordinarie, quia 1. infamia praevalet damnis in bonis fortunae; 2. filii legitimi non censentur exigere rem adeo duram a propria matre; 3. talis revelatio inutiliter fieret, quia spurius id credere non teneretur, et leges civiles apud nos nullum pondus eidem matris confessioni tribuunt.

3223. *Quid si filius adulterinus familiae valde utilis fuisset, vel si uxor, casu quo ex adulterio non concepisset, alium filium legitimum ex marito habuisset?* Prima ratio excusare videtur; non item secunda; aliud enim est alere filium proprium (quod libenter fit), et aliud alere alienum. Praxis (*n.* 1637).

3224. *Quid si non esset certum utrum proles ex adulterio concepta fuisset?* Leges civiles apud nos statuunt prolem ut legitimam esse habendam, nisi illam esse adulterinam *certissimum* sit (*A.* 162-165).

3225. *Quid si maritus adulterio uxoris, sive expresse sive tacite, consensisset?* Tunc adulter ad nihil teneretur, nisi forte satis constaret, quod sub conditione ut ille prolem aleret, adulterio consensisset. Attamen adulterium a fornicatione distinctum tunc quoque certo certius subsisteret.

3226. *Quid si maritus, v. g., uxorem male tractando, illâ*

non utendo, ad alias divertendo, ei sterilitatem exprobrando etc., ad adulteria ansam praebuisset, et veluti provocasset? Etsi per haec maritus iuri suo non cessisset atque adeo iniuria nihilominus subsisteret; tamen iniuria ipsa valde imminuta evasisset, et proinde uxor non ex toto ad reparationem teneretur, et facilius (nempe minori difficultate) excusaretur.

PUNCTUM II.

De gradu culpae in omissione restitutionis.

3227. *Sub qua culpa restituendum est?* Si damnum fuerit leve, sub levi; si damnum fuerit grave, ordinarie sub gravi.

Dixi *ordinarie*; casu enim quo quis in damno gravi inferendo leviter tantummodo deliquisset, contingere potest quod modo nullam, modo levem, et modo gravem restituendi obligationem habeat.

Leviter in materia gravi quis delinquere potest tribus modis: 1. ex imperfectione actus vel ex levi negligentia: 2. ex errore circa rei valorem: 3. ex errore circa gravitatem damni.

3228. *Quid de inferente damnum grave leviter delinquendo ex imperfectione actus vel ex levi negligentia?*

Casus esset in eo qui sine plena advertentia famae alicuius graviter nocuisset, vel in medico aut pharmacopola qui ex levi negligentia fuisset in causa cur aegrotus moreretur. Tunc autem Theologi communissime dicunt nullam restituendi obligationem superesse in conscientia. Aliud autem esse posset post iudicis sententiam.

3229. *Quid de inferente damnum grave leviter delinquendo ex errore circa rei valorem?*

Casus esset in eo qui gemmam veram pro falsa destruxisset, vel aureum pro obolo furatus fuisset et expendisset. Tunc debebit quidem restituere, sed solum pro valore gemmae falsae vel oboli, atque adeo solum sub levi.

3230. *Quid de inferente damnum grave leviter delinquendo ex errore circa gravitatem damni?* Casus iste contingere potest duobus modis: 1. Si quis abstulisset vel destruxisset rem cogniti valoris, credendo materiam non esse gravem (v. g., reputando illam surripere diviti, et postea reperiendo esse pauperis); et tunc dicerem quod, (quamvis res nec in se nec in aequivalenti existeret) restitutio facienda sit sub gravi. 2. Si quis furtulis aut damnificationibus parvis pervenisset ad mate-

riam gravem, et hoc non actu ultimi furti sed postea advertisset. Tunc etiam dicerem sub gravi esse restituendum. Attamen in utroque casu ad declinandam culpam gravem sufficeret, si ea pars restituatur, qua restituta, materia non amplius gravis remaneret. Dicerem etiam quod, deficiente culpa gravi, nunquam poenam vere gravem subire, atque adeo cum gravi sacrificio restitutionem exequi teneatur; restitutio enim materiae gravis, non semper et non cuilibet incommodum grave importat.

PUNCTUM III.

De modo restitutionem exequendi.

Hic perpendi debet cui, quid, quantum, quando, et quibus mediis restituendum sit.

§ I.

Cui restituendum? *

3231. R. Actuali creditori, nisi forte, iuxta praesumptam illius voluntatem vel tolerantiam, restitutio aliis fieri debeat vel possit.

3232. *Quisnam est actualis creditor, cui restitutio fieri debet?*

I. Non semper est qui laesus fuit, sed saepe est alius, qui in illius iura successit, v. g., haeres, assecurator, et quisquis cum iure refactionis debitum solverit aut solvere cogatur, ut puta, si delicti executor iam satisfecisset; tunc enim mandans non personae laesae, cui iam satisfactum fuit, sed executori, qui satisfecit, restituere deberet.

II. Praeterea actualis creditor non semper est dominus, sed potest esse, v. g., legitimus administrator (quoad bona uxorum, minorum, communitatum etc.), vel locatarius, commodatarius, usufructuarius, pignerator etc.; quisquis scilicet hic et nunc rem ablatam possidendi vel administrandi ius habeat.

3233. *Quandonam restitutio fieri debet aliis, iuxta praesumptam creditoris voluntatem?*

I. In debitis ex delicto (v. g. furto, usura etc.), si creditor sit prorsus incognitus vel utcumque nullatenus inveniri possit; tunc enim restitutio pauperibus vel causis piis fieri debebit.

II. In debitis cuiuslibet generis, si incertum sit quisnam

ex aliquibus *paucis* sit creditor; tunc enim restitutio facienda erit iisdem pro rata, quum praesumendum sit quod creditor, qui solum hoc pacto aliquid habere potest, de hoc sit contentus idque exigat. Idem dic de venditore, qui alicubi in pondere et mensura plurimos cognitos et incognitos defraudaverit; ille enim, solum aliquid in pondere et mensura in posterum adaugendo, restitutionem peragere poterit, atque ita facere debebit, quamvis sic summa restituenda non ex toto adventoribus laesis, sed in parte aliis non laesis cessura sit.

3234. *Quandonam restitutio fieri potest aliis iuxta praesumptam creditoris tolerantiam?* Quando cognitus sit quidem creditor, sed attentis circumstantiis (v. g. exiguitate summae et difficultate restituendi in manibus eius) praesumendum sit illum tolerare ut restitutio fiat pauperibus, inter quos tamen praeferendi forent pauperes personae laesae propinqui, si adessent. Alter casus esset si quis rem iam furto ablatam vel usurpatam a fure vel usurpatore emisset vel ei furatus fuisset; tunc enim ex praesumpta domini tolerantia, sive ad recuperandum pretium, sive ad declinandas molestias, sive ad obviandum aliis incommodis et periculis, rem ipsam ei restituere posset; res enim huiusmodi tamquam deperditae considerari solent, et proinde circa illas haec dominorum tolerantia (remanente semper obligatione in usurpatoribus vel furibus immediatis) facile praesumi potest. Hinc illis qui contra bonorum Ecclesiae usurpatores, de iisdem bonis eorumve fructibus aliquid surripuerint, facile permitti potest ut non Ecclesiae sed usurpatoribus ipsis restituant. Praxis (*n.* 1465).

3235. *Qui plures habet creditores (ob debita sive ex delicto sive ex contractu), nec omnibus solvere valet, quosnam praeferre teneatur, seu quid facere debeat vel possit?*

Videamus imprimis quid debeat.

I. Si cum aliis debitis habeat rem alienam (v. g. furto ablatam, vel commodatam etc.) in individuo existentem et restituendam, *debet* illam domino suo restituere, nec potest illâ uti ad alia debita solvenda, quae ex rebus propriis, non vero alienis, solvere debet. Excipe nisi praesumendum sit quod dominus consentiat, prout contingeret si res illa restituenda esset pauperibus (eo quod dominus inveniri nequiret) et alii creditores miserum debitorem urgerent. Lugo (*XX.* 1. 7).

II. Si bonis cesserit, *debet* se gerere iuxta regulas codicis civilis vel sententiam iudicis, non vero potest pro libitu suo huic vel illi creditori debita solvere.

III. In aliis casibus *debet* satisfacere prius illis qui habent credita privilegiata, si adsint *et petant*. Credita autem privilegiata sunt apud nos propter tributa, propter expensas iudiciales vel funebres, vel ultimae infirmitatis, vel alimentorum quoad ultimos sex menses (A. 1952-63).

IV. Post creditores privilegiatos solvere *debet* creditoribus hypothecariis (servato temporis ordine).

V. *Debet* denique creditores ex rigorosa iustitia (scilicet ex contractu oneroso aut ex delicto) creditoribus ex gratuita promissione aut voto praeferre. Ita docent communiter contra aliquos apud Lugo (*XX*. 140). Certe de hac re nulla omnino esse posset controversia si, ad fraudandos creditores anteriores, promissio sive donationis, sive venditionis pretio vilissimo, facta fuisset; maxime vero si promissarius de hac fraude conscius et complex extitisset.

3236. Videamus nunc quid possit Resp. Exceptis praedictis casibus, absque laesione iustitiae et aequitatis, *potest* facere prout vult, nempe *potest* 1. facere integram solutionem tum illis qui a longo tempore expectant (quamvis pro solutione ipsa non instarent): tum illis qui petunt et instant (quamvis creditores recentes forent): tum illis a quibus emptae fuerunt res adhuc extantes: tum creditoribus privilegiatis (quamvis non peterent): tum denique creditoribus pauperibus et magis indigentibus. *Potest* etiam 2. singulis creditoribus absque ulla consideratione (exceptis semper quinque casibus supra recensitis *n*. 3235) satisfacere pro rata.

Absque laesione autem strictae iustitiae, sed non absque laesione aequitatis, recenti creditori nec pauperi nec instanti integram solutionem facere *potest*. Lhemkuhl (*I. n*. 1025-1027).

§ II.

Quid restituendum?

3237. I. Si res aliena existat in se, tunc illa praecise restitui debet, nisi causa (quae facile intervenire potest) excuset, ut in aequivalenti restitutio fiat. Causae huiusmodi sunt I° si domino perinde sit sive rem sive pretium habeat: 2° si difficultates satis graves (v. g. nimiae expensae quae in expeditione rei exigerentur) hanc permutationem excusent: 3° Si debitor rei dominium (v g. ope accessionis, iuxta dicta n. 3038) acquisivisset.

3238. II. Si non sit casus restituendi rem in se (agitur, v.

g., de damnificatione reparanda, vel de restitutione facienda quidem pro re ablata sed destructa etc.); tunc (si media suppetant) creditori restituendum est aequivalens in pecunia vel in aliis rebus pretio aestimabilibus aeque bene ei deservientibus (cuiusmodi esse possent v. g., munera, labores etc.); et, si restitutio fieri deberet vel posset aliis (iuxta dicta n. 3233), in pecunia pariter (illam, v. g., in eleemosynis vel celebratione missarum etc. expendendo) facienda erit. Nec valeret restitutio in alio genere, quod pretio aestimari non soleat (v. g., auditione missae, rosariis, obsequiis etc.); non valeret (inquam), maxime quia aestimatio aequalitatis fieri non posset, et laxissimis hallucinationibus ianua nimis lata aperiretur.

3239. III. Si autem media non suppeterent, et quis ita pauper esset, ut in pecunia vel alia re pretio aestimabili restituere nequiret, tunc in rigore (huiusmodi paupertate perdurante) ad nihil teneretur.

§ III.

Quantum restituendum?

3240. Iam dixi n. 3123 *et sqq.* quantum, quoad rem, fructus, melioramenta etc. a possessore bonae fidei; n. 3132 *et sqq.* quantum a possessore malae fidei; n. 3136 - 3178 *et sqq.* quantum a damnificatore, restituendum sit; et proinde hic noto solum quod, si forte debitor nequeat statim restituere, poterit quidem differre restitutionem, sed tenebitur reddere creditori interesse, quod patiatur ex hac dilatione si debitum sit ex delicto; non vero si sit ex contractu vel ex re accepta tantummodo. S. Lig. (*n.* 704).

§ IV.

Quibus mediis restituendum?

Si periculum infamiae impediat ne debitor immediate per se ipsum restituat, restitutio ut plurimum fieri potest aliquo ex sequentibus modis.

3241. I. *Per cursum publicum* (vulgo *posta*), ita ut fur sub nomine ficto, sive ope epistolae inscriptae (vulgo *raccomandata*), sive ope schedulae (vulgo *vaglia*, *cartolina vaglia etc.*) summam ad quem pertinet mittat. Si autem summa, v. g., municipio vel loco pio vel societati cuilibet mitti deberet, et de honestate the-

saurarii (it. *cassiere*) dubitaretur; tunc per aliam epistolam eodem nomine ficto subsignatam praemonendus esset syndicus vel praesidens quod tali vel tali die talis vel talis summa ad thesaurarium perventura erit.

3242. II. *Per testamentum*. Dantur casus in quibus moribundus, quin suum delictum prodat, talibus vel talibus personis (quas scit fuisse defraudatas) legata relinquere potest (v. g. colore gratitudinis, consanguinitatis, amicitiae etc.). Si vero id absque infamia fieri nequeat, videndum an haeres vel legatarius fiducialis constitui valeat

3243. III. *Per fictas donationes;* dummodo munera I° muneribus non compensentur; 2° verum lucrum afferant creditori; ita ut vere indemnis reddatur; non enim sufficeret, v. g. si ad superflue bibendum vel comedendum invitaretur, vel si ei dulciaria darentur.

3244. IV. *Per labores indebitos et creditori utiles*. Sic agricolae, collocatione procurando novas vites, iter faciendo cum curru pro domino, ei dealbando sive telas sive alia (quatenus ex speciali et iusto pacto ad haec non teneantur), uno verbo laborando ultra debitum cum vero domini lucro et absque mercede, dominum ipsum sive in toto sive in parte compensare possunt. De famulis scripsit Sporer (*V.* v. 67): « Si absque magna difficultate restituere non possint, praecipiat eis confessarius, ut extraordinariis sedulitatibus, officiis, laboribus, etc., quoad fieri potest, compensare studeant ».

3245. Labores tamen a favoribus (v. g., commendationibus, commodatis exigui momenti etc.) sedulo distingui debent. Labori merces ex iustitia debetur; non item simplici favori, pro quo aliquid ex gratitudine dumtaxat rependi solet. Favores itaque nullum ius creant; et proinde pro restitutione haberi nequeunt. Si tamen ageretur de magno favore, pro quo obtinendo creditor debitum vel debiti partem remisisset; et si insuper favorem praestans non habuerit intentionem praestandi illum gratis; tunc ex illa praesumpta creditoris remissione praestitus favor iudicio viri prudentis pro restitutione sive totali sive partiali computari poterit. Sed in hoc habenae, uti patet, laxari nequeunt.

3246. V. *Per solutionem factam creditori creditoris*; sic nempe extinguendo sui creditoris debitum.

3247. VI. *Per eleemosynas sive pauperibus sive sacerdotibus Missas celebraturis datas*. Id tamen valet solum pro casibus, in quibus aut impossibile sit restituere in manibus creditoris,

aut praesumi debeat quod ipse de hoc restituendi modo contentus sit; ut supra (*n.* 3233 - 3234) explicavi. Caveat tamen confessarius ne huiusmodi eleemosynas pro se petat.

3248. VII. *Per tertiam personam.* Oportet tamen ut haec plenâ fiduciâ digna sit. Hinc moribundi non semper probari possunt, si verbaliter haeredibus restitutiones exequendas committant. Sufficeret tamen si confessario illam committerent, dummodo contra ipsum suspectus non habeantur.

QUAESTIO INCIDENS.

Quid si, restitutione executa meliori modo possibili, detegatur creditor, qui de facto nihil receperit?

3249. R. Si restitutio facta fuerit pauperibus, eo quod omnino praesumi debuerit dominum sic esse contentum et de caetero iuri suo renuntiasse, iuxta dicta (*l. c.*) tunc, etsi postea dominus compareat, nihil ei restitui debet. Lugo (*XX.* 99) scripsit: « Si « debitor in iis circumstantiis iuxta praesumptam creditoris vo« luntatem distribuisset pauperibus ea bona, ad nihil amplius « teneretur, etiam comparente domino, quia ex ipsius voluntate « expensa omnia essent ». Neque profecto aliud rationabiliter ille exigere poterat.

3250. Si autem restitutio ad dominum ipsum directa fuerit, sed ad illum non pervenerit; tunc non video qua ratione fur a nova restitutione, per se loquendo, excusari possit. Fur, v. g., restituere debebat Caio, sed ex errore restituit Sempronio: vel, dum pecuniam ad creditorem portabat, a latronibus expilatus fuit; vel, dum misit eam sive per ministrum suum sive per confessarium, hi, sive ex infortunio sive ex malitia, pecuniam ad creditorem non detulerunt etc.; in his, inquam, casibus mihi videtur quod nova restitutio fieri debeat. Ratio est quia fur tenetur mittere ad dominum rem suam, periculo non domini sed proprio; neque facile credendum est quod dominus huic iuri suo in gratiam furis renuntiare velit. Ita sentiunt passim. Cf. Lugo (*XXI.* v), Lessium (*XVI.* 62), S. Lig. (*n.* 705) etc.

3251. Attamen alii docent, furem a nova restitutione omnino excusari. De hac sententia S. Lig. (*l. c.*) dicit, se non audere illam damnare; et certe probari debet si fur non multa media habeat et dominus sit dives, nec de magna summa agatur; tunc enim praesumendum quod dominus intuitu sacrificii iam facti, facilius indulgentiam adhibeat et remissionem concedat.

PUNCTUM IV.

De causis a restitutione excusantibus.

3252. *Qnaenam causae a restitutione excusare possunt?* Causae magis frequentes sunt 1. impotentia: 2. remissio creditoris. Interdum autem excusare possunt aliae causae. Hinc veniunt 3. nocumentum creditoris aut aliorum; 4. crediti extinctio aut creditum subortum: 5. compositio pontificia: 6. praescriptio: 7. rei debitae interitus: 8. debiti incertitudo: 9. defectus culpae theologicae. Haec sunt explicanda.

PRIMA CAUSA

Impotentia.

3253. *Quaenam impotentia a restitutione excusat?* Non solum impotentia absoluta sed etiam impotentia moralis, seu difficultas plus vel minus gravis, iuxta circumstantias; aliud enim est si de re levi et aliud si de re gravi vel gravissima agatur; item aliud si creditor graviter vel gravissime, et aliud si leviter re sua vel sibi debita indigeat: item aliud si de restitutione in perpetuum et totaliter omittenda, et aliud si de illa solum procrastinanda aut solum pedetentim exequenda, aut solum in parte omittenda, agatur: denique aliud si res adhuc in se existat, et aliud si alienata vel destructa fuerit.

Generatim notandum quod magna differentia fieri debet inter ablationem rei alienae, ad quam fere solum in extrema necessitate deveniri potest; et omissionem vel procrastinationem restitutionis, quae ex causis minoribus licet. Praxis (*n.* 1319).

Notandum 2° quod necessitas omittendi restitutionem debet esse *ineluctabilis;* debitores enim pro viribus curare tenentur ut debitis suis satisfacere possint. Debent itaque 1° nihil insumere in luxu, crapula, ludo aliisve vitiis: 2° laborare, saltem per quantum decentia proprii status laborem vel industriam permittat: 3° in ipso victu et vestitu, imo et in ipsis eleemosynis, parsimoniam adhibere.

3254. *Quinam sunt particulares impotentiae moralis casus, in quibus legitima excusatio constitui potest?* Sunt 1° Gravis necessitas corporalis; 2° gravis infamia: 3° gravis necessitas spiritualis: 4° si quis a proprio statu decidere cogeretur: 5° grave damnum in bonis propriis.

3255. *Quid de primo casu:* ***Gravis necessitas corporalis?***

I. Exemplum habes in magna miseria, aut si debitor (restituendo) periculo magnae famis aut morbi, aut nuditatis (haec omnia intellige quoad se ipsum vel familiam), aut carceris, aut percussionum etc. exponeretur; vel instrumenta propriae artis vendere cogeretur.

II. Necessitas ista excusat solum quamdiu durat; et subinde, ea quoque durante, relinquere potest obligationem restituendi paullatim.

III. Haec ipsa necessitas potest excusare a restitutione, quamvis res ablata adhuc existeret in se; ita scilicet ut consumi vel alienari possit, remanente obligatione restituendi pretium, si id in posterum possibile erit. Praxis (*n.* 1325).

IV. Videndum semper ne forte creditor in aequali vel maiori necessitate versetur.

3256. *Quid de secundo casu;* ***Gravis infamia?***

I. Haec causa practice raro subsistit, quia ut plurimum restitutio occulte (v. g. ope confessarii) peragi valet.

II. Aliquando tamen subsistere potest (exemplum habes in uxore adultera etc.); et, quatenus vere subsistat, certe excusat, quia fama est bonum superioris ordinis.

III. Attamen non excusaret si infamia esset levis, ut puta, 1. si sufficeret rem revelare uni personae prudenti et tali cui revelatio sine magna repugnantia fieri possit: 2. si debitor in illo genere iam esset diffamatus, etsi de illo casu particulari notitia non adesset (*l. c.* 1326).

3257. *Quid de tertio casu;* ***Gravis necessitas spiritualis?*** Exemplum habes si quis (restituendo) uxorem aut filias in prostitutionis, vel seipsum in desperationis aut suicidii periculum coniiceret, vel filios latrociniis exponeret etc (*l. c.* 1327).

3258. *Quid de quarto casu:* ***Si debitor a proprio statu decidere cogeretur?*** Hic casus ad restitutiones ingentissimas (uti patet) refertur. Tunc autem sic distinguendum:

I. Si status ille fuisset iniuste acquisitus, v. g., usuris, latrociniis, usurpationibus etc.; tunc certe restituere deberet; restituendo enim, in rebus suis vel legitime acquisitis nullum detrimentum pateretur. Excipe nisi infamiâ (eo quod, v. g., latrocinia fuissent occulta), aut aliis gravissimis malis, excusaretur.

II. Si autem proprius status fuisset legitime acquisitus, tunc quoque, non obstante aliqua (et facile etiam notabili) eiusdem imminutione (v. g., numerum servorum imminuendo, parsimo-

nias adhibendo etc.) restituere deberet, saltim paullatim. Si vero, ad restitutionem totalem exequendam, cogeretur prorsus decidere a proprio statu (ut puta, si nobilis magnam partem suorum bonorum vendere atque ab usu currus abstinere etc.; vel si civis primarius artem mechanicam exercere cogeretur); tunc ad hoc non teneretur. Sed excipe, si creditores valde indigerent, aut ex non recepta restitutione in aequali vel simili angustia versari cogerentur. S. Lig. (*n.* 698).

3259 *Quid de quinto casu: scilicet quomodo quis excusetur* ***ex gravi damno in bonis propriis?*** Hic casus ad restitutiones ordinarias (nempe summarum non adeo ingentium) refertur. Sic autem dicendum:

I. Grave damnum in bonis propriis contingere posset, v. g., si quis, ad restituendum totum et statim in manibus creditoris, magnas expensas sustinere pro expeditione, aut vendere pro 60 quod valet 100, aut obiecto suo valde lucroso se privare cogeretur etc.

II. Hoc damnum potest esse sufficiens ut (sive quia praesumatur consensus creditoris, sive quia dissensus esset irrationabilis) creditor possit vel 1° differre restitutionem: vel 2° restituere paullatim: vel etiam 3° restituere pauperibus; quod tamen ultimum (ex praesumpta creditoris voluntate) vix unquam licebit (in re momentosa), si duo priora possibilia sint.

III. Ad determinandum autem an damnum sit satis grave, ut praedicta liceant revera, considerandae erunt circumstantiae; aliud enim est si creditor sit pauper aut re sua statim et valde indigeat; aliud vero si sit dives etc.; et in hoc secundo casu aliud est si debitor sit ipse quoque dives: aliud vero si sit pauper vel humilis conditionis etc Cf. *Praxis* (*n.* 1333).

SECUNDA CAUSA

Remissio creditoris.

3260. *Quotuplex esse potest remissio creditoris?* Expressa et praesumpta.

3261. *Quid de expressa?* I° Haec contingit quando creditor, rogatus v. g., a confessario ut furi (tacito eius nomine) debitum remittat, annuit.

II. Ut remissio expressa ita liberet debitorem, ut etiam in futurum (si forte ad meliorem fortunam deventurus sit) quavis obligatione exemptus remaneat, oportet 1° ut absque mendaciis

obtenta fuerit; 2° ut nulla coactio locum habuerit; unde exhibitio partis sub conditione quod creditor remittat totum, quod si non remitteret, pars ei non daretur: haec, inquam, exhibitio furem non liberaret; 3° ut remissio fuerit absoluta; si enim creditor hanc vel illam conditionem apponat, tunc (uti patet) debitor plene liber non remanet. Non tamen oportet ut confessarius ponat creditorem (ut ita dicam) in tentationem hanc vel illam conditionem adiiciendi, dicendo, v. g.: — Remittisne debitum ita plene et absolute, ut, quamvis debitor ad pinguem fortunam devenerit, nihil tibi debeat? — Sic porro tentare creditorem non est necessarium. Sufficit quod non decipiatur; et si ille minime deceptus absolute remittat, id satis est.

III. Si furtum vel delictum damnosum perpetratum fuisset a pluribus, et dominus remissionem dedisset principali: tunc (ut alibi notavi) secundarii liberi remanerent (sed non viceversa). Excipe nisi de domini intentione aliter constaret.

3262. *Quid de remissione praesumpta?* I. Haec locum habet quando iure existimari debet quod creditor, si de remissione totali vel partiali, absoluta vel conditionata, rogaretur, illam concessurus esset. Hanc remissionem sufficere docent theologi passim. In hac remissione praesumenda confessarii non equidem nimis faciles esse debent; sed neque nimis difficiles; ut enim recte notavit Lessius (*XVI.* 35), « facilius remittimus non habita, quam « ea quae iam habemus in potestate ». Idque verum est speciatim, si res ablata iam amplius in se non extet, et maxime si agatur de facto antiquo.

3263. *Quinam sunt casus practici, in quibus remissio totalis et absoluta facilè praesumi potest?*

I. Quoad *filios-familias,* qui in domo paterna aliquid, speciatim non ingentis valoris, surripuerint et consumpserint. Secus si res ablata sive in se sive in aequivalenti adhuc conservarent. Idem dic proportionaliter quoad *uxores, fratres, nepotes et consobrinos.* S. Lig. (*Prax.* 42) dicit, illos raro teneri sub gravi ad restitutionem. In praxi considerandae sunt circumstantiae. Nepos, v. g., commisit furtum *magnum* contra patruum. Si hic filios haberet et tenue patrimonium, tunc de eius condonatione non esset praesumendum. Secus si de furto suspicionem concepisset, et nihilominus nepoti condonationis signum (v. g. legatum ei relinquendo) dedisset

II. Si agatur de furtis *famulorum* quoad esculenta et poculenta, non iam aliis vendita sed ex gulositate consumpta. Secus in furto pecuniae aut aliarum rerum: nisi herus famulum de

furto convictum increpasset vel expulisset, et de restitutione nihil dixisset.

III. Si res sit de furtis non ingentibus commissis ab iis (v. g., agricolis), qui nihil habent in bonis proprioque labore dumtaxat victitant; dummodo hic et nunc partem restituant; et (quod magis interest) firmam non amplius furandi voluntatem habeant. Ex Missionariorum enim praxi constat, quod domini, de absoluta condonatione quoad reliquum in his circumstantiis rogati, ordinarie consentiunt. Praxis (*n.* 1344).

IV. Si agatur de furtis minutis a pauperibus contra diversos commissis (*l. c. n.* 1345).

V. Si dominus subventionibus adiutus nullum ex furto vel incendio etc. damnum subiisset; maxime vero si illud pro ipso quasi fortuna fuisset.

VI. Idem dic si res ablata aliquo physico casu apud ipsum peritura fuisset; multo magis si ipse sponte de ea salvanda non curaturus, vel utcumque sponte eam perire permissurus fuisset.

VII. Si fur magnis beneficiis dominum affecisset, aut restitutionis oblitus ei tantum donasset quantum pro furto restituere tenebatur.

VIII. Si agatur de rebus iniuste quidem receptis, sed ex domini consensu, prout accidit in rebus venditis pretio excessivo, in usuris etc., dummodo quaedam superaddantur adiuncta v. g., 1° si emptor fuisset mercator et in iis contractibus peritus; si usura non extitisset enormis, illamque solvens fuisset dives vel ex pecunia recepta multum lucratus fuisset; 2° si res esset de facto antiquo, saltem si insuper debitor principalis iam mortuus fuisset et sic debitum ad haeredes transiisset; maxime si isti de defuncti iniustitia non forent omnino certi et intentionem haberent satisfaciendi ope eleemosynarum, si forte ad aliquid tenerentur etc.

3264. *Quoad hanc creditoris remissionem, estne aliquid aliud notandum?* Notanda sunt sequentia:

I. Si remissio praesumpta certe subsisteret pro toto et absolute; et a fortiori si debitor ex impotentia absoluta perpetuo duratura (ut puta, si iam esset religiosus professus) numquam ad restitutionem teneri posset; tunc remissionis expressae nulla necessitas adesset.

II. Si de remissione non adsit certitudo moralis, sed dubium: et si simul facile remissio expressa peti queat; haec peti debet; non enim debitori (aliis titulis non excusato) licet se exponere gravi iniustitiae periculo, quando facile dubium solvere et ve-

ritatem cognoscere potest. Si tamen remissio non facile peti posset tunc sufficeret si pro ea bona probabilitas militaret, Praxis (*n.* 1352).

III. Si agatur de restitutione non prorsus omittenda, sed dumtaxat differenda; tunc consensus creditoris ordinarie facilius praesumi potest.

TERTIA CAUSA

Nocumentum creditoris aut tertiae personae.

3265. Ex hoc capite exurgere potest ratio in quibusdam rarissimis casibus differendi (non vero prorsus omittendi) restitutionem; ut puta, si restitutio creditori nunc allatura esset incommodum vel periculum (eo quod v. g., versaretur in periculo incidendi in latrones); maxime vero si ad se vel alium occidendum re restituta usurus fuisset.

QUARTA CAUSA

Debiti extinctio vel creditum subortum.

3266. Debitum extinguitur si dominus, furto cognito, se compensaverit.

3267. Creditum suboriretur 1° si fur damno iniusto pro valore aequivalenti aut maiori a rei domino affectus fuisset; 2° si fur creditum, quod forte alius contra dominum ipsum haberet, acquireret, illudque non repeteret. Praxis (*n.* 1355).

QUINTA CAUSA

Compositio vel condonatio pontificia.

3268. Quando res ablatae vel quomolibet aliis debitae dominis suis restitui nequeunt, et proinde in usus pios erogari debent, tunc locum habere potest *compositia pontificio*, qua Pontifex sua suprema auctoritate, ad praeveniendum periculum ne debitor, ex difficultate restitutionem exequendi, muneri suo deficiat et per totam vitam in peccato mortali maneat, ad modum gratiae ita rem componit, ut unam partem debiti in pias causas impendat, aliam condonando ipsi debitori, et supplendo de thesauro Ecclesiae utilitatem quae domino obvenisset, si totum

debitum in eleemosynis erogatum fuisset. Ad hanc compositionem obtinendam, ad sacram Poenitentiariam recurritur. Oportet tamen ut furta sub confidentia huius gratiae commissa non fuerint. Vide Lugo (*XXI. Sec. VII.*) et Bullam *Pastor Bonus* Benedicti XIV.

3269. *Condonatio pontificia* autem adhiberi solet quoad iniustitias, quae bona fide intervenerint in iuribus a legibus ecclesiasticis derivantibus, v. g., quoad distributiones chorales indebite perceptas, aut munera in sacra visitatione recepta etc.

SEXTA CAUSA

Praescriptio.

3270. Quid sit praescriptio, et quibus sub conditionibus quis vi illius dominium rei alienae acquirere aut ab obligatione liberari possit, iam vidimus supra (*n.* 3019-3037).

Vi praescriptionis ab onere restitutionis liberari possunt possessores bonae fidei, sed non fures eorumque complices, ut patet ox dictis (*n.* 3022-3024). Attamen si fur a mala ad bonam fidem transiisset, vide *Praxim* (*n.* 1406).

SEPTIMA CAUSA

Rei debitae interitus.

I. Possessor bonae fidei, re destructa, excusatur a restitutione nisi factus fuerit ditior, iuxta dicta (*n.* 3124).

II. E contra possessor malae fidei restituere deberet, quamvis ditior minime evasisset: excepto solo casu in quo ex una parte res ipsa tunc adhuc sub dominio domini sui existeret, et ex alia periisset apud furem eodem tempore quo apud dominum ipsum peritura fuisset, iuxta dicta (*n.* 3137).

OCTAVA CAUSA

Debiti incertitudo.

3271. Iam dixi (*n.* 3145) quod si quis incaeperit possidere rem bona fide, subeunte postea dubio, nihil tenetur restituere, dummodo de inquisitionibus faciendis sollicitus fuerit Sed quid si

inquisitiones neglectae fuissent? Cf. *n*. 3146. Quid si res accepta fuisset dubia fide, sive sine spolio sive cum spolio? Cf. *n*. 3147 3159. Quid denique in dubio an debitum solveris vel contraxeris? Cf. *n*. 3160-3161.

NONA CAUSA

Defectus culpae theologicae.

3272. Causam istam satis explicavi supra *n*. 3171-3175.

CONCLUSIO

Hucusque actum est de iustitia in genere eiusque violatione et reparatione. Nunc veniendum est ad secundam sectionem tractatus *De Iustitia et iure,* in quo de contractibus agendum erit. Sed de re ista in volumine sequenti.

APPENDIX

Ad declaranda ea, quae in primo volumine (n. 37 et 45) dicta fuerunt circa circumstantias aggravantes et peccata dubia.

CASUS.

Quidam agricola surripuit domino suo mensuram tritici, et postea (quum in eius domo versaretur), propitia oblata opportunitate, decem mille scutata ei abstulit. Praeterea unico ictu duos homines occidit, et cum sorore atque etiam matre sua incestum commisit. Denique pluribus vicibus desideria turpia habuit et se polluit, sed ita ut deinceps dubitaverit an cum plena advertentia in his processerit. Quum autem audierit circumstantias aggravantes et peccata dubia confitendi nullam adesse obligationem, in confessione dixit tantummodo: *Duo furta gravia contra dominum meum, et duos incestus cum mulieribus stricta consanguinitate mihi coniunctis commisi, et semel occidi.* Confessarius nullam ei fecit interrogationem, et sic poenitens, nulla alia declaratione facta, absolutionem recepit.

Quaeritur 1. An poenitens in casu recte sentiat, circumstantias praedictas non esse necessario accusandas, quia sunt mere aggravantes?

Quaeritur 2. An recte sentiat, non habere obligationem accusandi desideria et pollutiones praedictas, quia sunt peccata dubia?

RESPONSIO

AD PRIMUM QUAESITUM.

Certe in praedictis duobus furtis de circumstantia mere aggravanti agitur. Iuxta sententiam hodie communiorem cum S. Lig. (*VI. 470*), idem dicendum est de incestu cum sorore. Imo idem dicunt plures de incestu cum matre. Croix (*De Poen. 1074*) scribit: « Filliuccius aliique multi cum Diana docent incestum in uno non differre « specie ab incestu in alio quocumque gradu, v. g., incestum cum matre sua non differre specie ab incestu « cum nepte ». Quoad occisionem autem duorum hominum unico ictu peractam, non pauci Theologi magni nominis (quos citat S. Lig. V. 45) docent peccatum esse unicum, et circumstantiam mere aggravantem tunc quoque intervenire. Cf. Lugo (*De Poen. XVI. 126. 138*) et Suarez (*De Poen. XXII. V. vers. fin.*)

Sed nunquid ideo huiusmodi circumstantiae non erunt accusandae? Sententia quae dicit esse accusandas, est mihi certa, et a quolibet tamquam valde fundata, sana et practicabilis (talis scilicet ut tuto doceri possit), meo sensu, haberi debet.

Quod sit valde fundata, patet quia circumstantiae admodum aggravantes, quae scilicet ordinarium peccandi modum valde excedunt, atque extraordinariam impressionem faciunt, seu (ut vulgo dicitur) oculos valde percellunt, ex una parte non sunt tales ut obligatio illas accusandi nimiis conscientiae anxietatibus aditum aperiat, et proinde confessionem nimis onerosam et moraliter impossibilem reddat (quin imo poenitentes nunquam quieti remanerent si illas non exponerent); et ex alia parte earundem accusatio non minus (et saepe multo magis) quam accusatio circumstantiarum mutantium speciem necessaria est ad rectitudinem iudicii. Equidem non est credendum quod Christus Dominus de particularitatibus istis verba fecerit; sed, quum constet ad modum iudicii Sacramentum istud instituisse, ex hoc deducitur voluisse quoque ut ea omnia

exponerentur, quae ad eiusdem rectitudinem (quantum moraliter fieri possit) exiguntur. Cf. Praxis (*n. 4513*).

Quod autem sententia ipsa sit sana et tuto doceri possit, patet 1° quia illam docent Theologi primi subsellii, v. g. Suarez, Sanchez, et S. Carolus Borromaeus qui ait: « Confessarius debet esse instructus, quaenam sint cir- « cumstantiae peccati mutantes speciem, quaenam notabi- « liter aggravantes: quia tam istae quam illae circum- « stantiae *necessario* explicandae sunt in confessione ».

Patet 2° quia illam docet Catechismus Romanus, cuius auctoritas aliis est praeferenda, ut ait Bened. XIV (*Inst. 84 n. 13*); a Summo Pontifice enim Clemente XIII datus fuit pro regula (et quidem obligatoria), iuxta quam Parochi et Catechistae populum instruere debent (Vide Bullam laudati Pontificis Catechismo ipsi praemissam). En verba Catechismi: « Neque solum peccata gravia nar- « rando explicare oportet, verum etiam illa quae unum- « quodque peccatum circumstant, et pravitatem valde « augent vel minuunt »: et adducit exemplum furti, inquiens: « Si quis aureum nummum furetur, levius omnino « peccat, quam qui centum vel ducentum, vel ingentem « aliquam auri vim... abstulit ». Neque obiicias, hoc non cohaerere cum Tridentino, quod loquitur solum de circumstantiis speciem mutantibus, ut enim dicit Clemens XIII (*l. c.*), mens fuit Concilii agere tantummodo de erroribus contra fidem, alias vero doctrinas in Catechismo contineri.

Patet 3° a Catechismis dioecesanis innumeris. Exempli gratia cito aliquos.

D. *Che cosa dobbiamo ancora ricercare nell'esame di coscienza?*

R. *Nell' esame di coscienza dobbiamo ricercare anche il numero dei peccati mortali, e le circostanze che mutano la specie o che notabilmente aggravano il peccato.* Ita in Catechismo Dioecesis Tridentinae: et notandum quod idem docetur in omnibus Austriae Dioecesibus.

D. *Est-on obligè de confesser le nombre et les circonstances de ses pèchés?*

R. *Oui, on est obligè de confesser le nombre de*

ses péchés, outant qu' on peut en souvenir, ainsi que les circonstances qui en changent l' espèce, ou en augmentent considérablement la malice. Ita in Catechismo *de Paris, de Langres, de Metz,* et plurium aliarum Dioecesum in Gallia.

D. *Qu' entendez-vous par confesser ses pechès en y ajoutant les circonstances?*

R. *C' est declarer de quelle maniere on les a commis, en exposant tout ce change l' espece, les aggrave ou les diminue notablement.* Ita in Catechismis *de Malines, et de Liege* etc., qui soli in toto Belgio usuveniunt.

D. *Quand' è che i peccati si confessano tutti?*

R. *Si confessano tutti quando si accusano 1. tutte le specie dei peccati commessi: 2. il numero delle volte che abbiamo peccato in ciascuna specie: 3. le circostanze che mutano la specie del peccato o che lo aggravano notabilmente nella medesima specie.* Ita in Catechismo Mediolanensi, et plurium aliarum Italiae Dioecesum, v. g. Taurini, Mediolani, Patavii, Casalis, Placentiae, Capuae, Arcirealis etc. etc.

In praxi autem, ut ait Suarez, conscientia ipsa poenitentis dictabit quando, propter valde extraordinarium peccandi modum, circumstantia sit accusanda, quatenus secus ille (etsi non scrupulosus) quietus non remaneret.

RESPONSIO

AD SECUNDUM QUAESITUM.

Hoc postulat *an recte sentiat qui dicit non adesse obligationem accusandi desideria turpia et pollutiones, de quibus dubitat an cum plena advertentia in his processerit, quia sunt peccata dubia?*

Existimo quod desideria et pollutiones huiusmodi sint accusanda. Equidem hodie plures Theologi opinantur de peccatis dubiis accusandis regulariter non adesse obligationem, bene vero consilium tantummodo; sed ego (re ista diu et funditus considerata) theologis istis subscribere nequeo,

et adhaereo doctrinae oppositae (quae regulariter veram recognoscit obligationem accusandi peccata mortalia dubia). Absit quod praetendam ut omnes opinionem meam sequantur. Qui de illa non sint persuasi, aliam (quam probabilem et practice tutam prudenter existiment) semper sequi poterunt. Intendo itaque solum opinionem meam (sicut ab aliis Auctoribus passim fieri solet) conscientiose et iuxta meam intimam persuasionem declarare, atque Professoribus rationes (ab iisdem perpendendas) exponere, quae *me* convincunt quod doctrina recognoscens obligationem accusandi ordinarie peccata dubia, sin minus sit certe et unice vera, saltem est sana, respectu digna, et talis quae tuto doceri potest. Argumenta sunt sequentia. 1° Fundatur validissime in rationibus theologicis: 2° traditur a theologis innumeris: 3° adhibetur in plurimis catechismis dioecesanis: 4° traditur passim in instructionibus ad populum. 5° cohaeret praxi et sensui generali Christifidelium: 6° fundatur in traditione antiquissima cuius non reperitur initium. 7° confirmatur ex duobus, decretis S. U. Inquisitionis: 8° item ex obligatione accusandi numerum dubium: 9° item ex inanitate obiectionum: 10° denique ex Catechismo Romano.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Doctrina, quae (de regula) statuit obligationem accusandi peccata dubia, fundatur validissime in sequentibus rationibus theologicis.

Nos indigemus remissione peccatorum non solum si certa, sed etiam si dubia sint. Aliis verbis: Qui est dubius peccati commissi necesse habet implorare a Deo veniam; si enim illud revera commisisset, nec veniam obtinuisset, damnaretur. Idque verum est generaliter, nempe sive peccatum dubie commissum, sive dubie mortale, sive dubie confessum fuisset: et pariter sive dubium negativum sive positivum foret. Curiosum est quod dicit Caramuel; quod scilicet qui dubitat potest stare pro sua innocentia, sicut

in foro externo pro innocente habetur qui certe reus non comprobatur. Hoc sine dubio est paradoxum maximum; nec principia probabilistica haeic quidquam valere possunt; si enim peccatum revera commissum fuisset, nunquid principia probabilistica illud destruerent, atque reum constituerent innocentem, aut periculum damnationis eliminarent? Minime certe; manifestum est enim quod illa supplere quidem poterunt (iuxta Probabilistas) sufficientem certitudinem in dubiis iuris, ope principii reflexi (*lex dubia non obligat*); sed nec factum destruere, nec medium ad illud destruendum omnino necessarium supplere possunt. Sola venia, quae a Deo obtineatur, periculum eliminare valet.

Sed quomodo obtinetur venia peccatorum? Doctrina catholica est quod, si agatur de peccatis quae nos a Dei gratia excludunt (scilicet mortalibus), Christus Dominus statuit necessariam esse confessionem, qua peccata ipsa Sacerdoti, tamquam iudici et vicario suo exponantur (*Cf. Trid.*m *XIV. Cap. V*). Aliis verbis: In antiquo testamento satis erat contritio, sed in novo exigitur confessio: unde scripsit S. Ambrosius: « Non potest quis iustifi-« cari a peccatis, nisi confessus fuerit peccata ». Et Suarez subiunxit: « Quod est de necessitate contritionis, est etiam de necessitate confessionis » (*De Poenit. XXII. IX*). Fatendum quod lex ista suas habet exceptiones; quamvis enim credi possit quod D. N. I. C. de exceptionibus locutus non fuerit et multo minus illas determinaverit; tamen ex praesumpta illius intentione deduci debent. Exceptiones istae sunt pro casibus impotentiae sive physicae sive moralis, ad quam ignorantia quoque et oblivio pertinet; et tunc (ut notissimum est) vel formalis tantummodo confessionis integritas, vel contritio perfecta sufficit. Ut tamen contritio sufficiat, exigitur ut cum confessionis voto (sive explicito sive saltem implicito) coniungatur, dicente Tridentino: « Reconciliationem ipsi contritioni sine Sa-« cramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscri-« bendam ».

Sed nunquid inter exceptiones poni debent etiam peccata

dubia? Quoad scrupulosos (quorum dubia solent esse inania, et quibus eorundem confessionis obligatio perniciosissima foret) affirmandum; sed quoad alios, meo sensu, negandum prorsus, ob sequentes rationes: 1. Peccata dubia indigent remissione sicut alia, et accusari possunt sicut alia: 2. Ut plurimum etiam remedio indigent; et profecto non solum morbi certi, sed etiam morbi dubii (si sint graves) medico exponi debent: 3. Peccata mortalia pluribus vicibus sunt dubia, idque non solum in personis rudibus (quae ut plurimum nesciunt distinguere quaenam peccata sint mortalia et quaenam venialia), sed etiam in personis instructis. Enimvero multa peccata (non exceptis gravissimis) committuntur in aestu passionis, quae semper obnubilat, et aliquando ita excaecat ut malitia non advertatur. Scripsit S. Lig. (*V. 3*). « Potest autem intellectus rapi a delectabilitate obiecti « oblati, ut nihil malitiae moralis in illo advertat ». Habitus etiam efficere potest ut haec eadem ad malitiam advertentia deficiat. Nec semper adest reatus in causa, dicente Ballerinio (*Op. th. VI. II. 25*): « In praxi vix reperies « homines ad hoc advertere ». Adde non sufficere advertentiam ad malitiam, sed exigi (ad peccatum mortale constituendum) ut gravitas quoque malitiae ipsius apprehendatur (qua de re vide Lehmkuhl *I. 235*). Adde insuper necessitatem ut haec advertentia sit plena, plenusque item sit consensus. Inter ea autem, quae non raro advertentiam plenam impediunt, idem Lehmkuhl (*l. c. 236*) recenset passionem vehementem, sub cuius influxu quis deliquerit. Quae cum ita sint, quis non videt quod ex hoc capite (quia scilicet forsan plena advertentia non adfuit) non solum multa ex peccatis obviis, sed etiam interdum peccata et delicta gravissima, dubia esse possunt? Insuper alia dubia innumera intervenire solent ex parte memoriae, speciatim quoad illos qui rarius ad confessionem accedunt. 4. Si peccata dubia non essent confitenda, maximum suboriretur periculum hallucinationis; multi scilicet, et quidem in rebus maioris momenti (v. g., in materia iustitiae, luxuriae, munerum proprii status etc.), dubia imaginaria (ad confessionem declinandam) sibi confingerent. Ita profecto re-

ticentiae peccatorum ianua latissima aperiretur; et sic de confessione quasi actum esset. Nunquid talis esse potuit intentio Christi? 5. Si peccata dubia accusandi obligatio non adesset, sequeretur quod illi omnes qui habent sola venialia simul cum mortalibus dubiis, nunquam tenerentur confiteri nec in vita nec in morte; sed licite omnino sola contritione sibi prospicere possent; 6. Doctrina huiusmodi admitteret sufficientiam contritionis sine voto confessionis (contra Tridentinum, ut supra); ita scilicet ut Christifideles ita se gerentes ne materialiter quidem peccarent.

Hae profecto rationes mihi videntur validissimae, et omnino convincentes ad concludendum quod peccata dubia (in personis non scrupolosis) vere pertinent ad integritatem confessionis, et quod inter exceptiones, quae ab illa excusant, non sunt ponenda.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Haec doctrina traditur a Theologis innumeris.

Speciminis gratia refero sequentes; et noto quod sunt omnes classici, et illorum qui rigoristae dicuntur neminem cito.

S. Thomas (*4 Dist. q. 2. a. 3. ad 3*): « Quando ali« quis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, *tenetur* « id confiteri, dubitatione manente; quia in periculo se « committit qui de hoc quod dubitat esse mortale negligit « confiteri ». Nec dicas mentem S. Thomae esse ut hoc sit verum tantummodo in casu dubii an peccatum sit mortale vel veniale, non autem in aliis duobus casibus peccati dubie commissi aut dubie confessi; ratio enim periculi, quam adducit, ad hos quoque casus (et sive negativum sive positivum sit dubium) extenditur. Haec advertentia prae oculis habeatur etiam quoad Auctores sequentes.

S. Bonaventura (*IV Dist. XXI. q. 2*): « Quando « (quis) dubitat utrum sit mortale, dicendum quod, sicut « dubitat, ita dubitando *debet* confiteri ».

Albertus Magnus (D. XVII. a. 64): « Non tenemur

« ad confessionem venialium...; tamen incipimus *obligari*, « quando non bene certum est quid veniale, quid mortale « a parte nostra (fuerit) ».

De Ales (*4 p. q. 18 m. 4 a. 2.* § *5*): « In casu « tamen contingit quod homo tenetur ea (venialia) confi- « teri; ut quando dubium est de aliquo utrum sit ve- « niale vel mortale: unde nisi poeniteat, sicut de mortali, « committit se discrimini; et ideo *debet* confiteri sicut « habet in conscientia ».

Richardus (*4 d. 16 a. 5 q. 1*): « Per accidens ta- « men *est necessaria* poenitentia (*utique per confessionem* « *de qua ibi loquebatur*) de illis venialibus in hac vita: « scilicet ratione dubii probabilis, quando vehementer « homo dubitat utrum peccatum sit veniale vel mortale ».

S. Antoninus (*De Poen. XIX. de Confess.* § *8*): « Ea « autem de quibus dubitat utrum in ipsis peccaverit mor- « taliter, secundum D. Thomam, *tenetur* confiteri: alias « periculo se committit et *mortaliter peccat*... Et intelli- « gitur de dubio probabili...; secus est de dubio scrupuli ».

Bellarminus (*L. III. De Poen. C. 1.*): « Martinus « Lutherus docet non esse confitenda omnia mortalia, « sed ea tantum quae sunt manifeste mortalia.... Dubitari « solet quid per manifesta peccata, quae sola ad confes- « sionem pertinere voluit, Lutherus intellexerit: non enim « defuerunt qui eum excusare vellent. Aut igitur mani- « festa peccata occultis opposuit, aut dubiis, aut omnino « incognitis ipsi peccatori. De omnino incognitis non po- « test esse locutus, ea siquidem ne Catholici quidem vo- « lunt esse confitenda: de occultis non se esse locutum « testatur ipse in assertione art. VIII; quare id solum « restat ut de dubiis intellexerit, *qui certe non parvus* « *est error* ».

Card. Caietanus (*v. Confessio*): « Integra (debet esse « confessio) quantum ad peccata mortalia alias non con- « fessa, tam certa quam dubia ».

Card. Toletus (*Instruct. Sacerd. L. 3. C. 7. n. 6*): « Qui dubius est de aliquo an sit mortale, *debet* confi- « teri; *alias confessio non est integra* ».

Summa Aurea (*v. Confessio*): « Sit integra (confessio) « quantum ad mortalia certa et dubia ».

Navarrus (*Euchir. C. 9. n. 11*): « Nihil valet illa « (confessio) quae non est integra, eo quod prudens et « sciens omiserit confiteri aliquod peccatum mortale, vel « quod probabiliter ipse dubitabat an esset tale ».

Sylvester (*v. Confessio 2. q. 2*): « Utrum dubitans « de aliquo an sit mortale, teneatur illud confiteri? Et « dicit S. Thomas quod sic: aliter periculo se committit, « *et mortaliter peccat* ».

Adrianus (*in 4° de Sacr. confess. l. p. q. 4 in 3. Confir.*): « Illo casu (dubii an peccata sint venialia vel « mortalia) *tenemur* ea confiteri, non quia venialia, sed « propter discrimen et dubium an sint mortalia ».

Angelus (*v. Confessio 1. n. 34*): « Si probabiliter « dubitat de aliquo an sit peccatum veniale vel mortale... « *tenetur* confiteri...; aliter, si non confitetur, peccat mor- « taliter, quia exponit se periculo ».

Summa Rosella (*v. Confessio 1. n. 12*) idem dicit.

Io. Medina (*C. de Confess. de confitendis venialibus*): « In casu hominem *debere* confiteri venialia (de « quibus dubitat an esse possint mortalia)... ratione con- « scientiae dubiae, ut periculum vitetur ».

Henriquez (*De Poen. L. 5. C. 4. n. 5*): « Si de pec- « cato probabiliter dubitet fuisse mortale, *tenetur* illud « confiteri ita dubie, sicut novit: quia alias exponit se « probabili dimidiandi confessionem periculo: quod tamen « facile et sine damno suo vitare potest ».

Azorius (*I. Inst. L. 11. C. 4. q. 3*): « Quoniam in « dubiis quod tutius est eligere oportet, ne quis se pec- « cati periculo obiiciat..., si quis dubitet praebuerit nec « ne consensum peccato lethali, eo ipso confiteri *debet*, « cum sacram peccatorum confessionem coram Sacerdote « facit ».

Graffis (*L. 1. C. 10. n. 11*): « Tunc *debet* confiteri « illud (peccatum dubium) sicut iacet in conscientia: et « iudicio Sacerdotis relinquat, utrum sit mortale vel ve- « niale: sicut enim dubitat, ita dubitando confiteri debet.

« Debet tamen conteri et poenitentiam sustinere ac si « esset mortale ».

A Victoria (*n. 130*): « Satis est confiteri peccata « certa et dubia: sed non de scrupulis, qui sint veri « scrupuli ».

Panormitanus (*Brev. not. de Poen. n. 28*): « Poeni- « tens *debet* confiteri cum fidelitate, certa pro certis, « dubia pro dubiis referendo ».

Sayrus (*Clav. reg. L. 1. C. 13. n. 4*): « Qui de pec- « cato suo dubitat an sit mortale vel veniale, *tenetur* « ipsum confiteri, propter dubium quod de illo habet; ex « Navarro, Adriano et communi ».

Mastrius (*D. XXI. de Poen. q. 7. a. 3. n. 171*): « De illis peccatis de quibus poenitens dubitat, utrum « mortalia sint, vel utrum sint a se commissa, communis « Doctorum sententia est et in praxi tenenda, poeniten- « tem ad ea sub dubio confitenda *obligari* ».

Ferraris: (*v. Sacr. Poenit. II. n. 128*): « Peccata « mortalia dubia *sunt necessario confitenda*, sub dubio « tamen...; alias poenitens se exponeret periculo peccandi « et errandi contra integritatem confessionis ».

TERTIUM ARGUMENTUM

Haec doctrina a multis catechismis dioecesanis traditur.

Speciminis gratia sequentes cito.

In Italia. Catechismus Mediolani. D. *Quando è intera l'accusa dei peccati?* R. L' accusa dei peccati é intera quando ci accusiamo di tutti i peccati mortali certi ed anche dubbii, tali quali ce li sentiamo nella coscienza dopo un diligente esame.

Venetiarum. D. *Se fossi in dubbio se qualche peccato sia mortale o veniale?* R. Dovreste confessarlo qualunque volta non siate sicuro che sia veniale, ed altrimenti fareste un sacrilegio. — D. *Se fossi in dubbio*

d' aver commesso qualche peccato? R. Dovreste confessarlo come dubbio, altrimenti la confessione sarebbe un sacrilegio, se ciò faceste a posta. — D. *Se fossi in dubbio d' aver confessato o nò un peccato mortale?* R. Dovreste confessarlo così in dubbio, perchè chi è certo di aver commesso un peccato mortale, deve ancora esser certo di averlo confessato.

Taurini. D. *Chi ha fatto un peccato, nè sà se sia mortale o veniale, è obbligato a confessarlo?* R. Signor sì: debbonsi confessare tutti i peccati mortali, i certi come certi, e quelli dei quali si dubita, si debbono confessare come dubbii, e dichiararli al Confessore in quel modo che li conosciamo. — D. *Chi dubita se abbia già confessato un peccato mortale, che sà d' aver commesso, dev'egli confessarlo un'altra volta?* R. Signor sì: deve confessarlo.

Novariae. D. *Che devesi fare riguardo ai peccati, dei quali dubitiamo se siano mortali o veniali?* R. Si devono confessare come dubbii. D. *E se uno dubita di aver fatto un peccato o nò?* R. Dichiari il dubbio come stà.

Florentiae. (In Dioecesi Florentina, et passim in aliis dioecesibus Hetruriae, adhibetur Catechismus ad usum scholarum piarum). D. *Chi dopo un diligente esame, non può trovare il numero preciso, o stà in dubbio di qualche peccato, come deve spiegarsi col confessore?* R. Deve dire al Confessore il peccato dubbio come lo conosce, ed il numero all' incirca.

Casalis. D. *Che vuol dire intiera?* R. Che si debbono dire tutti i peccati commessi, almeno i mortali, o che dubitiamo che siano tali. D. *Che vuol dire sincera?* R. Che bisogna confessare i peccati quali sono senza scusarli, o diminuirli, o accrescerli: e confessare i peccati certi come certi, i dubbii come dubbii.

Arcirealis. Idem dicit ad verbum.

Bononiae. Catechismus Mellinii (ad usum scholarum) explicando quod confessio debet esse integra, dicit: *Intera, palesando tutto ciò di cui rimorda la coscienza.*

Nonne autem conscientia remordet graviter etiam de peccatis mortalibus dubiis?

In dioecesi nostra Faventina. D. *Chi dubita se abbia commesso un peccato mortale, o se sia mortale, o se l' abbia confessato, deve confessare questo dubbio?* R. Deve dire il peccato certo come certo, e il dubbio come dubbio, commesso o confessato, per confessarli tutti come stanno sulla coscienza.

In Gallia. Grenoble. D. *Si l' on doute que l' on a commis un tel péchè, que doit-on faire?* R. Il faut l' accuser comme douteux.

Metz. D. *Comment faut-il dèclarer les pèchès, qu'on n'est pas certain d'avoir commis?* R. Il faut les déclarer comme douteux, et dire, par exemple: je doute si j' ai commis tel péché.

Laugres. D. *Doit-on se confesser des pèchés vènials?* R. Si l' on *était sûr* qu' un peché n' est que véniel, on ne serait pas tenu de s' en confesser.

Lyon. D. *Que faut il faire quand on doute si un pechè est mortel ou veniel?* R. Il faut s' en accuser.

In Belgio. Malines. D. *Doit-on confesser un pèché lorsqu' on doute s' il est mortel?* R. Oui; car en ne confessant pas, on s' expose à omettre un péché mortel, et la prudence exige que dans le doute on prenne le parti le plus sûr. — D. *Quand on doute si l' on a commis un pèché mortel, faut-il parler de ce doute dans la confession?* R. Oui, il faut s' accuser de ce péché mortel, en ajoutant que l' on doute si on l' a commis.

In Hispania. Barcelona. D. *Como se han de confesar los pecados?* R. Con humildad et claridad, los ciertos como ciertos, los dudodos como dudodos, del modo que esten en la conciencia.

In Helvetia. Lousanne. D. *Si l' on doute d' avoir commis un pechè mortel, comment faut-il s' en accuser?* R. Il faut dèclarer ce doute au confesseur.

In America. Costa Rica et Vera Cruz. D. *Que debemos hacer cuando ignoramos si un pecado es venial o mortal?* In tal caso debemos confesarlo.

Haec ipsa doctrina traditur passim in instructionibus ad populum.

Hoc patet I° ex notitiis quas habere potui; quum enim in pluribus catechismis ad doctrinam christianam pueris tradendam destinatis, quaesitum circa peccata dubia non invenerim, de instructione quae populo datur informationes coepi, et mihi responsum fuit, quod quamvis parvus catechismus quaesitum illud praetereat, tamen populus de obligatione edocetur. Sic, v. g., de toto imperio Austriaco quidam fide dignissimus mihi scripsit, tam in Ecclesiis quam in scholis, *universaliter* tradi doctrinam quod peccata dubia accusari debent.

Patet 2° ex libris catechisticis ad usum Concionatorum et Parochorum conscriptis. Cito aliquos.

De Harbe S. I. (*V. III. p. III. C. 6*) « Si versemur « in dubio an peccatum commissum sit mortale vel veniale, « obligationem habemus illud accusandi » (Excipit scrupulosos iudicio Confessarii). * Mihi autem scriptum fuit quod Concilium Nationale Fuldae habitum (an. 1893) decrevit quod in omnibus Germaniae dioecesibus huius Auctoris catechismus adhibendus sit.

Raineri: « Integritas confessionis consistit in de« clarandis distincte omnibus peccatis mortalibus, etiam « dubiis ».

P. Bougeant S. I. (*P. III. pag. 297*): « Quando dubita« mus an id quod fecimus sit vel non sit peccatum mor« tale, tenemur illud confiteri, dummodo dubium sit ratio« nabile, fundatum scilicet in ratione aliqua: si enim esset « scrupulus, non oporteret in illo immorari; sed si du« bium nostrum fundamentum aliquod habeat, nec illud « per nos ipsos resolvere possimus, illud patefacere Con-

* De hoc auctore dicit *la Civiltà Cattolica* (2 Maii 1885): « Ci piace in « questo (catechismo) il rigore teologico, per cui non confonde le opinioni « (anche lodevoli) col domma, e i consigli (anche utili) col precetto ».

« fessario eiusque iudicio subiicere oportet. Illud tacendo « novum peccatum committeremus et confessionem sacri- « legam faceremus ».

P. S. Boriglioni fundator Congregationis doctrinae christianae (*v. II. pag. 360*): D. *Quomodo oportet accusare peccata?*.... « Indicando meliori modo possibili ad « minus peccata, quae sunt aut dubitamus quod sint mor- « talia ».

In libro, cui titulus: *La gioventù istruita secondo il metodo dei Preti della Congregazione della Dottrina Cristiana*, ad quaesitum: *V' è obbligo di confessarsi d' un peccato mortale, del quale dubitiamo se l' abbiamo commesso o nò?* Respondetur: *Sì, vi è obbligo; ma si deve dire il dubbio che abbiamo di averlo commesso o nò.*

Idem dic de libro qui inscribitur: *La Science du Confesseur, ou conferences ecclesiast. sur le Sacrament de Pènitence, par une societè des Prêtres Francais refugès en Allemagne An. 1796-1802.* (Notandum quod haec societas componebatur Sacerdotibus plus quam *sexaginta*, qui *ex diversis Galliae dioecesibus* tunc in Germaniam migraverant). En quod dicitur in hoc libro: « On doit « declarer lès péchés douteux, soit qu' on doute si on a « commis la faute, soit qu' on doute si elle est mortelle, « soit qu'on doute si on l'a déjà confessèe. Il faut dire les « choses comme elles sont. Il n'y a que un moyen de « dècharger sa conscience, puisq'on ne peut pas dire que « la coscience ne reprocherien, quand on doute se l' on « n'a pas offensé Dieu mortellement, ou si l' on a rempli « l'obligation de s' en confesser ».

Explication du catechisme de Rodez: « Le senti- « ment le plus commun est qu' on est obligè de les con- « fesser (les péchés douteux): non toutefois comme cer- « tains, mais comme douteux ».

In Catechismo Germanico (Auctore Wilmers S. I. Ed. 1880): « Si quis dubitat an aliquod, quod est peccatum « grave, fecerit; vel an quod fecit sit peccatum grave: « vel utrum peccatum grave commissum iam confessus

« fuerit; generalis regula tenenda est, talia peccata dubia « confitenda esse ».

QUINTUM ARGUMENTUM.

Haec doctrina confirmatur ex universali Christifidelium sensu.

Ut colligere potui ab epistolis nedum ex Europa sed etiam ex America mihi scriptis, Christifideles nedum solent accusare peccata mortalia dubia, sed in ea sunt persuasione ut omnino illa accusare debeant, secus tranquilli nullatenus remanerent, et de confessione male peracta remorsum haberent. Nec aliter esse potest; si enim a propriis parochis et concionatoribus edocentur, non ex consilio tantummodo (sicut contingit quoad venialia), sed ex obligatione esse accusanda; quomodo obligationem istam non adesse credere poterunt? Quae cum ita sint, nunquam intelligere potui cur quidam Auctores dicant, Christifideles solitos esse quidem accusare peccata dubia, sed solum ad maiorem tranquillitatem animique satisfactionem habendam; non vero quia ad id se obligatos esse existiment.

SEXTUM ARGUMENTUM.

Praxis Christifidelium accusandi peccata dubia cum persuasione obligationis fundatur in traditione antiquissima, cuius initium non reperitur.

Hoc patet ex Theologis antiquissimis, quos supra citavi. Doctrina autem, quae adeo uniformiter et absque haesitatione ulla ab iisdem tradebatur, certe tunc non poterat esse nova; sed in traditione adhuc valde antiquiori fundamentum habere debuit. Lugo (*De Poenit. XVI. 67*) scripsit: « Potissimum fundamentum huius doctrinae de« sumendum est ex usu et praxi totius Ecclesiae, cuius ini-

« tium non agnoscitur; quare credendum est ab ipsis A-
« postolis promanasse, qui vim et *obligationem* inclusam
« in huius Sacramenti institutione melius potuerunt intel-
« ligere ».

SEPTIMUM ARGUMENTUM.

Deductum ab obligatione accusandi numerum dubium

In catechismis dioecesanis passim quaeritur quomodo se gerere debeat poenitens, qui de peccatorum suorum numero exacto non recordatur. Respondetur autem non iam quod sufficiat ut accusetur numerus qua parte est certus; sed quod accusandus est numerus etiam qua parte est dubius. Vide Catechismos *di Schüller* (qui Romae adhibetur), *di Bologna, di Milano, di Lodi, di Piacenza, di Firenze, di Perugia, di Grenoble, di Barcellona, di Malines* etc. etc. Sed peccata quae includuntur in numero dubio, nonne sunt peccata dubia? Insuper si accusari debent peccata dubia quando coniunguntur cum aliis certis eiusdem speciei, nonne a fortiori accusanda erunt quando cum illis non coniunguntur? Maior quippe est obligatio accusandi speciem quam numerum.

OCTAVUM ARGUMENTUM.

Deductum ex duobus decretis S. R. U. Inquisitionis.

Decreta ista iam adduxi in Resolutione casus V. an. 1893 (*pag. 47*), et in *Praxi* (*n. 4498*). Illuc itaque lectores remitto.

NONUM ARGUMENTUM.

Deductum ex inanitate obiectionum.

OBB. I. Si Theologi supra citati (qui fere omnes sunt antiqui et anteriores saeculo XVII) docebant adesse obligationem accusandi peccata dubia, alii innumeri his ulti-

mis tribus saeculis obligationem istam non recognoscunt, et dicunt eorundem confessionem esse quidem sub consilio commendandam, sed non sub obligatione imponendam.

Resp. Hoc falsissime asseritur. Veritas est quod obligatio accusandi peccata dubia (exceptis scrupulosis) ab omnibus prorsus Theologis tam antiquis quam recentioribus recognoscitur; et unica differentia est quod, dum antiqui illam recognoscebant absolute, recentiores communius distinctiones (alii uno alii alio modo) faciunt, atque adeo in quibusdam casibus illam recognoscunt et in aliis non.

Ut clarius haec intelligantur, praenotanda est differentia inter dubium positivum et negativum. Positivum contingit quando non solum adest ratio dubitandi, sed etiam (propter indicia) adest ratio opinandi pro et contra, scilicet peccatum fuisse et non fuisse commissum, vel fuisse et non fuisse mortale, vel fuisse et non fuisse confessum. Negativum e contra contingit quando adest tantummodo ratio dubitandi, ita scilicet ut opinandi nullum vel fere nullum fundamentum subsistat. Exemplum dant de stellis in coelo, de quibus adest ratio dubitandi sed non opinandi an sint numero pares vel impares. Forsan exempla practica essent sequentia. Titius recordatur se una vice cogitatione prava fuisse tentatum, et alia vice se peccasse mortaliter; sed, propter diuturnitatem temporis aut defectum memoriae, nullum habet indicium positivum, quoad primum casum, ad opinandum an consenserit an vero non consenserit (quum aliquando consentire soleat et aliquando non), vel an mortaliter an vero venialiter tantummodo deliquerit; et, quoad secundum casum, ad opinandum an de illo peccato confessus fuerit, an vero non; an scilicet ante praecedentem confessionem, an vero post illam illud commiserit.

Hac notione praemissa, imprimis Theologi omnes uno ore conveniunt in admittenda obligatione accusandi peccata dubia, quando dubitetur *negative* an confessa fuerint.

Alii (inter quos S. Ligorius *VI. 477*) docent quod in dicto casu obligatio illa accusandi subsistit, quamvis dubium esset positivum.

Alii docent obligationem subsistere in omnibus prorsus dubiis negativis; nempe non solum in dubio an peccatum confessum fuerit (ut supra), sed etiam toties quoties negative dubitetur an fuerit commissum, vel an fuerit mortale. Ita Theologi innumeri, inter quos Suarez, Lugo, Salmanticenses, Sanchez et Bonacina qui dicit: « Qui dubitat se peccatum « aliquod mortale commisisse, vel scit se commisisse pec- « catum aliquod quod dubitat esse mortale, tenetur illud « confiteri; nam communi Doctorum consensu constat pec- « cata dubia esse confitenda ».

Alii (inter quos D'Annibale III. 191) docent, etiam in dubio positivo peccata dubia esse accusanda, si dubium sit an venialia an vero mortalia fuerint.

Alii (inter quos Billuart) obligationem ipsam adesse docent in dubiis omnibus etiam positivis, excepto solo casu in quo pro peccato non commisso aut non mortali maior probabilitas subsisteret.

Alii denique (inter quos Gousset) distinguunt inter theoriam et praxim, et dicunt quod, quidquid sit de theoria, in praxi pro obligatione standum est.

Sic itaque meridiana luce clarius patet quod obligatio accusandi peccata dubia ab omnibus recognoscitur, etsi recentiores pro his vel illis casibus (de quibus non conveniunt) exceptiones admittant.

OBB. II. Saltem adoptari poterunt, non solum in theoria sed etiam in praxi, hae distinctiones et exceptiones recentiorum; eo vel maxime quod communissimae evaserint, et nullus iam sit Theologus boni nominis, qui antiquam teneat doctrinam.

Resp. I. Distinctiones et exceptiones recentiorum adoptent qui sint persuasi illas esse rationabiles et tutas. Meo sensu, non sunt tales. Enimvero 1° Sunt in contrarium rationes theologicae, quas attuli in argumento primo: 2° Standum est potius cum antiquis (qui, ut vidimus, regulam generalem sine his distinctionibus tradebant); agitur enim de re spectante ad traditionem apostolicam, quae melius ab antiquis quam a recentioribus cognoscebatur: 3° Non est praesumendum quod Christus Dominus intende-

rit ut res ista iuxta futura atque adeo varia Theologorum systemata variationibus subiici posset: 4° Distinctiones istae a populo vix aut ne vix quidem intelligerentur, confusionem ingererent, et hallucinationibus innumeris ianuam aperirent. 5° Insuper non sunt logicae: rationes enim, quae adducuntur ad probandum quod dubia negativa accusari debent, idipsum probant pro positivis, ut bene notavit Croix (*n. 609*). Adde quod hi Theologi recentiores docent accusandum esse peccatum quando negative (et proinde aequaliter) dubitatur fuisse et non fuisse commissum; non vero esse accusandum quando (cf. S. Lig. *VI. 437*) probabilius est fuisse commissum !!... 6° Instructio, quae sive in catechismis sive in concionibus populo datur, huiusmodi distinctiones minime habet.

Resp. II. Falsum est quod distinctiones et exceptiones recentiorum iam communissimae et ordinariae evaserint; ipsi enim non conveniunt (ut mox supra vidimus), et inter sese quam maxime discrepant; unde ego nonnisi confusionem magnam ordinariam evasisse video.

Resp. III. Falsum est etiam quod inter recentiores nullus iam sit Theologus boni nominis qui antiquam teneat doctrinam. Enimvero Roncaglia ad quaesitum: *An necesse sit aperire in confessione peccata mortalia dubia?* Respondet: « Vel aliquis dubitet an peccatum mortale com-« miserit, vel aliquis sciat se peccasse, et dubitet an mor-« taliter vel venialiter, tenetur huiusmodi peccata dubia « in confessione manifestare. Ratio mihi est non solum « quia Trid. excipit ab obligatione confitendi solum pec-« cata venialia, sed etiam quia communis praxis fidelium, « de qua non extat memoria, est huiusmodi peccata con-« fiteri ». Excipit tantummodo (cum antiquis) nisi agatur de dubio quod parvipendi et prudentur deponi debeat. — Et Talento (IV. 18) ad quaestionem: *Quid dicendum de peccatis dubiis?* Respondet: « Si haec mortalia sint, vel « dubitetur an sint mortalia vel venialia, an confessa vel « non, an admissa nec ne, materia sunt necessaria, quia « haec confiteri tenemur, ne periculo nos exponamus le-

« thalia peccata in confessione silendi ». Idem dicit Bou- « vier etc.

OBB. IV. Tridentinum dicit accusanda esse peccata quorum poenitentes *conscientiam* habent, et quorum *meminerint:* ergo non datur obligatio accusandi peccata dubia, de illis enim nec conscientia nec memoria habetur.

R. Huic obiectioni iam respondi (cum Lugo aliisque) in cit. resol. casus V. anni 1893; ubi dixi conscientiam nedum certam sed etiam dubiam, et memoriam nedum claram sed etiam confusam esse posse: demonstravi autem quod Tridentinum in sensu quoque conscientiae dubiae et memoriae confusae intelligi debet. Hic addo tantummodo quod si Tridentinum de sola conscientia certa intelligendum esset, tunc ne numerus dubius quidem accusari deberet, nec ullus daretur casus in quo peccata dubia essent accusanda; nunquid enim v. g. peccatorum quae sunt negative dubia conscientiam certam habemus? Sic itaque nedum Auctores a me citati, sed etiam alii omnes doctrinam falsam docuissent et contra Tridentinum scripsissent.

DECIMUM ARGUMENTUM

Deductum ex Catechismo Romano.

1. Catechismus distinguit inter materiam necessariam et liberam. Docet autem materiam necessariam esse peccata mortalia, inquiens: *mortifera peccata singula enumeranda sunt.* Sed nunquid sensus Catechismi esse potest quod peccata mortalia dubia sint materia libera? Minime quia 1° de solis peccatis venialibus dicit esse materiam liberam, inquiens: *Venialia... sine culpa praetermitti possunt.* 2° quia rationes, quas ad hoc probandum adducit, valent revera solum pro venialibus; dicit enim venialia praetermitti posse tum quia *nos a Dei gratia non divellunt*, tum quia *multis aliis rationibus expiari possunt* (quae equidem ad mortalia dubia applicari nequeunt). 3° quia, ad ostendendam necessitatem accusandi mortalia, dicit: N*on potest quis iustificari a peccato nisi*

confessus fuerit peccatum : quae utique ratio urget quoque pro mortalibus dubiis, quorum etiam indigemus remissione.

II. Catechismus dicit: « Curandum est ut confessio « nuda, simplex et aperta sit.....; ea enim confessio esse « debet, quae nos tales Sacerdoti aperiat, quales nos ip- « sos novimus, certaque pro certis, ac dubia pro dubiis « demonstret ». Obiiciunt: Subintelligitur *si haec dubia accusari velint.* Respondeo: Nego prorsus; Catechismus enim supra satis significavit (ut modo dicebam) quod mortalia dubia non sunt materia libera. Instant: Saltem clarius se declarare debuisset. Iterum nego prorsus; tunc enim de obligatione accusandi peccata dubia (et quidem sine distinctionibus quae postea introductae fuerunt) nemo dubitabat (ut supra vidimus), et proinde opus non erat ut Catechismus clarius se exprimeret.

INDEX

CAPUT I. De actibus humanis	pag. 3
Articulus I. De actibus humanis in se spectatis .	» ibi
Punctum I. De actus humani definitione. . . .	» ibi
Punctum II. De voluntario eiusque distinctionibus et de involuntario . . , .	» 4
Punctum III. De iis quae voluntario et libero opponuntur	» 15
§ I. De ignorantia	» 16
§ II. De concupiscentia	» 24
§ III. De habitu	» 29
§ IV. De coactione in genere	» 31
§ V. Agitur in particulari de metu	» 35
§ VI. Agitur in partitulari de vi seu violentia . .	» 40
Appendix de violentiis quas Daemon hominibus inferre potest	» 43
§ VII. De statu, in quo persona, propter imperfectionem aut morbosam turbationem virium cerebralium, plus vel minus rationis usu impeditur	» 45
§ VIII. De idiotismo et speciatim de surdis-mutis .	» 46
Articulus II. De actuum humanorum moralitate .	» 47
Punctum I. De essentia, distinctionibus et fontibus moralitatis	» ibi
§ I. De essentia et distinctionibus moralitatis .	» ibi
§ II. De fontibus moralitatis	» 48
§ III. Declaratur utrum actus externus moralitati obnoxius sit	» 55
CAPUT II. De conscientia	» 56
Articulus I. De conscientiae essentia et distinctionibus	» ibi
Articulus II. De conscientia certa	» 60
Articulus III. De conscientia incerta . . .	» 64
Punctum I. De casu in quo conscientia sit incerta eo quod homo versetur inter duo mala aut pericula, quorum unum necessario eligere debeat (scil. de conscientia perplexa)	» ibi
Punctum II. De casu in quo conscientia sit incerta, eo quod homo versetur inter duo mala aut pericula; sed ita ut non necessario unum eligere debeat	» ibi
Punctum III. De casu in quo quis simpliciter versetur in incertitudine utrum aliquid licitum sit	» 65

Punctum IV. De variis theologorum doctrinis circa usum opinionis probabilis . . . . pag. 67
Quaestio I. Utrum in dubio iuris usus opinionis probabilis licitus sit? . . . . » 69
§ I. Quaenam sint hoc in puncto Theologorum systemata? . . . . » ibi
§ II. Quid circa quaestionem istam dicendum mihi videatur . . . . » 78
Quaestio II. Quid de dubio facti? An scilicet et quomodo dubitans de liceitate actionis propter dubium facti, dubium ipsum solvere et conscientiam de licito sibi efformare possit . . . . » 92
Articulus IV. De conscientia scrupulosa . . » 101
Articulus V. De conscientia laxa . . . . » 111
Caput III. De peccatis . . . . » 113
Articulus I. De natura peccati . . . . . » ibi
Articulus II. De distinctione specifica et numerica peccatorum . . . . » 118
Punctum I. Regulae speciales quoad distinctionem specificam . . . . » 119
Punctum II. Regulae speciales quoad distinctionem numericam peccatorum . . . . . » 123
§ I. Declaratur quomodo ex nimia distantia inter actum et actum pluralitas in peccatis exurgat . . . . » ibi
§ II. Declaratur quomodo ex nimia actuum distinctione pluralitas in peccatis exurgat . » 125
§ III. Declaratur quomodo ex nimia obiectorum distinctione pluralitas in peccatis exurgat » 126
Articulus III. De peccato mortali et veniali . . » 128
Articulus IV. De peccatis internis . . . . » 131
Articulus V. De radicibus et fontibus peccatorum . » 140
Caput IV. De virtutibus theologicis . . . . » 154
Articulus I. De fide . . . . » ibi
Punctum I. De fidei essentia . . . . . . » ibi
Punctum II. De fidei necessitate, et de articulis quorum cognitionem explicitam habere oportet . . . . » 155
Punctum III. De negatione fidei . . . . . » 156
§ I. De fidei negatione interna . . . . . » 157
§ II. De fide actibus internis exercenda . . . » 158
§ III. De fide exterius ostendenda . . . . » ibi
§ IV. De fidei negatione externa . . . . » 159
§ V. De quibusdam aliis fidei offensionibus . . » 162
§ VI. De fide custodienda . . . . . . » ibi
Articulus II. De spe . . . . » 163
Articulus III. De charitate . . . . . . » 165
Punctum I. De charitate erga Deum . . . . » ibi
Punctum II. De charitate et amore quem homo sibi ipsi debet . . . . » 166
Punctum III. De charitate erga proximum . . » 167

§ I. Exponuntur quaedam principia generalia. . pag. 167
§ II. De ordine charitatis . . . . » 169
§ III. De odio et malevolentia . . . . . » 174
§ IV. De operibus misericordiae corporalis, et speciatim de eleemosyna . . . . » 181
§ V. De correctione fraterna . . . . . . » 189
§ VI. De scandalo . . . . » 195
A. De natura scandali . . . . » ibi
B. De scandalo directo . . . . » 197
C. De scandalo indirecto, nec non de scandalo accepto et non dato: scilicet de culpa in actione, quae praeter intentionem proximo occasio peccandi sit . . . » 198
D. De gradu culpae in scandalo . . . . . » 201
E. De peccatis scandali quoad numerum et circumstantias speciem mutantes . . . » 202
F. De obligatione eorum qui scandalum dederunt . » 204
§ VII. De cooperatione . . . . » 206
Caput V. De primo decalogi praecepto . . . » 209
Articulus I. De adoratione . . . . . . » ibi
Articulus II. De oratione . . . . . . » 211
Articulus III. De superstitione . . . . . » 214
Punctum I. De superstitione qua Deus colitur cultu non recto . . . . » ibi
Punctum II. De superstitione, qua creatura habetur tamquam Deus, scilicet de idololatria . » 215
Punctum III. De superstitione, qua cum Daemone, etiam seclusa idololatria, commercium habetur; vel proceditur iuxta ritus et praeiudicia Ethnicorum aut Magorum . » ibi
Punctum IV. De divinatione . . . . . . » 219
Punctum V. De vana observantia . . . . . » 222
Punctum VI. De Magia . . . . » 225
Punctum VII De maleficio . . . . . . » ibi
Punctum VIII. De magnetismo et spiritismo . . » 228
Articulus IV. De irreligiositate . . . . . » 237
Punctum I. De tentatione Dei . . . . . » ibi
Punctum II. De sacrilegio . . . . . . » 239
§ I. De sacrilegio reali . . . . » ibi
§ II. De sacrilegio locali . . . . » 241
§ III. De sacrilegio personali . . . . . » 242
§ IV. De differentia specifica in sacrilegiis . . » 244
Punctum III. De simonia . . . . » 245
§ I. De natura et malitia simoniae . . . . » ibi
§ II. Quaenam sint res spirituales, in quibus simonia intervenire potest . . . . . » ibi
§ III. Quid habere possit rationem pretii temporalis » 246
§ IV. Quandonam vera emptio aut venditio simoniaca interveniant vel non interveniat? » 247
§ V. De simonia iuris ecclesiastici et speciatim de simonia confidentiali . . . . . » 250
§ VI. De poenis contra simoniacos latis . . . » 252

§ VII. An simoniaci teneantur ad restitutionem? . pag. 253
Caput VI. De secundo decalogi praecepto . . » 256
Articulus I. De blasphemia . . . . » ibi
Punctum I. De natura et malitia blasphemiae . » ibi
Punctum II. De blasphemia simplici . . . . » 258
Punctum III. De blasphemia haereticali et haeretica » 259
Articulus II. De vana usurpatione nominis Dei . » ibi
Appendix. Variae quaestiones . : . . . . » 260
Articulus III. De adiuratione . . . . . . » 261
Articulus IV. De iuramento . . . . » 263
Punctum I. De iuramenti natura, distinctionibus et validitate. . . . . » ibi
Punctum II. De requisitis ut iuramentum sit licitum » 268
Punctum III. Agitur in particulari de iuramento promissorio aut comminatorio aut utcumque de re futura . . . . . . » 270
Articulus V. De voto . . . . » 272
Punctum I. De natura voti eiusque divisionibus . » ibi
Punctum II. De requisiti ut votum sit validum et licitum Et quid in dubio? . . . » 273
§ I. De intentione, cognitione et deliberatione, quae ad valide vovendum exigitur et sufficit » 275
§ II. De materia apta . . . . » 278
Punctum III. De interpretatione voti . . . . » 286
Punctum IV. De obligatione voti . . . . . » 287
Punctum V. De cessatione voti . . . . . » 296
§ I. De cessatione voti suapte natura . . . » ibi
Punctum VI. De votorum et iuramentorum dispensatione et commutatione . . . . » 298
Punctum VII. De votorum et iuramentorum irritatione . . . . » 301
§ I. De irritatione directa. . . . . . . » ibi
§ II. De irritatione indirecta . . . . . » 303
Caput VII. De tertio decalogi praecepto, scilicet de sanctificatione festorum . . . . » 304
Articulus I. De abstinentia ab operibus servilibus et aliis quibusdam . . . . » 305
Punctum I. De principiis generalibus . . . . » ibi
Punctum II. Indicantur in particulari causae excusantes . . . . » 307
Prima causa. Necessitas sive publica sive privata » ibi
Secunda causa. Occasio lucri extraordinarii . » 311
Terzia causa. Charitas . . . . » ibi
Quarta causa. Pietas. . . . . » ibi
Quinta causa. Dispensatio . . . . » 312
Articulus II. De auditione missae . . . . . » 313
Caput VIII. De quarto decalogi praecepto . . » 321
Articulus I. De obedientia parentibus debita . . » ibi
Articulus II. De reverentia parentibus debita. . » 322
Articulus III. De amore quo filii parentes prosequi debent . . . . » 323
Caput IX. De quinto decalogi praecepto . . . » 326

Articulus I. De occisione sui aliisque peccatis contra vitam propriam . . . . . pag. 326
Punctum I. De suicidio . . . . » ibi
§ I. De suicidio directo . . . . » ibi
§ II. De suicidio indirecto, et de permissione mortis certae et imminentis. . . . » 327
Punctum II. De vita conservanda, periculis non exponenda et non abbrevianda . . » 329
Punctum III. De mutilatione aliisque proprii corporis laesionibus . . . . . . » 331
Articulus II. De occisione proximi . . . . . » 332
Punctum I. De occisione iniusti aggressoris . . » ibi
Punctum II. De occisione aliisve punitionibus malefactoris . . . . » 340
Punctum III. De occisione innocentis aliisque corporalibus eiusdem laesionibus . . » 342
§ I. De principalibus distinctionibns circa occisionem innocentis. . . . . . . » ibi
§ II. De innocentis occisione directa. . . . » ibi
§ III. De innocentis occisione indirecta . . . » 343
§ IV. De abortu . . . . » 344
Articulus III. De bello . . . . » 345
Articulus IV. De duello . . . . » 348
Caput X. De sexto et nono decalogi praeceptis . » 351
Caput XI. De septimo et decimo decalogi praeceptis . . . . » ibi
Sectio I. De iustitia in genere eiusque violatione et reparatione. . . . . » 352
Articulus I. De iustitia in genere, de dominio, aliisque notionibus fundamentalibus . » ibi
Punctum I. De modis acquirendi dominium voluntate prioris domini . . . . . . » 354
Punctum II. De modis acquirendi dominium vi legis » 355
§ I. De casibus in quibus acquiritur dominium quia res sit nullius, aut sine domino remanserit . . . . » ibi
Casus I. Venatio et piscatio . . . . . . » 356
Casus II. Inventio . . . . » 358
Casus III. Thesaurus . . . . » 361
Casus IV. Successiones ab intestato et ius ad legitimam. . . . . » 362
Casus V. Bona vacantia . . . . » ibi
§ II. De casibus in quibus dominium acquiritur vi legis, quia rectus ordo exigat ut res, velit nolit dominus, alteri cedat . . » 363
Casus I. Necessitas extrema et subinde quaedam aliae necessitates . . . . » ibi
Casus II. Acceptio rei alienae iure compensationis vel simili . . . . » 364
Conditio I. Compensatio debet esse iusta. . . » 365
Conditio II. Compensatio debet esse necessaria et cauta . . . . » 368

Conditio III. Oportet ut compensatio, propter circumstantias et consequentias, mala non evadat . . . . pag, 368
Conditio IV. Oportet ut compensatio non violenter sed occulte peragatur . . . . . . » 369
Quaestio. Si in compensatione peragenda praedictae conditiones servatae non fuissent adesetne onus restitutionis?. . . . . » ibi
Casus III. Praescriptio . . . . » ibi
Casus IV. Accessio . . . . » 380
Punctum III. De praecipuis dominii indirecti speciebus . . . . » 383
§ I. De usufructu. . . . . » ibi
I. De constitutione ususfructus. . . . . . » ibi
II. De rebus in quibus ususfructus consistere potest » ibi
III. De iuribus usufructuarii . . . . . . » 384
IV. De obligationibus usufructuarii . . . . . » 386
V. De modis quibus ususfructus cessat . . . » 387
§ II. De usu et habitatione . . . . . . » 388
§ III. De servitutibus. . . . . » ibi
Appendix. De iure administrationis legalis, quando scilicet ius istud vi legis alicui competit » 391
Punctum IV. De subiecto dominii circa bona fortunae . . . . » ibi
§ I Agitur de dominio quoad personas morales . » 392
§ II. Agitur de dominio quoad personas particulares . . . . » 393
Quaestio I. Quid de dominio quoad infantes, amentes et nondum natos? . . . . » ibi
Quaestio II. Quid de dominio minorum?. . . » ibi
Quaestio III. Quid de interdictis, inhabilitatis, surdis mutis, et caecis - natis? . . . » 396
Quaestio IV. Quid de bonis uxoris? . . . » ibi
Quaestio V. Quid de bonis clericorum? . . » 399
Quaestio VI. Quid de bonis religiosorum? . . » 402
Articulus II. De iustitiae violatione seu de iniustitia vel iniuria 403
Punctum I. Exponitur quid sit iniustitia et quibus in casibus praecipue accidat. . . . » ibi
Punctum II. De furto . . . . » 404
§ I. De furto in genere. . . . . » ibi
§ II. De furto quoad gravitatem vel levitatem , » 406
§ III. De furto quoad speciem et numerum . . . 412
Articulus III. De restitutione ad reparandam iustitiam laesam in bonis fortunae . . . » 413
Punctum I. De radicibus restitutionis . . . . » ibi
Radix I. Ex re accepta . . . . » ibi
Radix II. Ex iniusta acceptione . . . . . » 418
§ I. De possessore malae fidei . . . . . » 419
§ II. De possessore dubiae fidei . . . . . » 423
A. De eo qui dubitat an res sit sua. . . . . » ibi
B. De eo qui dubitat an debitum solverit vel contraxerit . . . . » 428

Radix III. Ex damnificatione . . . . . . pag. 429
Divisio I. De principiis generalibus circa damnificationem . . . . . . » ibi
Divisio II. De cooperatione ad damnificationem, seu de casibus in quibus plures personae (seu concausae) ad delictum damnosum committendum concurrunt. . . . » 435
§ I. De cooperatione ad damnificationem in genere » ibi
§ II. Agitur in particulari de concausis, quae ad delictum concurrunt . . . . » 439
A. De mandante et consulente . . . . . . » ibi
B. De conspirantibus seu pro delicto suffragium ferentibus . . . . » 442
C. De executore et participante . . . . . » 443
D. De non impediente seu de causis negativis. . » 445
Divisio III. De quibusdam damnificationibus magis practicis. . . . . » 447
§ I. De reparatione damnorum propter homicidium » ibi
§ II. De damnorum reparatione propter stuprum . » ibi
§ III. De reparatione damnorum propter fornicationem . . . . » 448
§ IV. De damnorum reparatione propter adulterium » 449
Punctum II. De gradu culpae in omissione restitutionis . . . . » ibi » 450
Punctum III. De modo restitutionem exequendi . » 451
§ I. Cui restituendum? . . . . » ibi
§ II. Quid restituendum? . . . . » 453
§ III. Quantum restituendum? . . . . . » 454
§ IV. Quibus mediis restituendum? . . . . . » ibi
Quaestio incidens. Quid si, restitutione executa meliori modo possibili, detegatur creditor qui de facto nihil receperit?. . . . » 456
Punctum IV. De causis a restitutione excusantibus » 457
Prima causa. Impotentia . . . . » ibi
Secunda causa. Remissio creditoris . . . . » 459
Tertia causa. Nocumentum creditoris aut tertiae personae. . . . . » 462
Quarta causa. Debiti extinctio vel creditum subortum . . . . » ibi
Quinta causa. Compositio vel condonatio pontificia » ibi
Sexta causa. Praescriptio . . . . » 463
Septima causa. Rei debitae interitus . . . » ibi
Octava causa. Debiti incertitudo . . . . . » ibi
Nona causa. Defectus culpae theologieae. . . » 464
Conclusio . . . . » ibi
Appendix. Ad declaranda ea, quae in primo volumine (n. 37 et 45) dicta fuerunt circa circumstantias aggravantes et peccata dubia. . . . . » 465

FINIS VOLUMINIS SECUNDI.

Faventiae die 22 Februarii 1895

Nihil obstat

IOSEPH CALDERONI

Revisor Episcopalis.

Imprimatur

✠ IOACHIMUS Episcopus Favent.

3 5282 00175 9938

DATE DUE			

BX1759
B44x
Vol 2

STACKS BX1759.B44x vol. 2
Berardi, Aemilio.
Examen confessarii et parochi, seu, Comp
3 5282 00175 9938